



253
6 I
7







COMMENTARIUS

IN

ACTA APOSTOLORUM.

COMMENTARIUS


IN

ACTA APOSTOLORUM.

SCRIPSIT

JOANNES THEODORUS BEELEN

S. S. PII IX CUBICUL. HON., S. CONGR. IND. CONSULT.,
ECCL. CATH. LEOD. CAN. HON., S. THEOL. DOCT., ET IN ACAD. CATHOL. LOVAN.
S. SCRIPT. ET LINGG. ORIENTT. PROF. ORD.



EDITIO ALTERA.

LOVANII

APUD C.-J. FONTEYN, BIBLIOPOLAM.

1864.

MONITUM.

In altera hac Commentarii mei *in Acta Apostolorum* editione sexcenties reperietur scriptum : *Vide Gr.,* h. e. vide Grammaticam. Sciendum autem est, *Grammaticae* nomine ubique indicari librum, quem anno 1857 Lovanii in lucem edidi, quique inscribitur : *Grammatica Graecitatis Novi Testamenti.*

AUCTOR.

PROLEGOMENA

IN

ACTUS APOSTOLORUM.

1. De huius libri titulo.

Varius est in variis Codicibus huius libri titulus. Nam et πραξεις των αποστολων ibi inscribitur, et αἱ πραξεις των αποστολων, et Λουκᾶ ευαγγελιστου πραξεις αποστολων, et πραξεις των ἁγιων αποστολων, συγγραφεισαι ὑπο Λουκᾶ του ευαγγελιστου. Ceterum, Codices et Versiones antiquae omnes in libro hoc inscribendo hactenus inter se similes sunt, quod in quovis titulo leguntur verba haec : *Actus Apostolorum.* Quae verba ut simplicissimum titulum iam continent, ita et antiquissimam huius libri inscriptionem fuisse, facile crediderim. Πραξεις autem των αποστολων intelliguntur *res gestae* ab iisdem. Eodem sensu apud Xenophontem (Cyrop. I : 3) πραξεις Κυρου sunt *res a Cyro gestae.* Utrum vero inscriptio haec : πραξεις των αποστολων, argumento huius libri conveniat, nec-ne, infra disputabitur.

2. De authentia huius libri.

Sanctum Lucam Evangelistam, sub cuius nomine hic liber fertur, revera eius libri esse auctorem, argumentis probatur quam firmissimis.

Et vero iam inde ab antiquissimis[1] temporibus S. Lucae Evangelistae hic liber adscriptus legitur. Testes eius rei sunt :

1. S. Irenaeus (adv. Haeres. Lib. 3, Cap. XIV) : « Quoniam autem, *inquit*, is Lucas inseparabilis fuit a Paulo et cooperarius eius in Evangelio, ipse fecit manifestum, non glorians, sed ab ipsa productus veritate... Quum vidisset Paulus per somnium virum Macedonem, dicentem : *Veniens in Macedoniam opitulare nobis, Paule, statim,* ait (*Lucas*), *quaesivimus proficisci in Macedoniam, intelligentes, quoniam provocavit nos Dominus evangelizare eis. Navigantes igitur a Troade, dereximus navem in Samothracem* (Act. XVI : 9, sqq.); et deinceps reliquum omnem ipsorum usque ad Philippos adventum diligenter significat, et quemadmodum primum sermonem locuti sunt : *sedentes enim*, inquit, *locuti sumus mulieribus, quae convenerant* (Act. XVI : 13); et quinam crediderunt, et quam multi. Et iterum ait : *Nos autem navigavimus post dies azymorum a Philippis, et venimus Troadem, ubi et commorati sumus diebus septem* (Act. XX : 6). Et reliqua omnia ex ordine refert, omni diligentia demonstrans et loca et civitates et quantitatem dierum, quoadusque Hierosolymam adscenderent : et quae illic contigerint Paulo, quemadmodum vinctus Romam missus est; et nomen Centurionis qui suscepit eum, et quemadmodum naufragium fecerunt, et in qua liberati sunt insula, et quemadmodum humanitatem ibi perceperunt, Paulo curante principem ipsius insulae, et quemadmodum inde Puteolos navigaverunt, et inde Romam pervenerunt, et quanto tempore Romae commorati sunt. Omnibus his quum adesset Lucas, diligenter conscripsit ea, ut neque mendax neque elatus deprehendi possit, eo quod omnia haec constarent, etc.[2]. »

2. Clemens Alexandrinus (Stromat. Lib. 5, p. 588, ed. Sylb.) :

[1]) Lucae librum etiam a Patribus Apostolicis, certe a S. Polycarpo, citatum fuisse, recte affirmaveris; nam hic in epistola sua ad Philippenses, dum scribit (Cap. I) : *ὁν ὁ εγειρε ὁ Θεος, λυσας τας ωδινας του ᾁδου*, dubitari nequit, quin respexerit locum Act. Apost. Cap. II : 24, ubi legimus : *ὁν ὁ Θεος ανεστησε λυσας τας ωδινας του θανατου*, vel *του ᾁδου*, ut in aliis Codicibus legitur.

[2]) Irenaei opus hac parte Graece non amplius exstat. Et interpretem nactus est Irenaeus servilem indoctumque.

Καθως, inquit, και ὁ Λουκας εν ταις πραξεσι των αποστολων απομνημονευει τον Παυλον λεγοντα· ανδρες Αθηναιοι, κ. τ. λ. h. e. *Quemadmodum et Lucas in Actibus Apostolorum Paulum commemorat dicentem : Viri Athenienses*, etc. Cf. Act. XVII : 22.

3. Tertullianus (de Baptismo, Cap. X) : « Adeo, *inquit*, postea in Actis Apostolorum invenimus, quoniam qui Ioannis baptismum habebant, non accepissent Spiritum Sanctum, quem ne auditu quidem noverant. » Et alibi (de Ieiunio, Cap X) : « Porro, *inquit*, cum in eodem commentario Lucae et tertia hora orationis demonstretur, sub qua Spiritu Sancto initiati pro ebriis habebantur, et sexta, qua Petrus adscendit in superiora, *cet.* » Cf. Act. Cap. XIX : 2, 5. Cap. II : 13, et Cap. X : 9.

Sequioris temporis testes producere, nihil opus est. Suffecerit dixisse, continua deinceps aetatum serie saepissime citari Actuum Apostolorum librum, eumdemque sancto Lucae Evangelistae auctori constanter tribui. Sic, ut hoc utar, quia novum, S. Cyrillus Alexandrinus in Commentario in Lucae Evangelium recentissimè primum edito[1], passim loca quaedam ex altero illo Lucae libro allegat; et quidem ad Evang. S. Lucae, Cap. XIII : 1 (p. 235 in cit. edit. Card. Maii) haec scribit : « Εοικασιν οἱ Γαλιλαιοι κατα τους χρονους Πιλατου εστασιακεναι, δογμασιν ἑπομενοι Ιουδα του Γαλιλαιου, οὑ και ὁ Λουκας εν ταις πραξεσι των αποστολων εμνησθη, κτλ. h. e. *Videntur Galilaei temporibus Pilati seditionem excitasse, dogmata sequentes cuiusdam Iudae Galilaei, de quo mentionem facit etiam Lucas in Actibus Apostolorum.* Cf. Act. Cap. V : 37.

Externis autem hisce argumentis accedunt *interna*. Et *primò* quidem, auctor libri Actuum Apostolorum in ipso sui operis exordio perspicuè significat, eumdem se esse qui ante conscripserat historiam de rebus gestis Iesu Christi, hoc est, Evangelium quod tertio loco inter Canonica Evangelia recensetur. Confer Ev. S. Lucae, Cap. I : 1—4 et XXIV : 50, 51 cum Act. Ap. Cap. I : 1, 2.

---

[1]) Scil. ab eruditissimo Cardinali Maio, tom. X *Classicorum auctorum e Vaticanis Codicibus editorum*. Romae 1838. Graece tantum.

Secundo. Auctor libri Actuum Apostolorum passim sese exhibet tamquam Pauli comitem ab eo indè tempore, quo Apostolus a Troade profectus est in Macedoniam (cf. Act. XVI : 10). Atqui ex epistolis S. Pauli constat, Lucam illi passim adfuisse socium et comitem. Vide Ep. ad Philem. vers 24, ad Coloss. IV : 14, et 2 ad Timoth. IV : 11.

Tertio. Graeca elocutio, quae in libro Actuum Apostolorum cernitur, ita convenit cum ea quae in Evangelio S. Lucae observatur, ut etiam inde probetur, unum eumdemque esse utriusque operis scriptorem. Sequuntur hic a Schottio (Isagog. in libr. N. T.) collectae voces phrasesque, quae aut non alibi quam in Lucae Evangelio, aut certè multo frequentius ibi quam in ceteris libris Novi Testamenti occurrunt, quaeque pariter frequentissimè leguntur in libro Actuum Apostolorum :

Αδικια in hujusmodi locutionibus : κριτης αδικιας, μισθος αδικιας, etc. occurrunt *in Evangelio*, Cap. XIII : 27; XVI : 8, 9; XVIII : 6; *in Act. Apost.* Cap. I : 38; VIII : 23.

Αναγειν occurrit *in Evangelio*, Cap. II : 22; IV : 5; VIII : 22; XXII : 66; *in Act. Apost.* septemdecim locis; semel apud Matthaeum.

Ατενιζειν occurrit *in Evangelio*, Cap. IV : 20; XXII : 56; *in Act. Apost.* Cap. I : 10; III : 4; XII : 6; XV : 7, 55; X : 4; XI : 6; XIII : 9; XXIII : 1; praeter Lucam in Novi Testamenti libris solus Paulus adhibet verbum ατενιζειν in 2 ad Corinth. III : 7, 13.

Εφιστημι legitur *in Evangelio*, Cap. II : 9, 38; IV : 39; X : 40; XX : 1; XXI : 34; XXIV : 4; *in Act. Apost.* Cap. IV : 1, 6; XI : 11; XII : 7, 10; XVII : 5; XXII : 13, 20; XXIII : 11, 27; XXVIII : 2; praeterea tantùm apud Paulum legitur in Ep. 1ª ad Thess. V : 3 et in 2 ad Timoth. IV : 2, 6.

Παραχρημα occurrit *in Evangelio*, Cap. I : 64; IV : 39; V : 25; VIII : 44, 47, 55; XIII : 13, 18, 43; XIX : 11; XXII : 60; *in Act. Apost.* septemdecim locis; bis apud Matthaeum.

Συγκαλειν et συγκαλεισθαι occurrunt *in Evangelio*, Cap. IX : 1; XV : 6, 9; XXIII : 13; *in Act. Apost.* Cap. V : 21; X : 24; XXVIII : 17; praeterea semel apud Marcum, Cap. XV : 16.

Ὑποστρεφειν legitur *in Evangelio*, Cap. I : 56; II : 39, 43, 45; IV : 1, 14; VII : 10; VIII : 37, 39, 40; IX : 10; X : 17; XI : 24; XVII : 15, 18, aliisque locis; *in Act. Apost.* undecim locis; semel apud Marcum, bis apud Paulum.

Ἱκανος, ita ut valeat *copiosus, multus*, legitur *in Evangelio*, Cap. VII : 12; VIII : 27, 32; XX : 9; XXIII : 8, 9; *in Act. Apost.* Cap. V : 37; VIII : 11; IX : 23, 43; XI : 24, 26; XII : 12; XIV : 3, 21; XVIII : 18; XIX : 26; XX : 8, 11, 37; XXVII : 9. Praeterea in toto Novo Testamento non nisi ter eo sensu vox ἱκανος occurrit.

Quae vero sequuntur voces phrasesque in Evangelio S. Lucae et in libro Actuum Apostolorum frequenter leguntur, in ceteris vero Novi Testamenti libris nuspiam occurrunt :

Διαπορειν legitur *in Evangelio*, Cap. IX : 7; XXIV : 4; *in Act. Apost.* Cap. II : 12; V : 24; X : 17.

Καθεξης occurrit *in Evangelio*, Cap. I : 3; VIII : 1; *in Act. Apost.* Cap. III : 24; XI : 4; XVIII : 23.

Καθοτι legitur *in Evangelio*, Cap. I : 7; XIX : 9; *in Act. Apost.* Cap. II : 24, 45; IV : 35.

Ὁμιλειν legitur *in Evangelio*, Cap. XXIV : 14, 15, *in Act. Apost.* Cap. XX : 11; XXIV : 26.

Συμβαλλειν occurrit vario sensu *in Evangelio*, Cap. II : 19; XIV : 31; *in Act. Apost.* Cap. IV : 15; XVII : 18; XVIII : 27; XX : 14.

Ὑπολαμβανειν legitur *in Evangelio*, Cap. VII : 43; X : 30; *in Act. Apost.* Cap. I : 9; II : 15.

Itaque ex argumentis tam *externis* quam *externis* constat quam certissimò, S. Lucam Evangelistam auctorem esse libri Actuum Apostolorum, qui sub eius nomine fertur. Rem testatissimam nuperrimè tamen in dubium vocavit Wettius, sed adductus rationibus perquam futilibus. Et *primum* quidem, miratur ille, *Lucam, si auctor sit Actuum Apostolorum, non ipsum se in prooemio sui Evangelii adnumerasse inter testes oculatos*[1]. —

---

[1]) Lehrbuch der historisch-kritischen Einleitung in die kanonischen Bücher des Neuen Testaments von Wilhelm Martin Leberecht de Wette. Ed. 3. Berlin 1834. § 114. « *Der Verfasser* (der Apostel-Geschichte), inquit, *ist*

Sed falsò sumit Wettius, tertium Evangelium et Actuum Apostolorum librum coniunctim conficere non nisi unum opus historicum, adeòque prooemium illius Evangelii pertinere etiam ad Actuum Apostolorum librum. Nam ne hoc quidem certum est, Lucam scilicet cum Evangelicam suam historiam conscriberet, in animo habuisse alium deinceps componere librum, in quo res gestas Apostolorum referret. Sed fac iam, quod tamen negamus, prooemium tertii Evangelii pertinere etiam ad Actuum Apostolorum librum, vel sic quoque futilis est Wettiana illa dubitatio. Nam quum auctor Actuum Apostolorum inde a decimo sexto Capite (XVI : 10) istius libri ipsà suà narrandi ratione manifestò sese exhibeat tamquam testem oculatum eorum quae deinceps enarrat, non erat cur hoc in totius operis prooemio significaret, praesertim quum rerum narrandarum non nisi ex parte tantum exigua oculatus testis fuisset.

Secundò. Partim, inquit, *falsa* (Act. IX : 26, XXII : 17, coll. Galat. I : 17, sq.; XVIII : 5, coll. I. Thess. III : 1, sq.), partim *dubia* (Act. XI : 30, coll. Galat. II : 1), partim *nimis tenuia* (Act. IX : 30; XVI : 6, collatà epistolà ad Galatas), partim *invicem sibi contradictoria* (cf. IX : 3, sqq. cum XXII : 6, sqq. XXVI : 14, sqq.) sunt ea quae auctor Actuum Apostolorum refert de rebus a Paulo gestis ante illud tempus, quo se huius socium factum fuisse affirmat[1]. — Quod hic obiicitur, tale est : auctor Actuum Apostolorum, si is reapse aliquando fuisset Pauli socius, de Paulo neque *falsa*, neque *nimis tenuia*, neque *contradictoria* scripsisset, quum res Pauli ab ipso Paulo, et plenissimè, et ut erant, potuisset edoceri.

---

der des dritten Evangeliums, und scheint (!) *sich als den Begleiter des Ap. Paulus und als Augenzeugen eines Theiles der Geschichte anzudeuten* (XVI : 10—17; XX : 5—15; XXI : 1—17; XXVII : 1—XXVIII : 16). *Dagegen ist es befremdend, dass er sich in der Vorrede des Evangeliums nur of andere Augenzeugen beruft, von sich aber bloss als Erforscher und Bearbeiter der von Andern schon aufgezeichneten Ueberlieferung spricht.*

[1]) Ibid. « *Es ist befremdend... dass die anderweitigen Nachrichten von Paulus theils falsch* (IX : 26; XXII : 17. Vgl. Gal. I : 17, f. XVII . 14; XVIII : 5. Vgl. I Thess. III : 1, f.), *theils ungenügend sind* (IX : 30; XVI : 6. Vgl. Br. an die Gal.), *theils sich selbst nicht gleich bleiben* (vgl. IX : 3, ff. mit XXII : 6, ff. XXVI : 14, ff.).

Ad haec respondemus :

a) Quod attinet ad ea in quibus auctor Actuum Apostolorum Wettio visus est historiographus in nonnullis Pauli gestis referendis iusto parcior et tenuior, ad haec monemus, minimè certum esse, Lucam eo tempore librum suum composuisse, quo tempore cum Paulo versabatur[1]; imo, fieri potuisse, ut Lucas tum demum ceperit libri sui conscribendi consilium, quum iam amplius cum Paulo non esset. Quae si ita sint, profecto non est cur mirum videri debeat, Lucam in nonnullis Pauli gestis referendis parciorem et tenuiorem fuisse; nempe ea tantùm litteris mandaverit quae certa scientia ipsi fuerant comperta, plura scripturus, si Paulum potuisset interrogare, aut alia certa via eadem rescire.

Quamquam periculosum est, nisi consilium auctoris penitùs perspectum habeas, audacius velle definire, quasnam ille res copiosius, quasnam verò exilius tractare debuerit. Librum suum Lucas composuit in gratiam amici sui Theophili (Act. I : 1). Quid si non nesciret Theophilus ea in quibus enarrandis auctor Wettio videtur iusto parcior et tenuior?

At enim, inquit Wettius, insunt in ea libri parte quaedam *falsa*, quaedam *dubia*, quaedam etiam *contradictoria!* — Fac, rem ita se habere; at inde non consequitur, quod vult Wettius, nempe dubitari posse an non sit mendax auctor dum se aliquamdiu Pauli socium fuisse dicit, praesertim quum alia adsint argumenta, quae hanc rem confirmant. Et verò quum Wettius opinetur, auctorem libri Actuum Apostolorum, quicumque tandem is fuerit, non minus quam alium quemvis scriptorem a vero potuisse aberrare, si is reapse alicubi erraverit, an ideò iure vocari poterit in suspicionem mendacii?

Verum absit ut Wettio largiamur, occurrere in libro Actuum alia *falsa*, alia *contradictoria*[2].

---

[1]) Vide infra § 5. *De tempore quo conscriptus sit liber Actuum Apostolorum.*

[2]) Non satis intelligimus, quaenam sint illa quae Wettius respicit, ubi dicit, in Actibus Apostolorum occurrere etiam *quaedam dubia* (theils zweifelhaft). Vult Wettius ut id quod dicitur Cap. XI : 30 : *mittentes* (collectam pecuniam) *seniores per manus Barnabae et Sauli*, conferamus cum eo quod legitur in Ep. ad Galatas, Cap. II : 1 : *Deinde post annos quatuordecim, iterum adscendi Ierolosymam cum Bar-*

b) Tamquam *falsa* Wettius traducit 1° ea quae dicuntur Act. Cap. IX : 26, sq.[1], et Cap. XXII : 17[2]. Et causa, cur ita iudicet, haec illi est, quod Paulus de se in epistola ad Galatas (Cap. I : 17) dicit : *deinde post annos tres veni Ierosolymam videre Petrum, et mansi apud eum diebus quindecim. Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini.* — Verum quidem est, Ierosolymitanum illud iter, de quo Apostolus agit in citato loco epistolae ad Galatas, unum idemque esse cum eo quod Act. IX : 26 et XXII : 17 commemoratur; sed quae tandem est hic inter hanc et illam relationem contradictio, ex quo *falsitatis* argui possit id quod de hoc itinere refertur in libro Actuum? Nam quod Paulus in epistola ad Galatas non memorat extasin eam, quae illi secundum auctorem Actuum (Cap. XXII : 17) tunc temporis Ierosolymis in templo contigisset, id quidem minime probat rem non accidisse; cumque nihil opus esset ut Paulus in epistola illa mentionem hac de re faceret, nequit profectò ex ipsius silentio auctor libri Actuum argui *falsitatis*. 2° Ut *falsum* de Wettius traducit id quod auctor libri Actuum refert

---

naba, assumpto et Tito. Forsitan dicere voluit, Ierosolymitanum illud Pauli iter, quod Act. Cap. XI : 30 memoratur, conciliari non posse cum iis quae dicuntur citato loco epistolae ad Galatas. Hanc Wettii mentem fuisse colligi potest ex iis quae notat (*Kurzgefasstes exegetisches Handbuch zum Neuen Testament. Kurze Erklärung der Apostelgeschichte. Leipzig.* 1844) ad Act. XI : 30 : « *Diese Reise des Paulus nach Jerusalem*, inquit, *kann, nach Gal.* II : 21, *kaum Statt gefunden haben, und entweder ist er zwar nach Judäa, aber nicht nach Jerusalem gekommen, wohin vielleicht Barnabas allein ging; oder Lucas Bericht beruht auf einem Missverständnisse.* » — Sed Paulus de secundo illo suo Ierosolymitano itinere mentionem nullam facit in epistola ad Galatas, quia attenta re quam tractabat, id nihil erat opus; scilicet tunc temporis neminem Apostolorum Ierosolymis viderat. Itaque commemorato *primo* suo itinere (Gal. I : 18), sed omisso *secundo* illo, de quo mentio est Act. XI : 30, transit ad *tertium*, cum dicit (Gal. II : 1) : *deinde post annos quatuordecim, iterum adscendi Ierosolymam.* Cum ergo illud *deinde* referendum non sit ad *secundum* iter Ierosolymitanum, sed ad *tertium*, non est cur in dubium vocetur relatio illa quae Act. IX : 30 legitur de *secundo* aliquo Pauli in Ierosolymam itinere.

[1]) Scilicet : *Cum autem venisset in Ierusalem, tentabat se iungere discipulis, et omnes timebant eum, non credentes quod esset discipulus. Barnabas autem apprehensum illum duxit ad Apostolos.*

[2]) Scilicet : *Factum est autem revertenti mihi in Ierusalem, et oranti in templo, fieri me in stupore mentis.*

Cap. IX : 26, sq., ubi Paulus in illa Ierosolymitana commoratione ductus fuisse dicitur *ad Apostolos* (προς τους αποστολους), quum Paulus ipse narret se tuuc temporis Ierosolymis vidisse non nisi Apostolos *duos*, Petrum et Iacobum. — At nulla in eo est contradictio, et auctorem libri Actuum Wettius iniuria *falsitatis* hic arguit. Scilicet non affirmat auctor Actuum, Paulum eo tempore aut *plures*, aut *alios* vidisse Apostolos, quam qui in Pauli epistola nominatim designantur; sed postquam narravit Christianos Ierosolymitanos, quum non crederent Paulum reapse Christo nomen dedisse, noluisse familiariter cum illo conversari, idem subiicit, Paulum tunc a Barnaba adductum fuisse *ad Apostolos* (προς τους αποστολους), hoc est, ad eos Apostolos, qui tunc forte Ierosolymis adessent. Scilicet tacitò hic ceteris fidelibus Ierosolymitanis opponuntur Apostoli, qui tunc praesentes ibi aderant; quasi dictum esset : cum ceteri fideles Ierosolymitani Paulum recipere nollent, Barnabas illum duxit *ad Apostolos* (προς τους αποστολους). Atqui sic nihil dicitur, quod non sit verissimum et plane conveniat cum iis quae Paulus in sua epistola de se retulit. Nam quum ad Apostolos *duos* illos qui tunc temporis Ierosolymis versarentur, adductus fuerit Paulus, profectò adductus fuit *ad Apostolos* (προς τους αποστολους).

Aliud *falsum* ab auctore Actuum admissum fuisse Wettius conficit ex collatione eorum quae leguntur Act. XVII : 14, sq. et XVIII : 5 cum iis quae scribit Paulus in I ad Thessalonicenses Cap. III : 1, sq. Ad quam obiectionem respondemus in Commentario ad Act. XVII : 16.

c) Ad *contradictoria* veniamus. Notum autem est, in libro Actuum triplici in loco (scil. Act. IX : 3, sqq.; XXII : 6, sqq.; et XXVI : 14, sqq.) relationem fieri de Pauli conversione. Wettius ergo affirmat tres illas eius rei narrationes inter se pugnare et invicem sibi contradicere. — Huic quoque obiectioni respondemus in Commentario ad Cap. IX : 1—21. Ad duo alia, quae idem obiicit, pariter responsum est ibidem ad Cap. I : 18, et ad Cap. V : 36. Ceterae eiusdem obiectiones refutatione non indigent.

Reliquum est ut observemus, communi illi antiquorum testi-

monio quo Lucae Evangelistae auctori liber Actuum tribuitur, minime officere id quod Photius refert, fuisse nempe qui dicerent, aut *Clementem Romanum* aut *Barnabam* ejus libri esse auctorem. Nam et paucorum fuerit haec sententia, et indoctorum, et ab ipso Photio tamquam falsa refellitur[1].

---

[1]) Τον δε συγγραφεα των Πραξεων οἱ μεν Κλημεντα λεγουσι τον Ρωμης, αλλοι δε Βαρναβαν, και αλλοι Λουκαν τον Ευαγγελιστην. Αυτος δε Λουκας επικρινει. Πρωτον μεν εξ ὡν προοιμιαζεται, ὡς και ἑτερα αυτῳ πραγματεια τας δεσποτικας περιεχουσα πραξεις καταβεβληται. Δευτερον δε, εξ ὡν και των αλλων ευαγγελιστων διαστελλεται, ὁτι μεχρι της αναληψεως ουδεις αυτων το συνταγμα προελθειν εποιησατο, αλλ' οὑτος μονος και την αναληψιν ακριβως εξηγησατο, και παλιν την των Πραξεων απαρχην απο ταυτης ὑπεστησατο. Ματθαιου μεν γαρ τελος εχει το ευαγγελιον, οἱ ἑνδεκα μαθηται επορευθησαν. Τελος ἑως της συντελειας του αιωνος. Αμην[1]. Και περι μεν της αναληψεως ουδεν προστιθησι. Μαρκος δε ει και μνημονευει, αλλ' ὡς εν επιδρομῃ, λεγων· Ὁ μεν ουν Κυριος μετα το λαλησαι αυτοις ανεληφθη εις τον ουρανον, και εκαθισεν εν δεξιᾳ του Θεου. Ουτε γαρ τον τροπον, ουδ' αλλο τι των συνεκτικων κεφαλαιων τῃ τηλικαυτῃ πραξει συνδιελαβεν. Ιωαννου δε το ευαγγελιον τελει αναληψεως μεν ου παρεδωκεν ἱστοριαν, επεσημαινετο δε, ὁτι πολλα και αλλα εποιησεν ὁ Ιησους, ἁτινα εαν γραφηται καθ' ἑν, ουδε αυτον οιμαι τον κοσμον χωρησαι τα γραφομενα βιβλια. Μονος δε, ὡς ειρηται, Λουκας και την αναληψιν εν τῳ τελει του ευαγγελιου πλατυτερον διεξηλθεν, και την αρχην των Πραξεων απο ταυτης προαγει. (*Ex Photii Amphilochiis; Quaest.* CXLV. Leguntur in *Curis* Wolfii, ad calcem Tom. V, p. 731, sq.). h. e. « Scriptorem verò Actuum alii *Clementem Romanum* appellant, *Barnabam* alil, alii vero *Lucam Evangelistam*. Ipse vero Lucas rem definit, quando primum quidem in limine libri praemonet, quod aliam commentationem, Domini gesta complecteutem, scripserit. Deinde vero a ceteris Evangelistis in eo differt, quod nemo eorum tractationem suam usque ad adscensionem Christi producit, ipse vero solus et adscensionem illam accurate exposuit, et ab eadem Actuum initium fecit. *Matthaei* quidem Evangelium in eo desinit, ut discipull undecim profecti dicantur, finisque eius est : *usque ad consummationem mundi. Amen.* Itaque de Adscensione nihil addit. *Marcus* vero nou tam enarrat eam, quam obiter quasi commemorat, dicens : *Dominus itaque, postquam cum illis locutus erat, receptus est in coelum, et consedit ad dextram Dei.* Itaque nec modum, nec locum, nec alia, quae cum actione hac coniuncta erant, persequitur. *Ioannis* denique Evangelium historiam Adscensionis in fine non tradidit, subinnuit verò, multa alia fecisse Iesum, quibus in unum collatis, non credere se, ipsum mun-

[1]) Est hic sine dubio mendosa lectio.

3. De canonica huius libri auctoritate.

Auctoritatem hanc comprobant varii sacrorum librorum Catalogi, qui inde ab antiquissimis temporibus aut editi fuere ab Ecclesia docente, aut a Patribus secundum traditionem Ecclesiae conscripti. Sed varios illos Canones recensere non est huius loci. Hoc tamen obiter hic notare iuvat, nempe librum Actuum Apostolorum inter Scripturas Canonicas recensitum legi etiam in fragmento illo Canonis antiquissimi, tertii, ut videtur, saeculi; quod fragmentum ex Codice Bibliothecae Mediolanensis primus edidit Antonius Muratori in suarum *Antiquitatum Italicarum medii aevi* Tomo III, p. 854. Pertinet autem liber Actuum ad classem sacrorum librorum Protocanonicorum, quod et Eusebius testatur, quum hunc librum recenseat inter ὁμολογουμενα (vide Euseb. H. E. Lib. III, Cap. 25). Et verò non alii in tota antiquitate Canonicam auctoritatem huic libro denegasse leguntur, quam haeretici nonnulli, idque non alia de causa nisi quod ipsorum placitis erat contrarius. Nam *Ebionitae* quidem repudiarunt hunc librum, quia negabant abolitam fuisse legem Mosaicam (vid. Epiph. Haer. XXX, Cap. 16 et 29. Iren. contr. Haer. Lib. V : 1); *Severiani* autem ideò, quòd ciborum discrimen observandum esse affirmabant (vid. Euseb. H. E. Lib. IV : 29); *Manichaei* tandem reiecerunt Actuum Apostolorum librum, quia docebant promissionem de mittendo Spiritu Sancto adimpletam demum fuisse in suo haeresiarcha Manichaeo, quem ipsi affirmabant verum illum fuisse Paracletum, quem Dominus venturum esse praedixerat (vid. S. Aug. Ep. 237, al. 253).

4. De argumento huius libri eiusdemque praestantia.

Exordium ducitur a narratione de Iesu Christi in coelum adscensu et mirabili illa Spiritus Sancti in Apostolos descensu, qui brevi post subsecutus est. Deinceps vero describitur, ut Ecclesia Christi per praedicationem Apostolorum exordium ceperit

---

dum libros de iis scriptos capere posse. Itaque unus *Lucas*, quod dixi, et adscensionem in fine Evangelii latius persequitur, et ab eadem Actuum facit initium. » *Ex latina versione eiusdem Wolfii.*

et incrementa, primùm quidem inter Iudaeos, mox vero etiam inter Gentiles. Pauli res gestas Lucas fuse persequitur[1], in Petri autem gestis referendis parcior est; de iis verò, quae a ceteris Apostolis praestita sunt ad propagationem Evangelii, nulla aut ferè nulla mentio in Lucae libro occurrit. Quia tamen quaedam in eo referuntur quae ad Apostolos omnes attinent, non immeritò liber inscriptus fuit πραξεις αποστολων. Historia perducitur usque ad Pauli prima vincula Romana.

De hujus libri praestantia rectè iudicavit Calmetus (*Praefat. in Acta Apostolorum*). « Post descriptam vitam et doctrinam Iesu Christi, *inquit*, nullum aliud dignius tractandum erat argumentum, nullum utilius, nullum maioris ad Ecclesiam momenti, sive exempla spectes ad dirigendos mores, sive institutiones ad doctrinam formandam. Impleta exhibet ille liber plura Filii Dei oracula, uti de illapsu Sancti Spiritus. Specimen praebet Christianae illius perfectionis, cuius ideam omnem implet priorum Fidelium vita pariter et disciplina. Patent insuper insignia virtutum exempla; patent prodigia S. Spiritus in redigendis ad Fidem Gentibus; et super omnia prodigia patet prodigium constitutae Ecclesiae Christianae. »

5. De tempore quo hic liber editus sit.

S. Lucas, ut iam innuimus, narrationem suam perducit usque ad finem illius biennii quod Paulus peregit in prioribus suis vinculis Romanis. Ex quo illud saltem confici potest, librum Actuum non ante hoc tempus fuisse editum; sed non inde consequitur, librum hunc Romae et quidem biennii illius spatio fuisse compositum, quod S. Hieronymus sentire videtur[2]. Conscriptum fuisse librum Actuum post demum Ierosolymitanam cladem, ut quidam voluerunt,

[1]) Inde a Cap. XIII usque ad finem libri sermo fere est de solius Pauli rebus gestis; in praecedentibus vero capitibus tam Pauli quam ceterorum Apostolorum res gestae enarrantur. Quare non sine causa liber iste in duas partes dividi potest.

[2]) « Aliud quoque, *inquit*, edidit volumen egregium, quod titulo Πραξεις Αποστολων praenotatur, cuius historia usque ad biennium Romae commorantis Pauli pervenit, id est, usque ad quartum Neronis annum; ex quo intelligitur in eadem urbe librum esse compositum. » *De scriptoribus ecclesiasticis*, Cap. 17.

nullo, quod seiam, argumento probari potest; certe ne minima quidem mentio istius cladis in toto libro occurrit. Sed mentio ibi fit (Cap. VIII : 26) devastatae urbis Gazae[1]; atque hinc aliqua probabilitate tempus conscripti huius libri colligi forsitan poterit. Nam cum illa urbs devastata fuerit paulò ante obsidionem Ierosolymorum, Ierosolymitanae autem cladis nuspiam ibi mentio fiat, coniici posse videtur, librum Actuum compositum fuisse illo temporis spatio, quod fuit a devastata Gaza usque ad Ierosolymorum obsidionem, quae incidit in annum 70 post C. N. Inde verò consequitur, etiam coniici posse, Actuum librum conscriptum fuisse post demum Pauli necem. Quod autem gloriosam eius mortem Lucas non recordatur, et alia bene multa silentio praetermittit, id quidem varia de causa fieri potuit; nam alia quidem aut omnino ignoraverit, aut certa scientia comperire non potuerit; alia vero Theophilo suo plenissime iam cognita fuisse certo sciverit; alia denique praeterire potuit, quòd ea scopo suo non inservirent.

6. De fontibus undè Lucas rerum narratarum scientiam hauserit.

Cum liber Actuum certissima traditione et Catholicae Ecclesiae, in quam error non cadit, oraculo, inter Scripturas Canonicas recenseatur, eo ipso indubitata fide credendum est, hunc librum esse ex numero θεοπνεύστων, sive *divinitùs inspiratorum*. Theopneustia autem haec cum variè concipienda sit pro varietate librorum quibus ea competit, de huius libri historici theopneustia dixerim, eumdem eatenùs esse divinitùs inspiratum, quatenùs eius auctor a Spiritu Sancto *et* ad scribendum fuerit permotus, *et* inter scribendum directus, *et* ab omni errore praestitus immunis. Ex quo conficitur, in historiographo θεοπνεύστῳ requiri tamen diligentiam in notitia rerum scribendarum sibi comparanda. Quaeri ergo potest unde Lucas habuerit notitiam rerum, quas scripto mandavit. Et ex triplici omninò fonte hanc notitiam hausisse videtur; quaedam nempe testis oculatus et auritus ipse viderit et audierit, quum per aliquod temporis spatium Pauli itinerum comes fuerit; quaedam autem ex ipsius Pauli aliorumque relatione

[1]) Videsis quae ad eum locum notavimus in Commentario.

acceperit; quaedam tandem ex suis aut aliorum scriptis documentis habuerit. Et ad postremum quidem notitiae fontem retulerim, inter alia, tum epistolas duas (Cap. XV : 23, sqq., et XXIII : 26), libro Actuum verbotenùs insertas, tum Petri, Pauli, et Stephani orationes, quae a Luca recitantur.

7. Interpretes.

Pauci sunt inter antiquos scriptores qui interpretando libro Actuum operam suam impenderint. Sunt autem sequentes :

S. Ioannes Chrysostomus, cujus in hunc librum exstat commentarius homeliticus.

Cassiodorus (Saec. V), qui scripsit *Complectiones in Acta Apostolorum* (Cassiodori opera edidit Scipio Maffeius Florentiae, 1721).

Aratus Diaconus (Saec. VI), qui paraphrasi poetica Actus Apostolorum illustravit.

Theophylactus (Saec. XI), in Bulgariae Archiepiscopus.

Ven. Beda duo in Actus Apostolorum opera edidit; prius inscribitur : *Expositio super Acta Apostolorum* : posterius verò : *Liber retractationis in Actus Apostolorum.*

His addatur *Catena Graeca in Acta Apostolorum,* recentissimè edita Oxonii. Commentarius hic potissimum quidem ex Chrysostomi homiliis in Acta confectus est; sed tamen etiam non pauca ibi citata leguntur aliorum Patrum et scriptorum antiquorum dicta in varia Actuum Apostolorum loca. Ex sententia Crameri, Catenae illius editoris, Oecumenii opus in Acta Apostolorum nihil aliud est quam illius Catenae epitome, in qua auctorum nomina taceantur, et excerpta in unum quasi corpus redigantur.

Inter scriptores recentiores, qui nempe singulatim in librum Actuum commentarium ediderunt[1], adnumerandi sunt sequentes :

Ex Catholicis : Ioannes Gagnaeus (*Scholia in Actus Apostolicos, ex praecipuis tam Graecorum quam Latinorum sententiis*

---

[1]) Omittimus hic scriptores recentiores qui in omnes, aut certe in plerosque Novi Testamenti libros commentarios ediderunt; de his alio opportuniore loco dicturi sumus, si Deo placuerit.

selecta, Ioannis Benedicti theologi cura emendata. Auctore Ioanne Gagnaeo Parisino. Parisiis. 1552.

Arias Montanus (*Ariae Montani elucidationes in Acta Apostolorum. Antverpiae.* 1575.

Bartholomaeus Petrus (*Actus Apostolorum a S. Luca conscripti; et in eosdem commentarius perpetuus, Deo dante, concinnatus per Bartholomaeum Petrum, Lintrensem, S. Theol. Doctorem et in Univers. Duacensi Professorem primarium.* Duaci. 1622.

Ioannes Lorinus (*Ioannis Lorini Avenionensis, Societatis Iesu, in Acta Apostolorum commentaria.* Lugduni. 1605.

Casparus Sanctius (*Casp. Sanctii Soc. Iesu, Commentarii in Actus Apostolorum.* Lugduni. 1616.

Libertus Fromondus (*Actus Apostolorum brevi et dilucido commentario illustrati, auctore eximio viro Liberto Fromondo, sacrae Theologiae Doctore, et Sacrarum Litterarum in Academia Lovaniensi Professore Regio.* Lovanii. 1654.

Ex Acatholicis. Philippus a Limborch (*Philippi a Limborch commentarius in Acta Apostolorum.* Roterodami. 1711.

Pearce (*A commentary on the Acts of the Apostles.* London. 1777.

Thiess (*Lucas Apostelgeschichte neu übersetzt, mit Anmerkungen, einer Einleitung, und Commentar.* Leipzig. 1800.

Valckenaer (*Selecta e scholis Casp. Valckenarii in Actus Apostolorum Lucae, editore Wassenbergh.* Amstelodami. 1815.

Kuinoel (*Acta Apostolorum illustravit C. F. Kuinoel.* Lipsiae. 1818.

APPENDIX.

Index codicum uncialium et versionum antiquarum libri Actuum Apostolorum.

Codex A. *Alexandrinus.* Qui censetur exaratus Saeculo V.
Codex B. *Vaticanus.* Censetur exaratus Saeculo IV.

Codex C. *Regius.* Exaratus videtur Saeculo V vel VI. Deficit Act. Cap. IV : 3—V : 34; X : 43—XIII : 1; XVI : 36—XX : 10; XXI : 31—XXII : 20; XXIII : 18—XXIV : 14; XXVI : 20—XXVII : 16; XXVIII : 5—fin.

Codex E. *Laudianus.* Scriptus censetur Saeculo VII vel VIII. Mutilus est Cap. XXVI : 29—XXVIII : 26.

Codex D. *Cantabrigiensis.* Scriptus putatur ineunte Saeculo VII. Deficit Cap. VIII : 29—X : 14; XXI : 2—10 et 15—19; XXII : 10—20; XXII : 29—XXVIII—fin.

Codex F. *Coislinianus.* Tribuitur Saeculo VII. Non nisi quatuor continet fragmenta haec : Act. IV : 33, 34; IX : 24, 25; X , 13, 15; XXII : 22.

Codex G. *Angelicus.* (Bibliothecae Romanae Angelicae) Scriptus censetur Saeculo VIII vel IX. Mutilus est Act. I : 1—VIII : 10.

Codex H. *Mutinensis.* Exaratus est Saeculo IX, sed Cap. I : 1—V : 28 addita sunt Saeculo XV, et Cap. XXVII : 1—fin. Saeculo XI, ut Tischendorfius notat.

Minuscc. sunt Codices litteris *minusculis* sive *cursivis* scripti indè a Saec. X usque ad XVI.

Signum stellulae (*) notat sic legi a prima manu; si bis scribitur (**), significatur sic correctum esse in Codice.

Aeth. notat versionem Aethiopicam, factam Saec. IV.

Arm. notat versionem Armenicam, factam Saec. V.

Copt. notat versionem Copticam, factam Saec. III.

Ital. notat versionem Italam (Latinam ante-hieronymianam, factam Saec. I vel II).

Sahid. notat versionem Sahidicam, factam Saec. III.

Syr. notat versionem Syriacam (Peshito), factam Saec. II.



INTERPRETATIO

LIBRI ACTUUM APOSTOLORUM.

CAPUT PRIMUM.

ARGUMENTUM. Prologus, quo simul fit narrationis exordium, idque ducitur a Christo Apostolis redivivum sese exhibente, et cum iis convescente ac colloquente, et Spiritum Sanctum illis promittente, vs. 1—9. Christus in coelum adscendit, spectantibus Apostolis, vs. 9 12. Apostoli redeunt Hierosolymam, ubi accepturi essent Spiritum Sanctum, vs. 12—15. Hortante Petro, Matthias in locum Iudae proditoris sufficitur, vs. 15—26

1. *Primum quidem sermonem*): Scripsit *τὸν μεν πρωτον λογον* pro *προτερον* (*priorem*); nam ad *alterum* suum sermonem sive narrationem (*λογον*) de rebus gestis Iesu Christi, hoc est, Evangelium suum, Lucas hic animum attendit. Attamen veteres etiam Graeci, loquentes *de duobus*, aliquoties *πρωτος* pro *προτερος* dixerunt. Post *πρωτον μεν* exspectasses Apodosin subjiciendam per *δὲ* Particulam; verùm, missâ Apodosi[1], quae incipienda erat post *ανεληφθη*, Lucas cum vocibus *τοις αποστολοις*, quas in Protasi expresserat, exordium suae narrationis connectit. *Περι πραγματος τινος λογον εποιησαμην* vel *τον λογον*, *de re aliqua narrationem feci*, optimis scriptoribus est usitata forma loquendi. Sic Polybius (apud Valcken. ad h. l.) : *εν τρισι τον ὑπερ αυτου*

[1]) Itaque *μεν* ibi *solitarium* est. Qua de re vide quae monui in Gr. p. 520, ε, et Cf. Kühner, § 734.

πεποιημεθα λογον. De forma *media* εποιησαμην vide Gr. p. 268. Theophilus ille quisnam fuerit, id quidem latet; liquet verò ex verbis Luc. I : 3, 4, non unumquemque θεοφιλον sive *Dei amantem*, sed certum quemdam virum hic compellari.

de omnibus quae coepit Iesus facere et docere). Scripsit Lucas περι παντων ὧν pro ἁ. Vide Gr. pag. 161 et 313. Quod autem dicit *de omnibus*, id non nimis premendum est; nam ex Evangelio sancti Ioannis patet, Lucam tacuisse de rebus gestis Iesu Christi non paucis, quae tamen quin compertae ipsi fuerint, non est cur dubitemus. Conf. Luc. I : 2, 3. *De omnibus fecit sermonem*, ait S. Augustinus (de Cons. Evang. IV.), *eligendo de omnibus unde faceret sermonem*. In locutione ista, *quae coepit facere et docere usque in diem*, breviloquentiam esse vult Winerus, verba Lucae sic exponens : *quae agere et docere coepit, et in quibus peragendis et docendis continuavit usque in diem*, etc. Ad firmandam hanc interpretationem, affert tamquam phrases parallelas Luc. XXIII : 5, Act. I : 22, et Matth. XX : 8. At vero horum locorum alia ratio est, quum in his exprimatur *terminus a quo*. Rectius, opinor, dixerimus, αρχομαι Verbum conferendum hic esse cum Gallico *se mettre* in hac locutione : *il se mit à faire telle ou telle chose*, ubi illud Verbum ferè pleonasticè alteri Verbo jungitur. Itaque putem, voces istas, ηρξατο ποιειν, reddendas esse : *quae fecit*, ita tamen ut hac phrasi unà innuatur, fuisse aliquid *continui* in actu, qui sic narratur. Conf. Luc. V : 21, VII : 24, XII : 45, XIV : 18, 30, XIX : 45, in quibus locis Evangelista, ut mihi quidem videtur, eamdem locutionem simili modo adhibuit. Ceterum, illud *facere et docere* referendum est ad Iesu Christi miracula, instituta, doctrinam, praecepta atque consilia, et imprimis eò pertinet, quod *tradidit semetipsum pro nobis oblationem* (Ephes. V : 2) *propter delicta nostra, et resurrexit propter iustificationem nostram* (Rom. III : 25). De etymo et notione sacratissimi nominis Iesu disputavimus in commentario in Ep. ad Philippenses, ad Cap. II : 9.

2. *usque in diem*, etc.). Graeca αχρι ἧς ἡμερας—ανεληφθη per *attractionem* dicta sunt pro αχρι της ἡμερας, ᾗ—ανεληφθη. Cf. Gr. p. 161. Eadem Attractio occurrit etiam Luc. I : 20 et XVII : 27. Pro Latino *praecipiens* graecè est Aor. Participium εντειλαμενος, hoc est, *quum mandatum dedisset*, ab εντελλεσθαι, quod est Verbum *Deponens Medium*, ut loquuntur Grammatici. Cf. Gr. §. 39, 7. Hoc vero *mandatum*, Chrysostomum secutus, intelligo omnium, ut videtur[1], supremum illud, quod SS. Matthaeus (XXVII : 16—20) et Marcus (XVI : 14—20) memorarunt : *Euntes ergo docete omnes gentes*. Voces δια Πνευματος ἁγιου connectendae non sunt cum ἐξελεξατο, nec cum ανεληφθη, sed, quod jam ipsa vocabulorum positio indicat, cum Participio εντειλαμενος[2]. Scilicet Iesus Christus, sicut nihil non per Spiritum Sanctum agebat, ita hic quoque dicitur mandatum illud Apostolis suis dedisse *per Spiritum Sanctum*. Itaque sensus est : *usque in diem quo, per Spiritum Sanctum dato a se Apostolis, quos elegerat* (ἐξελεξατο), *praecepto, sublatus est in coelum*. « Vides, quomodo (Lucas) adhuc de Christo humiliter (i. e. secundum humanam naturam) loquatur, ut et ipse de se ipse loquebatur, dicens : *Si autem ego in Spiritu Dei eiicio daemonia* (Matth. XII : 28). Etenim Spiritus Sanctus in illo templo operabatur. Non dixit *adscendit*, sed *assumptus est* (ανεληφθη), quia de illo ut homine adhuc loquitur. » S. Chrys. Hom. I in Act. Ap.

3. *Quibus et praebuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis*, cet. Diligenter Lucas hic notat, Apostolis, qui Christum praedicaturi essent redivivum, de eiusdem resurrectione quam plenissime constitisse.

---

[1]) Cf. Maldonat. ad Matth. XXVIII : 18, et ad Luc. XXIV : 48.

[2]) Consentit Scholiastes Cod. *h.* (ex Mosqq.) qui ad vocem εντειλαμενος haec scribit : ἡ συνταξις οὑτως· δια πνευματος εντειλαμενος. Τι δε ενετειλατο; πορευθεντες μαθητευσατε παντα τα εθνη, και τὰ ἑξης.

Graeca reddenda sunt : *quibus* (apostolis) *etiam* (και) *exhibuerat* (Aor. παρεστησε) semetipsum *viventem* (ζωντα) *post passionem suam* (το παθειν αυτον) et mortem. « Verbum ἵστημι cum omnibus Compositis activâ gaudet significatione *collocandique*, *statuendique*, praeterquam in Temporibus Praeteritis et Aoristo secundo, in quibus viget neutra vis *standi*. » Valck. a. h. l. Viventem postquam mortem obiisset (μετα το παθειν αυτον[1]) se Iesus Apostolis suis exhibuerat εν πολλοις τεκμηριοις, h. e. *per certa indicia multa*, puta, aut palpandum se ipse praebendo, aut vulnera sua ostendendo, aut cibum sumendo, aut similia faciendo. Cf. Luc. XXIV : 29, 30, 39; Ioh. XX : 15, 20; Act. X : 41, 42. Praepositio εν hic adhibetur ad indicandum *instrumentum quo* quid fit. Cf. Gr. p. 417, ε. Certa autem illa indicia (τεκμηρια), quibus Apostoli certi redderentur, eum revera in vitam rediisse et vivere, Iesus illis dederat οπτανομενος αυτοις, *conspiciendum se illis praebens* per quadraginta dies, puta, non tot diebus continuatè sed *interdum*, iterum atque iterum per (δια, *durant*) totum illud quadraginta dierum spatium[2]; nam ut hoc jam apparendi actus per se postulat, ita etiam aliunde constat, et praeterea satis indicatur per antegressum εν πολλοις τεκμηριοις. « Tam longo conspectûs sui spatio rei veritatem comprobans, ne id quod videbatur, phantasma esse putarent. Neque his contentus, mensam etiam addidit, id quod etiam postea dicit : *et convescens cum illis*. Hoc autem ipsi Apostoli semper in resurrectionis argumentum sumserunt, dicentes (Act. X. 41) : *qui manducavimus et bibimus cum illo*. » S. Chrys.

et loquens de regno Dei). Graece : λεγων τα περι της βασιλειας

---

[1]) De hac Syntaxi vide Gr. § 45, 2, β.

[2]) Recte hoc ad voces δι' ἡμερων monet Scholiastes Cod. *a*. (ex Mosqq.) : καλως ουκ ειπεν, inquit, εν ἡμεραις τεσσαρακοντα, αλλα δι' ἡμερων τεσσαρακοντα· ου γαρ διηνεκως αυτοις, ὡς και προτερον, συνην, αλλ' εφιστατο και αφιστατο παλιν.

του Θεου, h. e. loquens de rebus, quae ad regnum Dei pertinebant. De *regno Dei* dicimus infra, ad Cap. VIII : 12.

4. *Et convescens*). Superiore versiculo Lucas universè narravit congressus et colloquia, quae Iesus redivivus habuerat cum suis Apostolis; his nunc (vs. 4) annectit (και) id quod a Salvatore gestum dictumque fuit in postrema eius apparitione, quo tempore, spectantibus discipulis, *sublatus est in coelum*.

Pro *convescens* Graece est vox συναλιζομενος[1], *congregatus*. Participium resolvas ita : *et cum esset cum illis congregatus*. Vocem συναλιζειν habere notionem *congregandi*, indubium est. Vide Henr. Steph. ad vocem ἅλις, et Valck. a. h. l., item Suicer. ad hanc vocem. Atque ita iam Hesychius συναλιζομενος interpretatus est per συναχθεις et συναθροισθεις. Attamen non ausim dicere, vitiosam hic esse interpretationem Vulgatae, in qua vox συναλιζομενος redditur *convescens*. Scilicet videntur Graeci habuisse derivatum ab ἅλς, *sal*, Verbum Denominativum συναλιζεσθαι (quasi *sale communi uti*), quod de *convescendo* diceretur; nam et Syrus interpres vocem ita intellexit[2], eodemque modo eam vocem interpretati sunt S. Chrysostomus (ad h. l.) et Oecumenius (ad h. l.). Et sic quoque verba Psalmi CXLI : בַּל אֶלְחַם בְּמַנְעַמֵּיהֶם, quae verba a Symmacho redduntur : μη συμφαγοιμι τα ἡδεα αυτων, vetus quidam interpres reddidit : μη συναλισθῶ εν ταις τερπνοτησιν αυτων. Ad haec, Athenaeus (*Deipnos.* Lib. 2, 3, teste Valckenario ad Act. I : 4) verbo Simplici ἁλιζεσθαι eam notionem tribuit; et in Etymologico Magno huic voci utraque significatio, et *congregandi* et *convescendi*, adscribitur : συναθροιζομενοι, η συνεσθιοντες. Apud Scholiasten (Cod. *h.* ex Mosqq.) legimus : κοινωνων ἁλων, κοινωνων τραπεζης.

---

1) Var. Lect. συναυλιζομενος (*una commorans*) non nisi paucos habet testes. Librarius quum vocem συναλιζομενος, rarò obviam, non satis intelligeret, pro ea scripserit συναυλιζομενος, quod magis obvium est.

2) ܗܘ̇ ܐܟܠ ܥܡܗܘܢ ܡܠܚܐ.



Pro versione Vulgata facit etiam hoc, quod justo verbosior videatur oratio, si Lucam dixisse censeas : *et quum congregatus esset cum iis, praecepit eis*, etc.; nam ex posteriori hoc, prius illud ita colligitur, ut otiosum videatur expresse illud notare. Contra, si vertamus : *et* (aliquando) *convescens cum ipsis, praecepit eis*, etc., Lucas hic enunciaverit unum ex multis illis τεκμηρίοις, quae modo (vs. 3) universe significaverat. Cf. etiam Marc. XVI : 14—20 et Act. X : 41.

Quae quum ita sint, a Latina Vulgata nolim hic recedere; adeoque Graeca verto : et *quum* aliquando *convesceretur cum illis*. Quum vero ea quae Lucas hic narrat usque ad vs. 9, quo adscensio Christi memoratur, continuo tempore gesta sint, omnino videtur dicendum, comestionem illam Iesu cum Apostolis locum habuisse ipso eo die, quo in coelum sublatus est, puta, antequam illos educeret extra Hierosolymam in Bethaniam. Cf. Luc. XXIV : 50. Inter prandendum ergo illis praeceperit, *ut ne ab Hierosolyma discederent*, nec statim arduum illud munus praedicandi Evangelii arriperent, *sed* ut, Hierosolymae congregati, *exspectarent quoadusque induerentur virtute ex alto* (Cf. Luc. XXIV : 49), hoc est, ut exspectarent *Spiritum Sanctum;* quem vocat hic, quemadmodum et Lucae XXIV : 48, *promissionem* (τὴν ἐπαγγελίαν) *Patris, quam ab ipso audierant*, quia Spiritus Sanctus a Patre illis promissus fuerat *per Iesum*. Cf. Ioan. XIV : 16, XV : 26, XVI : 7. Per metonymiam vero dictum est *promissio* pro *re promissa*. Intelligitur autem promissio *de effundendo Spiritu Sancto*, quae legitur apud Ioëlem Cap. III : 1, 2. Cf. Act. II : 16, seq. et Luc. XXIV : 49.

quam audistis, inquit, per os meum). Graece est : ἣν ἠκούσατέ μου, *quam a me audivistis*. Iesus nempe repetitis vicibus (Ioan. XIV : 16, XV : 26, XVI : 7) Apostolis suis promiserat Spiritum Sanctum, quem Luc. XXIV : 49 vocat *promissionem Patris*. Oratio obliqua hic transiit in rectam, ut et Luc. V : 14, idque

non inserto ἐφη, vel simili vocabulo, quod, mutata hoc modo oratione, apud profanos fieri solet. « Genitivus μου regitur a suppressa Praepositione ἐκ vel παρα, quae per Ellipsin saepe reticentur post verba omnia, quae significatum habent *audiendi*, *intelligendi*, *cognoscendi*, etc., atque adeo post ἀκουειν, μανθανειν, πυνθανεσθαι, cet. — *Aliquid ab aliquo* vel *ex aliquo audire* Graece dicitur, per Ellipsin, ἀκουειν τι τινος. Reperietur in Aeschin. Socrat. Dial. I, p. 12 : ταυτα ἀκηκοας των πρεσβυτερων. » Ita Valck. ad h. l.; sed vide Gr. p. 201.

5. *quia Ioannes*). Apostolis suis significat, qualis sit illa *promissio Patris*, unaque ad mentem eorum revocat id, quod Baptista divinitus edoctus (Ioan. I: 33) de ipso praedixerat (Matth. III : 11): *Ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiam : qui autem post me venturus est... ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni.* In locutione ista, *baptizari in Spiritu Sancto*, vox *baptizari*, ut patet ex adjecto, dicta est tropice de effusione Spiritus Sancti, qua Apostoli, copiose instar aquae, tingerentur *non post multos hos dies*, h. e. non post dies multos *ex illis diebus*, qui tunc currebant, ergo infra paucos dies; nempe die ab adscensione Christi decimo, sive quinquagesimo (πεντεκοστῃ ἡμερᾳ) post ejusdem resurrectionem. Ὑδατι est Dativus *instrumenti*; et Praep. ἐν in locutione ἐν Πνευματι ἁγιῳ itidem inservit ad indicandum *instrumentum quo* quid fit.

6. *Igitur qui convenerant*). Sunt hi illi ipsi, quibuscum Christo fuit novissima mensae communio (vs. 4, συναλιζομενος), nempe undecim Apostoli (Cf. vs. 4, 3, 2). Qui ex praecepto illis dato (vs. 4) de manendo Hierosolymae et exspectando adventum Spiritus Sancti, collegerant fieri posse ut brevi restitueretur lapsum regnum Israëliticum. Scilicet erant adhuc et Apostoli in errore, inter Iudaeos illius aevi communi, futurum esse temporale Mes-

siae regnum. Confer Matth. XX : 20 et Luc. XXIV : 21. Igitur (ουν) eorum unus sic cum interrogat : Domine, num hoc tempore (scil. modo designato per illa οὐ μετα πολλας ταυτας ἡμερας) restauraturus es in favorem Israëliticae gentis (τῷ Ισραηλ, Dativ. commodi) lapsum eorum regnum?

7. Interrogatio Apostolorum a Christo reiicitur (δε, *doch*) *generali* illo monito, quo docet, mortalibus non esse curiose indaganda ea, quae Deus in occulto posuit suaeque scientiae reservavit. Bene Corn. a Lapide ad h. l. : « Christus ad quaestionem eorum non dat directam solutionem, quia eius adhuc erant incapaces; sed retundens eorum curiositatem, indirecte et tacite eamdem solvit; scilicet venturum Spiritum Sanctum, ut intrepide Christi regnum spirituale per fidem, in Iudaea et Samaria, totoque orbe propagent. » Quod Iesus hic dicit : *Non est vestrum*, etc., eo docere videtur duo esse rerum cognoscendarum genera : et ea quidem, quae posita sunt in naturalium causarum veluti potestate, haec eo ipso humanae indagationi ac scientiae sunt subiecta, eaque Deus hoc modo hominibus veluti patefacere voluit; cetera vero, quae ab his causis non pendent (*quae Pater posuit in sua potestate*), quaeque Deus noluit hominibus patefacere, ea nullo modo ab iis cognosci possunt, adeoque nec sunt ab iis curiosius quaerenda. Talia sunt *tempora aut temporum articuli* (χρονοι ἢ καιροι), quibus certae quaedam res evenire debeant. Καιρος denotat *tempus certum quoddam* cum adjuncta notione opportunitatis. Cf. Matth. XXI : 41; Ioan. VII : 6. *Pater* hic dicitur *notionaliter*, ut loquuntur Theologi, id est, de prima Persona sanctissimae Trinitatis. Alibi, v. g. in oratione, quae vocatur Dominica, vox *Pater* accipitur *essentialiter*, et intelligitur Paternitas toti Trinitati communis.

8. *sed accipietis virtutem* (δυναμιν) *supervenientis Spiritus*

Sancti in vos), scil. supernaturale quoddam mentis robur, quo veluti armati ubique terrarum Iesum crucifixum annuntiarent intrepidi. Eo robore induemini, inquit, *quando advenerit* (Aor. Genitiv. absol. επελθοντος) super vos Spiritus Sanctus, atque ita, induti *virtute ex alto* (Luc. XXIV : 49), eritis mihi (μοι Dativ. Commodi) testes (μαρτυρες). Testari autem in primis debebant, Iesum crucifixum et mortuum, a mortuis resurrexisse (Vide infra vs. 22, II : 24, III : 15, IV : 10, 33, V : 30, X : 40, cet.). Et vero Christi resurrectio veluti basis quaedam est, cui tota Religio Christiana maxime innititur; nam Iesus Christus tertio post mortem die, sicut praedixerat, a mortuis resurgendo, divinum veritatis veluti sigillum universae doctrinae suae impresserat. Itaque Apostoli Christum post mortem redivivum assidue testati sunt, suique testimonii veritatem editis miraculis continuo comprobarunt. Vide Marc. XVI : 20; Act. III : 15, 16, IV : 10, V : 12. Verum non eius resurrectionem tantum, sed et universe tamquam testes praedicaturi essent et quae fecerat Iesus, et quae docuerat. Cf. Luc. XXIV : 44—49; Ioan. XV : 27; Act. X : 39. Praedicationis suae exordium fecerunt Apostoli *in Ierusalem*. Scilicet adimplenda erat Scriptura prophetica haec (Isa. II : 3) : *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem*. Cf. Luc. XXIV : 47. A Ierosolymis perexerunt in reliquam Iudaeam, et in regionem Samariae, *et usque ad ultimum terrae*, Graece : και έως εσχατου της γης, h.e. usque ad ultimum terrae terminum. Nam εσχατου elliptice dictum est pro εσχατου μερους vel περατος. Sensus est : *per universum orbem terrarum*, sive, *apud omnes gentes*, ut est Matth. XXVIII : 19; Marc. XIV : 15; Luc. XXIV : 47. Ad rem est quod hic notat Lintrensis : « Significatur tacite his verbis negativa responsio ad quaestionem ab Apostolis propositam : Dominum scilicet non temporale regnum allaturum genti Israeliticae, circumscriptum utique limitibus suis veteribus, sed regnum esse spirituale, ministerio Apostolorum et reliquorum Christi discipulorum eorumque

successorum stabiliendum et inchoandum Ierosolymis, inde propagandum per universam Iudaeam, universamque Samariam, et per omnes deinde nationes. Qua latitudine regnum carnalis ille Israël numquam habuit, numquam exspectavit, numquam speravit. Eadem verba Christi Domini refellunt omnes illos, qui cum sint haeretici, suam congregationem, quocumque nomine censeatur, venditant nomine Ecclesiae Christi; quoniam docere non possunt, suae sectae communitatem inchoatam et propagari coeptam fuisse Ierosolymis per Apostolos Spiritu Sancto post adscensionem Domini repletos, ac inde diffusam per Iudaeam et Samariam, *et usque ad ultimum terrae*. Quo argumento S. Augustinus in libro illo aureo de *Unitate Ecclesiae*, Cap. XI, ostendit, Donatistarum gregem Ecclesiam Christi non esse, et contra quamvis aliam haereticorum quorumlibet colluviem, sibi nomen Ecclesiae Christi arrogantem, eadem ratione idem argumentum valet. Id quod aliis verbis dici potest : nullam haereticorum multitudinem posse vocari Catholicam (quae est una proprietatum Ecclesiae), eo quod in ratione huius attributi includitur etiam hoc quod his Domini verbis exprimitur, scilicet quod ea non solum diffundatur per omnes terras, sed etiam quod huius propagationis initium fuerit Ierosolymis, inde progressae per Iudaeam et Samariam; idque totum, ministris eius negotii Apostolis Domini, per se et per suos subsidiarios. Tali enim modo, id est, per se et suos, praestiterunt id quod Dominus hic ipsis injungebat : *eritis mihi testes*, etc. Cf. Tertull. *de Praescrip.* Cap. 32, et S. Aug. *de Unitate Ecclesiae*, Cap. 4. Valde autem ponderanda sunt ista Domini verba, suum ipsius corpus, quod est Ecclesia, describentis. »

9. *elevatus est*). Graece επηρθη, id est, *sursum latus*, *sublatus est*, eoque verbo describitur eius adscensionis et principium et continuatio. Spectabant autem Apostoli tota facie conversa (βλεποντων αυτων) magistrum suum ita adscendentem. Refert Lucas in

Evangelio (Cap. XXIV : 50, seq.), Iesum, interea dum elevatis manibus Apostolis suis benediceret, in altum ferri coepisse; ut adeo inter adscendendum benediceret, et adscenderet inter benedicendum (*και εγενετο εν τῳ ευλογειν αυτους, διεστη απ' αυτων, και ανεφερετο εις τον ουρανον*). Quum ergo Apostoli Iesum sic paulatim in altum ferri spectarent et adscendentem oculis prosequerentur, tandem nubes adscendentem suscepit oculisque ipsorum subduxit. Scilicet illud *υπελαβον αυτον απο* praegnanter dictum est; quasi Belgice diceres : *eene wolk nam hem* OP *en* WEG *uit hunne oogen*. Varias de Christi adscensione quaestiones theologicas dilucide, pro more suo, tractat S. Thomas, 3 p. q. 57. De Syntaxi verborum *praegnante* dixi in Gr. pag. 539, γ.

10. *Cumque intuerentur in coelum euntem illum*). Graeca ita reddenda sunt : *quum essent intendentes* (sc. oculos suos) *in coelum, interea dum ille* (nube illa involutus) *abibat* (in coelum); nam Graece est Genitivus absolutus : *πορευομενου αυτου*. Verbum *ατενιζειν*, in quo est *α intensiva*, elliptice dicitur pro *ατενιζειν οφθαλμους* planeque refert Latinum *tendere oculos*, quod Lucretius adhibuit, Lib. I : 67. Syntaxis Participii cum verbo Substantivo hic inservit ad exprimendam *continuitatem* actus intuendi. Cf. Gr. p. 330.

ecce duo viri adstiterunt iuxta illos in vestibus albis). Graeca haec syntaxis : *και ὡς—και ιδου κ. τ. λ.*, anacoluthica est. Si ex Hebraeo liber Actuum translatus esset, agnoscerem hic constructionem Hebraicam hanc : וַיְהִי כַּאֲשֶׁר . . . וְהִנֵּה. Angeli duo, qui propter similitudinem assumpti corporis humani, in specie virili, *viri* vocantur, Apostolis adhuc coelum intuentibus ex improviso adstiterunt. *In vestibus albis;* pro eo Graece est in Singulari *collectivo* : *εν ἐσθητι λευκῃ*, ubi Praepositio *εν* dicitur de eo, quo quis indutus est, adeoque de co *in quo* quis *est;* itaque *εν* notionem suam *localem* hic plane obtinet (Cf. Gr. 415, *adnot.* 1),

et nihil opus est huic Praepositioni affingere notionem Praepositionis συν. Confer Nostratium : *in een wit kleed*. Παρειστηκειν est quidem forma temporis Plusquamperfecti, sed notionem habet Imperfecti. Vide Buttman (Griechische Sprachlehre, Berlin. 1819, 2 Th. pag. 157, sq.).

11. *qui* (viri non tantum illis adstiterunt, sed) *et dixerunt : Viri Galilaei* (sic Demostheues ad Athenienses dicebat : Ανδρες Αθηναιοι)! Cur hic diutius statis, oculos vestros frustra in coelum intendentes? Iesus enim iam ab oculis vestris subductus est, neque amplius eum videre potestis. Iam agite, Hierosolymam revertamini, adventum Spiritus S. ibidem exspectaturi, ut facere iussi estis ab eo! *Idem ille Iesus* (οὗτος ὁ Ἰησους) qui a vobis sublatus, in coelum est assumptus, *ad eum modum veniet* (in fine mundi), iudicaturus vivos et mortuos, ad quem modum (ὃν τροπον) eum nunc vidistis abeuntem in coelum, h. e. nube vectus, visibili sed immortali corpore, et forma humana. Iesum usque in coelum adscendisse, Apostoli quidem oculis suis videre non potuerant, sed hoc ab Angelis edocentur. « Ab ἕστηκα, Praeterito verbi σταω vel ἵστημι, in antiqua lingua nova verbi forma fuit propagata στηκω, εστηξω, et, augmento neglecto, στηκω, στηξω... Sic a πλησσω, in Praet. med. πεπληγα, est πεπληγω, et a ληθω, λεληθα, est λεληθω... Talia autem, origine Dorica, plurima in Dialecto Alexandrina et communi sedem fixerunt. » Valck. ad I Cor. XVI : 13. Verbum ερχομαι hoc loco, sicut et I Cor. IV. 5; XI : 28, et Apoc. I : 7 dicitur κατ᾽ ἐξοχην de reditu Christi ad extremum iudicium.

12. *Tunc*, cum gaudio magno, ut ait Luc. XXIV : 52, *reversi sunt Ierosolymam a monte qui vocatur Oliveti*. Ex quo colligitur, Christum ex illo monte in coelum adscendisse. Ελαιων est *locus olivis consitus*, h. e. *olivetum;* scilicet a multitudine olearum

mons ille ita vocabatur; imminebat autem urbi ab oriente, cetërosque, qui circa Hierosolymam erant montes, altitudine superabat. *Hierosolymae vicinus erat* (εγγυς Ἱερουσαλημ) tantoque circiter spatio ab eadem distans, quantum Iudaeis die Sabbathi licebat, citra festi violationem, conficere. Spatium hoc apud Rabbinos dicebatur תחום חשבת, hoc est, *terminus Sabbathi*. Est autem iter duorum millium cubitorum. Cf. Buxtorfii Lexic. Rabbin. ad voc. תחם. Locutio σαββατου εχον (ορος) ὁδον (*Sabbati habens iter*) ita intelligenda est, ut mons Oliveti concipiatur tamquam *habens sibi* tantum itineris, ut quis ab Hierosolyma veniat ad se. Ceterum, anacoluthon hic est; nam Syntaxis postulasset εχοντος ob antegressum ορους.

13. *Et quum introissent*) scil. domum, quam in urbe occupabant, adscenderunt in eius domus *coenaculum* (εις το ὑπερῷον). Vocabulum ὑπεροιον, contracte ὑπερῷον, Adiectivum est, nihil aliud proprie significans quam *superius* conclave, quod dicebatur plene ὑπερῷον οικημα. Vide Valcken. ad h. l. Locus ὑπερῷον hic dictus, a Iudaeis vocabatur עֲלִיָּה eoque nomine designabatur conclave privatae domus sub plano tecto summum, quo conclavi potissimum utebantur, quando precibus vacare volebant. Cf. Ackermann. Archaeol. § 36.

ubi manebant) οὗ ησαν καταμενοντες, ubi per illos dies Apostoli (vs. 2) commorari solebant, puta ad vacandum exercitio pietatis; scilicet *Petrus et Ioannes*, *Iacobus*, et ceteri. De Syntaxi : ησαν καταμενοντες, vide Gr. p. 380. Hac opportunitate utitur Lucas ad texendum Apostolorum catalogum. Legitur hic etiam Matth. X : 2, sqq.; et Luc. VI : 13, sqq.; quamquam vero non eodem ordine Apostoli ibi recensentur, ubique tamen Petrus, quemadmodum et in praesenti catalogo, primo loco ponitur. Ex quo validum sumi potest argumentum ad probandum, Petrum fuisse a Christo principem Apostolorum constitutum. *Iacobus Alphaei*,

scil. filius; fuit is primus Hierosolymae Episcopus; idem etiam *Iacobus minor* et *frater Domini* nominatur. Huius Iacobi frater erat is, qui in hoc catalogo postremo loco recensetur. *Iudas Iacobi*, scilicet *frater*[1]; hic etiam *Thaddaeus* vocabatur et *Lebbaeus*. Qui praecessit *Iacobus*, is Zebedaei erat filius, frater Ioannis Apostoli. *Simon Zelotes*, Graece ὁ Ζηλωτής, aramaice autem קַנְאָן (*Kan-an*), unde apud Matthaeum (X : 4) videtur dictus ὁ κανανίτης. Cognomen autem illud *Zelotae* cur tulerit, satis certo dici nequit.

14. *Hi omnes*). Προσκαρτερεῖν τινι notat *in aliqua re assidue perseverare*. Cf. Rom. XII : 12; Coloss. IV : 2, vel etiam *constanter alicui adhaerere*, ut Act. VII : 13. Assidue piis precibus vacabant *unanimiter*, ὁμοθυμαδὸν, quod hic potius reddendum fuisset *simul*, *una*, ut infra IV : 24; V : 12; VII : 56; XII : 20. — In versione Graeca LXX vox יַחַד, ubi *una*, *simul* notat, redditur per ὁμοθυμαδὸν, v. g. in libro Iob, Cap. XXI : 26 : יַחַד עַל עָפָר יִשְׁכָּבוּ (Vulg. *simul in pulvere dormient*), LXX : ὁμοθυμαδὸν δὲ ἐπὶ γῆς κοιμῶνται. Hesychius : ὁμοθυμαδὸν· ὁμοῦ, ὁμοψύχως.

cum mulieribus) σὺν γυναιξὶ, sine Articulo : *avec des femmes*. Intelliguntur autem Maria Magdalena, Maria Iacobi, aliaeque, *quae secutae fuerant Iesum a Galilaea, ministrantes ei*. Matth. XXVII : 55, 56; Luc. VIII : 2, 3. Ad verba ista : *et Maria matre Iesu*, Valckenaer acatholicus notat : « Propter excellentiam *Mater Iesu* distinguitur a ceteris. Pari ratione dicitur τοῖς Ἀποστόλοις καὶ Πέτρῳ, in quibus negari non debet, excellentiae gratia *Petrum* sic memorari distinctum a reliquis. » Scilicet Particula καὶ etiam hunc usum habet, ut si quid iam generice dictum est, per eam addatur unum aliquid, quod in eo genere est praestan-

[1]) De istiusmodi ellipsi vide Gr. p. 495, n. 3.

tissimum. Cf. Gr. p. 462, δ, et Bernhardy *Wiss. Synt.* pag. 48.

fratribus eius) και συν τοις αδελφοις αυτου, scil. Iesu, id quod Pronomen Masc. αὐτοῦ indicat. *Fratres* autem Domini, pro more loquendi Hebraeorum (Cf. Gen. XIV : 16; XXIV : 4, 8; XXIV : 12, 15; 2 Reg. X : 13), dicuntur eiusdem *cognati;* sed de hac quaestione, si Deo placet, uberior nobis sermo erit ad Matth. X : 2—18.

15. *In diebus illis exurgens Petrus*, cet.[1]). Εν ταις ἡμεραις ταυταις, *per eosdem illos dies*, qui nempe iam currebant, ex quo post Domini adscensionem in urbem regressi Apostoli, ibidem exspectabant adventum Spiritus Sancti. Ἀναστας Πετρος ειπεν, *surrexit Petrus* congregatos allocuturus, *et dixit*. Erant autem simul congregati, in illo, ut videtur, coenaculo, homines circa centum et viginti. Οχλος ονοματων ponitur pro οχλος ανθρωπων, ut Apoc. III : 4; eoque modo *nomina* pro *personae* nonnumquum dixerunt scriptores tam Graeci quam Latini, ut probant exempla a Wetstenio ad hunc locum allata. Locutio επι το αυτο (Vulg. *simul*) scil. χωριον, notat *unum eumdemque locum*, et mox *simul*, *una*. Cf. Matth. XXII : 34, et I Cor. XI : 20, Praepositio επι cum Accusativo hic ita dicta est *de loco*, ut notionem *motus in locum* et *mansionis in loco* simul includat. Vide Gr. p. 487, et Cf. Act II : 1 : 44. Aderant ergo huic concioni, praeter Apostolos, fideles (Cf. vs. 16) plures alii, inter quos, opinor, non defuerint plerique ex illis septuaginta discipulis, qui a Domino fuerant electi, ut narrat Lucas in suo Evangelio, Cap. X : 1.

16. *Viri fratres, oportet impleri Scripturam*, cet.) De eligendo Apostolo in locum Iudae proditoris dicturus est Petrus

[1]) Var. Lectio, vs. 15. In ABC, 8, 13, 162, et in Verss. Copt. Sahid. Aethiop. Arm. et Vulg. legitur αδελφων, sed auctoritate codicum praestat lectio μαθητων.

tamquam is, ut hic dicit S. Chrys., *cui grex a Christo concreditus erat, atque ut primus in Apostolorum choro*[1]. Εδει πληροθηναι, *debebat impleri*, h. e. comprobari eventu (quia nempe praedictum erat; erat autem praedictum, non *ut* fieret, sed *quia* erat praevisum, fore ut fieret) *Scriptura illa*, scriptum illud effatum, quod Spiritus Sanctus per os Davidis praedixerat de Iuda, etc. Nimirum loquebantur Prophetae *Spiritu Sancto inspirati*, graece φερομενοι, ut docet S. Petrus Ep. 2, Cap. 1 : 21. Fuerat Iudas ὁδηγος, *dux viae iis qui Iesum comprehendebant*, τοις συλλαβουσι τον Ιησουν. Cfr. Luc. XXII : 47.

17. *qui erat in nobis*). In Graecis codicibus non est *qui*, sed *quia* (ὁτι), atque ita est etiam in versione Itala. Scilicet datur hic ratio, ob quam in Iuda potius quam in alio quopiam oraculum Spiritus Sancti (*et episcopatum*, etc.) suum habeat complementum; et ratio est, quia oraculum illud loquitur de quopiam, qui fungebatur tali quodam officio, quali fungebatur Iudas. Graece est κατηριθμημενος ἠν συν ἡμιν, *adnumeratus erat nobiscum*, quod quid sit, statim additur per και *exegeticum* : και ελαχε τον κληρον της διακονιας ταυτης, *illique obtigit officium ministerii huius*, quo nempe funguntur ii qui nobis Apostolis adnumerantur; nam Demonstrativum ταυτης respicit illud κατηριθμημενος ην συν ἡμιν, quod praecesserat. Verbum λαγχανειν in usu primo valet *sorte accipere*, mox vero, ut hic, universe notat *nancisci*. Pariter vocabulum κληρος, proprie significat *sortem*, et, per Metonymiam, *id, quod alicui sorte obvenit;* mox vero transfertur *ad omnia, quae alicui quocumque modo obtingunt*. Hoc loco κληρος est *munus* sive *officium* Apostolatus.

18. *Et hic quidem possedit*, cet.). Quae versiculis 18 et 19 dicuntur, non sunt haec, ut mihi quidem videtur, verba a Petro

---

[1]) Ὡς εμπιστευθεις παρα του Χριστου την ποιμνην, και ὡς του χορου πρωτος.

recitata, sed parenthesis quaedam historica, tribuenda Lucae, qui, quum Theophilum in suo Evangelio de Iudae exitu non docuisset, illud, data opportunitate, hic facere voluerit. Οὗτος μεν ουν, *hic igitur*. Dictio μεν ουν hic inservit ad *transeundum* ad parenthesin illam historicam[1]. Refert Matthaeus (XXVII : 6—9), agrum figuli cuiusdam in sepulturam peregrinorum a Synedrio emptum fuisse pecuniâ illâ, quam Iudas proditionis suae mercedem acceperat. Quam rem Petrus, καταχρησει quadam usus, sic memorat : *hic igitur acquisivit sibi*[2] (εκτησατο) *agrum ex mercede suae iniquitatis*. Quod meo aere emptum est, hoc quodam modo dici possum mihi acquisivisse. Praepositio εκ, in εκ μισθου, usurpatur hic, quemadmodum et Matth. XX : 2, XXVII : 9, et Luc. XVI : 9, *de pretio quo* aliquid emitur. Vide Gr. pag. 398, ε.

et suspensus crepuit medius). Graece pro *suspensus* legitur : και πρηνης γενομενος, h. e. *et pronus factus*, ut iam vertit auctor antiquae Italae (vide Sabatier); *et*, dirupto eo praecipite lapsu eius ventre, *viscera eius omnia effusa sunt*. S. Matthaeus (cap. XXVII: 5) de Iuda dicit : *abiens laqueo se suspendit*, gr. απηγξατο, *se strangulavit*. Profecto idem non est *praecipitari* et *laqueo effocare gulam*, sed neque sunt duo haec inter se contradictoria. Atqui nihil obstat, quo minus putemus, utrumque accidisse, quorum alterum narraverit Matthaeus, alterum Lucas. Quod vero ponimus, utrumque accidisse, id non esse confictum sine exemplo, probari potest ex Apuleii Met. I (apud. Valck. ad h. l.), ubi de se quemdam legimus haec narrantem : Adscenso grabatulo ad exitium sublimatus, immisso capite laqueum induo; sed dum pede altero fulcimentum quo sustinebar, repello, ut ponderis de-

---

[1]) Vide Devar. Cap. XIII.

[2]) « Numquam apud accuratos scriptores veteres κτασμαι significat, ut narrant tamen Lexicographi, *possideo*, sed *acquiro mihi*. Praeteritum vero tempus, κεκτημαι, proprie notat *acquisivi mihi*, deinde *possideo* : nam possidet quod quis sibi comparavit. » Valck. ad h. l.

ductu restis ad ingluviem adstricta spiritùs officia discluderet, repente putris alioqui et vetus funis rumpitur, atque ego de alto decidens, in terram devolvor. » Iam Oecumenius praesentem difficultatem eo modo solvit. « Sed enim, *inquit*, quum sacra Evangelia dicant, eum praefocatione aut suspendio usum, licet hic praecipitatum fuisse asserant, et quaecumque deinceps narrantur, nihil ex hoc dissonantiae consequitur; utrumque enim factum est : confracto namque funiculo quo praefocatus erat, ita praecipitio in terram decidit ac crepuit. »

19. *Et notum factum est*). Hierosolymae vulgo innotuit, *agrum illum figuli in sepulturam peregrinorum* (Matth. XXVII : 7) a Synedrio emptum fuisse pecunia illa, quam Iudas proditionis suae mercedem a Synedristis acceperat, atque adeo ea res vulgo innotuit, *ut appellatus fuerit* (ὥστε κληθῆναι) ager ille lingua ipsorum *Haceldama*. Lingua Hierosolymitana dici potest dialectus Aramaea orientalis, cui admixtae erant formae vocesque proprie Hebraicae[1]. Ex ea dialecto est vox Haceldama (Ἀκελδαμά), quae scribitur : חֲקַל דְּמָא quod significat : *ager sanguinis* (*de bloedakker*). Id nominis putandum est illi agro fuisse impositum non a Synedrio, sed a vulgo, propter sparsam rei notitiam. Sensus autem eius nominis videtur esse hic : ager emptus pecunia, quae tamquam merces data fuit ob proditum hominum.

20. Post parenthesin historicam, quam diximus, resumitur hic recitanda Petri oratio. *Scriptum est enim in libro Psalmorum : Fiat commoratio*, etc. Allegata hic a Petro verba prophetica desumta sunt partim ex Psalmo 68 (Hebr. 69), vs. 26, partim ex

[1]) Dignissimae, quae hic memorentur, sunt dissertationes, quibus titulus est : Della lingua propria di Cristo e degli Ebrei nazionali della Palestina da' tempi de' Maccabei; Dissertazioni del dottore Giambernardo de Rossi. Parma 1772.

Psalmo 108 (Hebr. 109), vs. 8. Particula *καὶ*, quae hic legitur ante *τὴν επισκοπην*, tantumdem valet ac si Petrus dixisset : *καὶ παλιν γεγραπται*, *et rursum scriptum est*. Subiicimus hic Hebraica una cum Versione LXX et Latina Vulgata :

תְּהִי טִירָתָם נְשַׁמָּה בְּאָהֳלֵיהֶם אַל־יְהִי יֹשֵׁב פְּקֻדָּתוֹ יִקַּח אַחֵר

versio Septuagintaviralis : *Γενηθητω ἡ επαυλις αυτων ἠρημωμενη, και εν τοις σκηνωμασιν αυτων μη εστω ὁ κατοικων* (Psalm. 68, vs. 26), *καὶ την επισκοπην αυτου λαβοι ἑτερος*. (Ps. 108, 8); Vulgata : ***Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet*** (Ps. 68, vs. 26), ***et episcopatum eius accipiat alter*** (Ps. 109, 8). Secuudum Vulgatam nostram Petrus dixisset : *fiat commoratio* EORUM, in Plurali, non commoratio EIUS, in Singulari. Sed Graeci codices, paucis Minusculis exceptis, omues hic exhibent *αυτου*, atque ita etiam legerunt auctor antiquae Italae (*fiat ager illius desertus*), Syrus (ܕܘܪܗ ܬܗܘܐ ܚܪܒܐ) Irenaeus, Hilarius, Augustinus (apud Sabatier), Chrysostomus et Oecumenius.

Psalmum 68 propheticum esse, certissimo cognoscitur tum ex praesenti effato Petri (vs. 16), quo docemur, Spiritum Sanctum per os Davidis locutum fuisse de Iuda proditore, tum etiam inde quòd hic Psalmus tamquam propheticus de Christo eiusque adversariis passim allegatur. Vide Ioh. II : 17; XV : 25; XIX : 28; Rom. XI : 8; XV : 3. Ad verba, quae Petrus ex hoc Psalmo hic recitat, etiam Christus allusit, quando (Matth. XXIII : 38) Hierosolymam devastandam praedixit. Quum vero Psalmus secundum litteram videatur scriptus de Davide, typo Christi, dicendum est, Psalmum ess̊e propheticum in sensu suo typico, et sub persona Israëlitarum in Davidem rebellium, poenas hic praenunciari Iudaeorum, hostium Christi; quos inter quum imprimis esset numerandus Iudas, *qui fuerat dux eorum*, *qui comprehenderunt Iesum* (vs. 15), Petrus vaticinium illud Proditori nominatim applicat; quae etiam causa est, cur pro Plurali numero *αυτων*

dixerit in Singulari *αυτου*. Vaticinium hoc ad Iudaeos quod attinet, complementum suum habuit in clade Ierosolymitana. Ad Iudam vero quod spectat, indubitanter credo, etiam in illo vaticinium illud impletum fuisse, quamquam non ita clare perspicio *modum*, quo id factum sit.

Psalmus 108 (Hebr. 109) secundum litteram a Propheta Davide dictus videtur in calumniatores suos, et peculiariter in Doëgem, qui sub Rege Saule regiis gregibus erat praefectus; sed typice respicit Iudaeos et Iudam, hostes Christi, cuius David typum gessit[1]. Vocabulum *επισκοπη*, quod hic et apud LXX legitur, respondet Hebraico פְּקֻדָּה quo universe significatur *praefectura* aliqua, *officium* sive *ministerium* aliquod. Ad officium *Apostolatus* Petrus hoc refert; et mens eius est dicere : Spiritum Sanctum per os Davidis in typo praedixisse, in locum Iudae alium ad Apostolatum esse assumendum.

21. *Oportet ergo ex his viris*, cet.). Nexus est : Quum oraculum Spiritus Sancti dicat, *et episcopatum eius accipiat alter*, oportet ergo ex his viris, qui,... unum fieri nobiscum testem resurrectionis Domini. Genitivus *των συνελθοντων* (vs. 21) pendet a voce *ἑνα* (vs. 22). Demonstrativum *τουτων*, quod legitur a fine versiculi 22, abesse poterat, ut liquet versiculos 21 et 22 continuo legenti. Additum tamen fuit aut maioris emphaseos causa, aut ad resumendum illud *των συνελθοντων*, quod a voce *ἑνα*, a qua pendet, erat remotius. Verborum quae hic leguntur syntaxis facilior intellectu fuisset haec : *Δει ουν μαρτυρα της αναστασεως αυτου γενεσθαι συν ἡμιν ἑνα τουτων τῶν ανδρων τῶν συνελθοντων ἡμιν εν παντι χρονῳ, εν ᾧ εισηλθε καὶ εξηλθεν εφ' ἡμας* Κυριος Ἰησους, *αρξαμενος απο τοῦ βαπτισματος* Ἰωαννου, *ἕως τῆς ἡμερας ἧς ανεληφθη αφ' ἡμων*.

---

[1]) Cf. Corn. a Lapid. in Act. 1 : 20, et Muis. in ps. 108.

ex viris qui nobiscum sunt congregati). Gr. των συνελθοντων ἡμιν (*die met ons vergaderden*) *qui nobiscum conversati sunt* toto illo tempore, *quo intravit et exivit inter nos Dominus Iesus*, h. e. quo inter nos et nobiscum egit Dominus Iesus. Est in his verbis illa formula loquendi Hebraeorum, qua per dictionem צֵאת וָבוֹא (*egredi et ingredi*) universam vitae agendique rationem alicuius designabant. Vide I Sam. XXIX : 6. Ceterum Graeca phrasis elliptica est; nam plene scribendum hic erat : ἐν ᾧ εισηλθεν εφ' ἡμας, καὶ εξηλθεν αφ' ἡμων.

22. *incipiens a baptismate Ioannis*, etc.). Vox αρξαμενος iungenda est cum praecedenti Ἰησους, ut sensus sit : ab eo inde tempore quo Ioannes baptizabat, usque in diem adscensionis Iesu in coelum. — Colligitur ex hoc loco, hanc veluti definitionem esse Apostoli, ut nempe sit testis resurrectionis Christi (vide supra ad vs. 8). Hanc testari non omnes poterant qui in Christum crediderant, sed illi tantum, quibus ex mortuis redivivus apparuisset. Per *attractionem* scriptum est τῆς ἡμερας ῆς ανεληφθη pro ἡ ανεληφθη. Cf. Gr. p. 161.

23. *Et statuerunt duos*). Gr. εστησαν, quod hic valet *proposuerunt*, puta tamquam Apostolatûs candidatos. Quinam hos proposuerint, non distincte dicitur. Corn. a Lapide existimat, factum id fuisse ab iis, qui tum praesentes erant, omnibus. Fromondus vero opinatur, Petrum in ista candidatorum electione usum fuisse iudicio ceterorum Apostolorum, ita ut hi duos illos viros proposuerint eligendos; sed quum Lucas nullo id verbo indicet, dicendum videtur, factum id fuisse ab iis quos adloquebatur. Atqui non ad solos Apostolos, sed ad praesentes universe omnes sermonem suum dirigebat. *Ioseph*, qui patronymico suo nomine vocabatur *Barsabas*, i. e. *filius Sebae* בַּר־שְׁבָע. Cf. 2 Sam. XX : I), agnominabatur (επεκληθη) Ἰουστος, quod est ipsum Latinum *iustus*.

24—25. Quod dicitur *orantes*, hoc non impedit quominus putemus, Petrum omnium nomine hic preces Deo adhibuisse. Deum autem, cui soli perspecta sunt corda hominum (καρδιογνωστα, *hartenkenner*), invocat, ut sortem, quam missuri essent, dirigendo, designet, utrum ex duobus elegisset tamquam digniorem, qui ad Apostolatum assumeretur. Εξελεξω Aor. 1 med. — Syntaxis facilior fuisset haec : αναδειξον εκ τουτων των δυο ένα όν εξελεξω. — Λαβειν, *ut assumat*, est Infinitivus *scopi*. Vide Gr. § 45, 3. Κληρος est hic *officium* sive *munus*. Vide quae de ea voce diximus supra ad vs. 17. Quod autem dicitur κληρος της διακονιας ταυτης καὶ αποστολης, id per Hendiaden dictum est pro κληρος τῆς διακονιας τῆς αποστολικης, *munus huius ministerii Apostolici*. Προσευξαμενοι, scil. Θεῳ, quod intelligitur in Praepositione προς.

de quo praevaricatus est Iudas). Gr. ἐξ ἧς (vel αφ' ἧς, quae lectio auctoritate praestat) παρεβη Ἰουδας, h. e. *de quo* (munere) *discessit Iudas*; quod munus Iudas deseruit. Verbum παραβαινειν, quod proprie est *transgredi*, apud LXX occurrit etiam de *discedendo*, quod utique non fit sine *transgrediendo*. Vide Exod. XXXII : 8; Deuter. XI : 12, 16; XVII : 20 : ἵνα μὴ παραβῇ απο των εντολων, *ne recedat a praeceptis*. LXX reddebant sic Hebraicum סוּר, sequente Praepos. מִן. *Ut iret*, graece πορευθηναι, qui Aor. Infinitivus est *finis*, ad quem *quasi* tendebat Iudas; quemadmodum de homicida recte dixeris : homicidium patravit, ut iret ad suspendium. Iudae τοπος ιδιος est *locus damnatorum*, quod ex contexta oratione intelligitur.

26. *Eis* (αυτοῖς[1]) est Dativus *commodi* — *ils donnèrent pour eux*. Quod si mavis legere αυτων, vertendum erit : *dederunt sortes ipsorum*, puta illorum, super quibus fieret sortitio. *Sortes* autem hoc loco intelligendae videntur *sortis instrumenta*, nempe

[1]) Pro comm. lect. αυτων est αὐτοῖς in ABD** al.

tabellae in urnam deiiciendae, quibus inscripta essent nomina eorum, super quibus sortitio constituebatur. Cic. Lig. 7 : *Tuberonis sors coniecta est ex senatusconsulto, cum ipse non adesset*, h. e. tabella, Tuberonis nomine inscripta, in urnam cum aliis missa est. Praesens phrasis, ut opinor, ita explicanda est : et dederunt sortes illorum (tabellas, quarum una Barsabae, altera Matthiae nomen inscriptum habebat) in urnam coniiciendas. — *Et cecidit sors* (ὁ κλῆρος), *het lot*, sors quae rem decidebat. *Sortem cadere in* (ἐπι) *aliquem* antiqui usurpasse videntur in quovis modo sortiendi. Ψῆφος Graecis dicebatur *calculus*, quo suffragium ferri solebat in comitiis; hinc Denominativum συγκατεψηφισθη, notione Passiva, quae hoc loco occurrit, significare potest : *communibus calculis adlectus est*. Sed quum hic non suffragiis, sed sorte res esset decisa, per Catachresin dictum est συγκατεψηφισθη pro συγκατηριθμηθη, *annumeratus est* undecim Apostolis. Potuisset scribere Lucas, μετα Praepositione demta, συγκατεψηφισθη τοις ἑνδεκα Αποστολοις.

CAPUT SECUNDUM.

Argumentum. Decimo post Domini adscensionem die, in quem diem incidebat Pentecostes festum Iudaeorum, Spiritus Sanctus descendit in Apostolos, et in eos qui cum ipsis tum erant congregati, vs. 1—13. Ad stridorem illum quasi venti vehementer ruentis, qui adventum Spiritus Sancti proxime praecedit, turba Iudaeorum, ex variis nationibus composita, concurrit. Spiritu Sancto repleti Apostoli ceterique magnalia Dei eloquuntur variis linguis, quas numquam fuerant edocti, vs. 4—6. Ex illa turba plerique hoc miraculo obstupescunt, quidam autem illud irrident, vs. 7—14. Ilos Petrus refellit, una docens, eventu hic comprobari, quod diu ante a Ioële fuerat praedictum; et porro primus solemniter Evangelium annunciat, vs. 14—40. Ad gravissimam eius concionem circiter tria millia hominum ad fidem Christianam convertuntur, vs. 41. Conversorum ad Christum describuntur vita religiosa et mores, vs. 42—47.

1. *Et cum complerentur dies Pentecostes*, cet.). Graece est : *et quum impleretur dies Pentecostes* (in Genitivo : της Πεντεκοστης), hoc est, *quum adesset dies Pentecostes.* Συμπληρουσθαι hoc

sensu Graecis ignotum erat, sed Hebraei sic loquebantur, v. g. Genes. XXIV : 24. וַיִּמָּלְאוּ יָמֶיהָ לָלֶדֶת, hoc est, *et completi sunt dies eius ad pariendum*, i. e. venerat ei tempus pariendi. Auctor Vulgatae, quemadmodum et Syrus interpres, ܐܬܡܠܝܘ ܝܘ̈ܡܬܐ, legerunt in Plurali : *τας ἡμερας*, sed haec lectio auctoritate Codicum non fulcitur. Ἡ Πεντεκοστη etsi in se Adiectivum sit (*ἡ πεντεκοστη* scil. *ἡμερα*, *dies quinquagesimus*), in usu tamen vim Substantivi obtinuerat, ut patet ex Tob. II : 1; 2 Maccabaeor. XII : 31, 32. Flav. Ioseph. Antiqq. III : 10, 6. Graeca Belgice vertas : *En toen de Pinksterdag vervuld werd*, h. e. *en op den Pinksterdag*. — Intelligitur autem Pentecoste Iudaeorum. Scilicet *dies quinquagesimus* a secundo die Paschatis Iudaeis erat festus in memoriam legislationis Sinaiticae; festumque illud Pentecostes unum erat ex tribus maioribus, quibus adulti mares omnes Hierosolymam adire debebant[1].

erant omnes) Ἁπαντες et *παντες* hoc differunt, quod *ἁπαντες* dicuntur *universi omnes*, nemine excepto, sed per *παντες saepe* designantur tantum *plerique omnes*, ut v. g. infra vs. 7, qui conferendus est cum vs. 13. Agit de hoc discrimine Valckenaer ad hunc locum. Ἁπαντες autem, qui hic dicuntur, intelliguntur illi omnes, quos Historiographus nobis adhuc indicavit (Cap. I : 15), scilicet Christianus ille coetus hominum circiter centum viginti. Et vero illos *ἁπαντες* non esse solos Apostolos, certo colligitur ex sequentibus (vs. 14, 15), ubi Apostoli distinguuntur a reliquis, qui accepto Spiritu Sancto variis locuti sunt linguis, quas numquam fuerant edocti; eamque interpretationem postulant etiam ea quae infra (vs. 17) leguntur dicta a S. Petro.

pariter in eodem loco). Gr. *ὁμοθυμαδον επι το αυτο*. Secundum versionem Vulgatam tautologica videtur oratio; malim hic vertere :

---

[1]) Cf. Reland Antiquitt. sacrae, Pars IV. Cap. II. Ackermann, Archeologia Biblica. § 341, sqq.

erant eodem animo (et desiderio praestolantes adventum Spiritus Sancti) *in eodem loco*. Cf. dicta ad Cap. 1, vs. 14.

2. *et factus est repente*). Describuntur his versiculis duo signa, unum (vs. 2) auditu perceptibile, alterum (vs. 3) visu spectabile, quae adventum Spiritus Sancti indicaverunt. Exoritur *repente* atque ex improviso de *coelo*, puta ex aëre superiore, sonitus, qualis est sonitus venti vehementer ruentis (ὡσπερ φερομενης πνοης βιαιας). Non erat reapse venti divinitus tum excitati ille sonitus; sed qui edebatur sonitus talis erat, qualis (ὡσπερ) editur, quando vehementer ruit ventus[1]. Replevit is sonitus *totum illud conclave* (ὁλον τον οικον), in quo *erant sedentes*, puta ad communes preces mox habendas ibi collecti. Οικος qui hic dicitur, quum addatur οὗ ησαν καθημενοι, intelligendus videtur conclave illud superius, quod supra (cap. 1, vs. 13) vocaverat το ὑπερῷον. « Dubium nullum est, inquit Valckenaer ad h. l, quin in sermone quotidiano coenacula dicta fuerint οικοι. Transsumsere Romani. Vitruvius (de Architect. Lib. VI, cap. 10) memorat *Oecos* quadratos tam ampla magnitudine, ut faciliter in iis tricliniis quatuor stratis locus posset esse. *In his*, inquit, OECIS *fiunt virilia convivia...* Sic οικος ter minimum reperietur apud Athaeneum. »

3. *Et apparuerunt*). Και ωφθησαν (Aor. 1 Pass.) αυτοις pro ὑπ' αυτων[2], h. e. *et visae sunt ab illis*, corporeis ipsorum oculis oblatae sunt, διαμεριζομεναι γλωσσαι, *distribuentes semet ipsas linguae* (ὡσει πυρος) *velut igneae*, puta quasi flammulae quaedam ad modum linguarum efformatae; *seditque*, graece εκαθισε τε, h. e. *et ponebat se* unaquaeque lingua, seorsim ab alia, εφ' ἑνα ἑκαστον αυτων, *super unumquemque ipsorum*. Participium διαμεριζομεναι sumendum esse putem in significatione Media, qua no-

[1]) S. Chrys. Hom. IV, in Act. ad h. l. [2]) Cf. Gr. pag. 221.

tione verbum hoc occurrit Matth. XXVII : 35, et Ioan XIX : 24. Existimo, primo statim apparuisse congeriem quamdam istiusmodi linguarum, quae deinde, secundo veluti actu, semet diviserint, ita ut singulae super singulos considerent. In qua sententia etiam Salmeron fuisse videtur; nam dicit ad hunc locum : *Spiritus in acervo linguarum apparebat*[1]. Quum dicatur ὡσει πυρος, credendum est, istas linguas non fuisse revera ignitas, sed suo et colore et splendore et motione similitudinem ignis retulisse. Verbum καθιζειν in libris sacris et *transitive* usurpatur (*collocare aliquem*), ut v. g. Ephes. I : 20, et *intransitive* (*consido, me colloco*), ut v. g. Act. XIII : 14, et in praesenti loco. Scriptum est εκαθισε in *Singulari*, quem vocare licebit *Singularem distributivum*[2] : linguarum illarum *unaquaeque se collocabat.*

4. *et repleti sunt omnes*). Gr. ἁπαντες, *universi omnes* (vid. supra ad vs. 1), scilicet homines illi circiter centum viginti, qui illic erant congregati. Ad signum illud linguarum quasi ignearum, effusio Spiritus Sancti secuta est statim, ut Lucae narratio satis perspicue indicat. Apostolis ceterisque, in quos Spiritus Sanctus illapsus hic dicitur, collatas fuisse gratias eas, quas *gratis datas* vocant Theologi[3], ut puta, donum linguarum, facultatem patrandi miracula, cet., ex narrationis serie manifestum est. Docet autem S. Thomas (3 p. Q. 72, art. V et VII), eodem tempore collatam illis fuisse *gratiam gratum facientem* eam, quae baptizatis confertur per Sacramentum Confirmationis, in quo Spiritus Sanctus datur *ad robur*. Atque haec sententia firmum habet fundamentum in mandato Christi, quo praeceperat Apostolis (Luc. XXIV : 49), ut manerent in Ierusalem, *quoadusque induerentur virtute* (δυναμει) *ex alto*.

---

[1]) Tract. XI, in Act. Ap. p. 26.

[2]) Cf. Gr. pag. 384, adn. 2.

[3]) De gratiis *gratis datis* agit S. Th. 2. 2. q. 186, 187 et 198.

Ad pleniorem interpretationem huius loci et similium, in quibus sermo est de *missione Spiritus Sancti*, operae pretium erit, hic subiicere S. Thomae ea de re doctrinam: « Dicendum est, *inquit*, quod divinae Personae convenit *mitti*, secundum quod novo modo exsistit in aliquo; *dari* autem, secundum quod habetur ab aliquo; neutrum autem horum est nisi secundum gratiam gratum facientem. Est enim communis modus, quo Deus est in omnibus rebus per essentiam, potentiam, et praesentiam, sicut causa in effectibus participantibus bonitatem ipsius. Super istum modum autem communem est unus specialis, qui convenit naturae rationali, in qua Deus dicitur esse sicut cognitum in cognoscente, et amatum in amante. Et quia cognoscendo et amando creatura rationalis sua operatione attingit ad ipsum Deum, secundum istum specialem modum Deus non solum dicitur esse in creatura rationali, sed etiam habitare in ea sicut in templo suo. Sic igitur nullus alius effectus potest esse ratio, quod divina persona sit novo modo in rationali creatura, nisi gratia gratum faciens. Unde secundum solam gratiam gratum facientem mittitur et procedit temporaliter Persona divina. Similiter illud solum habere dicimur, quo libere possumus uti, vel frui. Habere autem potestatem fruendi divina Persona, est solum secundum gratiam gratum facientem. Sed tamen in ipso dono gratiae gratum facientis Spiritus Sanctus habetur, et inhabitat hominem. Unde ipsemet Spiritus Sanctus datur et mittitur... Operatio miraculorum est manifestativa gratiae gratum facientis, sicut et donum prophetiae, et quaelibet gratia gratis data. Unde I Cor. XII, gratia gratis data nominatur *manifestatio Spiritus*. Sic igitur Apostolis dicitur datus Spiritus Sanctus ad operationem miraculorum, quia data est eis gratia gratum faciens cum signo manifestante. Si autem daretur solum signum gratiae gratum facientis sine gratia, non diceretur dari simpliciter Spiritus Sanctus, nisi forte cum aliqua determinatione, secundum quod dicitur quod alicui datur Spiritus propheticus, vel miraculorum,

in quantum a Spiritu Sancto habet virtutem prophetandi, vel miracula faciendi. » S. Thom. 1 p. q. 43, a. 3.

et coeperunt loqui variis linguis). Pro *loqui* graece est ἀποφθέγγεσθαι, quod significat *graviter et magnifice loqui, eloqui dicta profunda, magnifica*. Utrum in ipso iam coenaculo linguarum illud donum se manifestaverit, ex Lucae narratione certo confici nequit; potuit enim illud *per anticipationem* hic notasse. Quidquid sit, ex serie narrationis colligitur, Apostolos ceterosque, simul ac essent Spiritu Sancto repleti, e coenaculo foras prodiisse, ubi obviam habuere turbam Iudaeorum variarum nationum, quibus audientibus apophthegmata sua variis linguis elocuti sunt. Pro *variis linguis* graece est ἑτέραις γλώσσαις, h. e. *linguis aliis*, a lingua sua patria diversis, et quas numquam dedicerant, ut ex contexta oratione colligitur. Vide infra ad vs. 13. Magnifica illa effata, quae proferebant, quanam de re fuerint, infra vs. 11 dicitur.

prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis). Non omnes omnibus linguis loquebantur, nec iisdem, sed alii aliis, aut alii aliâ, Spiritu Sancto rem totam moderante.

5. *Erant autem in Ierusalem habitantes Iudaei*, cet.). Roboam, Salomonis filius eiusque in regno successor, quum sua culpa magnam Israeliticae gentis partem a se alienasset, solae tribus Iuda et Beniamin illi adhaeserunt, defecerunt vero ab eodem reliquae tribus omnes. Itaque ex uno regno exstitere duo, quorum unum dicebatur *Regnum Iuda*, alterum *Regnum Israël*. Quo posteriore regno ab Assyriis destructo, per annos 133 superstes remansit regnum Iuda. Sed et hoc regnum eversum fuit a Babyloniis. Incolae Regni Israël sive decem tribuum adducti ab Assyriis, dispersi fuerunt per Assyriam, Mediam, aliasque regiones, quae tunc temporis dominationi Assyriacae erant subiectae; incolae vero regni Iuda abducti, per provinciam Ba-

bylonicam exules morabantur. Postea, quum ex varia rerum publicarum, Babyloniorum et Assyriorum, conversione, tam Iudaei quam Israëlitae facti essent subditi Imperio Medo-Persico, utrisque Cyrus facultatem fecit, soluto exilio, in patriam redeundi. Redierunt autem ex Israëlitis pauciores, ex Iudaeis vero plerique; quo factum est, ut, denominatione sumta a parte potiore, qui soluto exilio novi incolae antiquam gentis sedem occupabant, *Iudaei* deinceps appellarentur omnes, comprehensis etiam Levitis, qui maximam partem Iudaeis reducibus sese adiunxerant. — Lucem haec afferent sequentibus.

erant autem in Ierusalem habitantes Iudaei). Pro *habitantes* graece est κατοικουντες, h. e. *habitatores*, nam Participium notionem Substantivi nominis hic habet. Habitatores autem intelligimus Iudaeos ex variis regionibus oriundos, qui, aut religiosi cultus aut sacrorum studiorum causa, Hiërosolymae domicilium suum, sive perpetuo, sive ad tempus stabiliverant. Dubitari potest, utrum Lucas hic etiam ob oculos habuerit eos Iudaeos extraneos, qui Pentecostes celebrandae causa Hièrosolymae ad tempus morarentur. Ratio dubitandi est, quia infra (vs. 11) Iudaei Romani denotantur tamquam επιδημουντες, Vulg. *advenae*. Verum ea vox universe notat eos, qui tamquam peregrini apud aliam gentem commorantur, serius, ocius, ad suos redituri. Tales autem quominus inter κατοικουντας recenseantur, nihil impedit. In ea hominum multitudine, quae vs. 6 dicitur concurrisse, sane verisimile est, fuisse etiam Iudaeos peregrinos tales, qui non nisi Pentecostes celebrandae causa Hiërosolymam advenissent, post festum domum redituri. Sed aliud est quaerere, quid rei fieri potuerit, aliud vero quid Lucas suis verbis voluerit significare. *Iudaei*, secundum supra dicta, intelliguntur hic Hebraei cuiuscumque tandem tribus. Dicuntur autem *viri religiosi* (ανδρες ευλαβεις) hoc est, ceteris religiosiores; eoque indicatur causa, ut videtur, cur Ierosolymis morarentur. Quod additur, *ex omni natione quae sub coelo est*,

in eo est Hyperbole; mens Lucae est, dicere : ex multis variisque orbis terrarum nationibus. Ad locutionem των ὑπο τον ουρανον quod attinet, subaudiendum est οντων. « Est haec, notante Valckenario (ad h. l.), signata phrasis adhibita quoque Platoni in Timaeo, ubi urbs Athenarum dicitur esse omnium pulcherrima των ὑπο τον ουρανον.

6. *facta autem hac voce*). Ad editum stridorem illum (vs. 2) quasi venti vehementer ruentis, passim accurrebant versus locum, unde ingens hic fragor videbatur oriri. Ex quo conficitur, magnam certe urbis partem stridore illo personuisse.

et mente confusa est). Hoc est, nesciebant inter varia, quae menti occurrebant, quid tandem ea de re cogitarent. Perplexus hic illorum animus distinctius describitur infra vs. 13. Pro *mente confusa est* graece simpliciter est συνεχυθη. « Proprie συγχυειν, *commiscere, confundere,* de *herbis* ponitur in olla *confusis* et *commixtis*. Hinc transfertur ad animum, in quo quum sic confusae sunt cogitationes, ut se explicare nequeant, dicitur aliquis συγχεισθαι et συγχυνεσθαι. » Valcken. ad h. l. Causa illius συγχυσεως erat, *quia audiebant* (ηκουον) *unusquisque* (εἱς ἑκαστος) *lingua sua illos loquentes*. Ἑις ἑκαστος Verbi ακουον *Subiectum* distinctius indicat. Eorum, qui accurrerant, non hic et ille tantum, sed *unusquisque* rem observabat. « Διαλεκτος aliud quid significat in scriptis Philosophorum, quam apud Grammaticos. Vulgo διαλεγεσθαι erat *confabulari, colloqui. Familiare colloquium*, dialogus, non tantum διαλογος et διαλεξις, sed saepe etiam dicebatur Philosophis διαλεκτος... Apud Grammaticos vox illa longe aliam induit vim. Nempe διαλεγω significat *seligo, derimo;* hinc διαλεκτος, *diversus, discretus*. Γλωσσαι inde διαλεκτοι sunt proprie *linguae differentes* et *discretae* diversarum nationum... Sed quum populi diversi, qui una lingua utebantur, pronunciatione tamen, et nonnullis loquendi modis a se invicem dissonarent, factum est ut, in

usu loquendi, lingua, exempli gratia, Graeca, diceretur γλωσσα Ἑλληνικη, populi autem Graeci diversi, qui unam istam linguam matrem, sibi omnibus communem, diversis tamen modis et sonis inflectebant, dicebantur uti diversis dialectis[1]. » Sed iam quaeritur, quomodo intelligendum sit, quod dicitur ἑκαστος τῃ ιδια διαλεκτῳ. Respondeo : ex catalogo populorum, qui hic (vs. 9, 10, 11) recensentur ut praesentes huic miraculo, non singuli quidem utebantur lingua plane diversa, sed quibus idem erat patrius sermo, illi tamen dialecto inter se differebant. Sic v. g. Asiani et qui ex Phrygia et Pamphylia erant oriundi, Graeca utebantur lingua omnes, ita tamen ut dialecto discreparent. Sic Persica utebantur lingua Parthi, Medi et Elamitae, sed et his propria erat alia atque alia dialectus. Itaque dicendum est, vocem διαλεκτος ea latitudine significationis hic adhiberi, ut tam linguarum quam dialectorum varietatem simul comprehendat, quod etiam ex vs. 11 comprobatur.

7. *Stupebant*). Graece εξισταντο Imperf. Passiv. ab εξιστημι. « Mente esse *sedata* et *composita* Graece dicitur εν ἑαυτῳ ειναι, vel εντος ἑαυτου γινεσθαι. Qui vero animi affectionibus *demovetur* de isthoc tranquillo mentis statu atque *extra se collocatur*, is dicitur εξιστασθαι του νου, et per Ellipsin, εξιστασθαι[3]. » Graeca Belgice reddi possent : *zy ontzetteden en verwonderden zich allen*. Qui hic dicuntur *omnes* (παντες) intelligendi sunt *plerique*. Confer. vs. 13, et quae notavimus supra ad vs. 1. Ιδου est e Verbo factum adverbium (cf. Gallicum *voi-là*), quod hic est *admirantis;* raro id mediae orationi interseritur, ut in praesenti loco. *Galilaei* intelliguntur hic homines e Galilaea oriundi, quibus patrius sermo erat Galilaeus, hoc est Aramaeus Iudaicus, sed is

[1]) Valcken. ad Cap. I : 20.

[2]) Lectio ηκουσαμεν auctoritate codicum destituitur. Etiam in Itala est in Praes. *audimus*.

[3]) Valcken. ad h. l.

secundum dialectum Galilaeorum. Cf. Matth. XXVI : 73. Hanc vocis *Galilaei* interpretationem postulat contexta oratio.

8. *et quomodo*). Gallice dixissent : *puisque tous ces hommes, qui nous parlent là, sont des Galiléens,* COMMENT SE FAIT-IL (πως), *que chacun de nous* (ἑκαστος ἡμων) *nous les entendons* (ακουομεν) *raconter*, etc. Attonitos ipsorum animos prodit ipse turbatus eorum sermo; nam sedatiores dixissent : qui fit, ut audiamus eos loquentes variis linguis *earum regionum, in quibus* nati sumus; nunc vero dicunt : qui fit ut audiamus eos loquentes *variis linguis, in quibus* nati sumus? Voces τῃ ιδιᾳ διαλεκτῳ ἡμων pendent a (vs. 9) λαλουντων αυτων. Syntaxis haec est : πως ακουομεν ἑκαστος τῃ ιδιᾳ διαλεκτῳ ἡμων... λαλουντων αυτων τα μεγαλεια του Θεου; ex quibus patet, attonitos bis dixisse ακουομεν, et quod iam dixerant τῃ ιδιᾳ διαλεκτῳ ἡμων, id iterum dixisse per verba ταις ἡμετεραις γλωσσαις.

9. *Parthi et Medi*, cet.). Quod *universe* dixerant : *in qua nati sumus*, id admirabundi mox distinctius declarant, varias eas gentes, quae miraculo aderant, iam recensentes. Ελαμιται, quos Graeci Ελυμαιους vocabant, oriundi erant ex Provincia Elymaïde, quae sita erat ad sinum Persicum. *Elamitis* vicini erant *Parthi* et *Medi*. Tres illae gentes communi lingua utebantur Persica. Qui sequuntur, incolae Mesopotamiae et Iudaeae, utrique Aramaea orientali utebantur lingua, sed dialecto discrepabant. Nam Mesopotamenses Babylonica loquebantur dialecto, Iudaeae vero incolae Hiërosolymitana. Galilaeis quidem pariter sermo patrius erat Aramaeus ille orientalis, sed tam a Mesopotamensibus quam a Iudaeis varia iterum dialecto distabant. Erat ergo cur et Mesopotamenses et Iudaeae incolae mirarentur, quod audirent homines, e Galilaea

---

¹) Lectio ηκουσαμεν auctoritate Codicum destituta est.

oriundos, Babylonica et Hiërosolymitana dialecto loquentes. Porro veniunt incolae Cappadociae, Ponti, Asiae[1], Phrygiae, Pamphyliae, qui Graece loquebantur omnes, etsi alia atque alia dialecto. Sequuntur incolae Aegypti, et ii qui inhabitabant *Lybiae partem Cyrenaicam*. Intelligitur hic Lybia Cyrenaica; haec etiam Pentapolitana vocabatur ab eius urbibus quinque praecipuis, Ptolemaïde, Apollonia, Arsinoë, Berenice, et Cyrene, quae erat illius regionis metropolis. In Aegypto quoque et in Libya Graecam linguam existimo illo tempore vulgarem fuisse, ita tamen ut et patrius sermo ibi esset in usu. Post hoc recensentur *advenae Romani*, graece, *οἱ επιδημουντες Ρωμαιοι*, hoc est, Iudaei Romani tunc temporis Hierosolymae tamquam peregrini commorantes. His patrium sermonem fuisse Latinum, patet. Quod sequitur, Ιουδαιοι τε και προσηλυται, referendum hoc videtur non tantum ad *advenas Romanos* (vs. 10), sed et ad ceteros, qui adhuc sunt adnumerati, imo et ad Crotenses et Arabes, qui porro memorantur. — Iudaeorum alii erant *nati* tales, alii ex parentibus gentilibus oriundi, sed, deinceps amplexi Mosaicam Religionem, Iudaei erant *facti*; posteriores hi *Proselyti* dicebantur[2]. Dicunt ergo qui hic loquuntur: Nos variarum regionem Iudaei, tam qui tales NATI sumus, quam qui, etsi gentiles nati, Iudaei tamen deinceps FACTI sumus, audivimus eos loquentes variis nostris linguis magnalia Dei. — Fateor, concinniorem fuisse orationem, si voces, Ιουδαιοι τε και προσηλυται, positae fuissent proxime ante verba *ακουομεν λαλουντων*, sed ab hominibus miraculi novitate attonitis regulatissimam verborum syntaxin nemo iure postulaverit. Particulas *τε και* malim hic reddere *tam-quam*[3]. Quod Vulgata hic habet, *Iudaei* QUOQUE *et Proselyti*, non satis vim illarum Particularum hoc loco mihi

[1]) Intelligenda mihi videtur Asia *proconsularis*, demta tamen Phrygia; itaque Mysia, Lydia, et Caria.

[2]) De Proselytis eorumque varia classe vide Ackermanni Archaeol. Bibl. § 313.

[3]) Vide Viger. Cap. VIII. Sect. VII.

videtur exprimere. — *Cretenses* Graeca utebantur lingua, et Arabes sua. *Magnalia Dei*, *τα μεγαλεια*, scilicet *πραγματα του Θεου*, intelliguntur *admiranda Dei facinora*, quae tamen hic non distinctius indicantur; sed pronum est iudicare, homines illos elocutos fuisse talia, qualia mox e Petri ore sumus audituri.

12. *Stupebant autem omnes*, cet.). Stupebant *omnes*, i. e. *plerique*, ut patet, ex vs. seq. De voce *εξισταντο* vide supra ad vs. 7. Pro *mirabantur* Graece est *διηπορουν*[1], cuius vocis vim sic sat recte reddideris : nec parum *in explicanda re haerebant*, ad invicem dicentes : Quidnam tandem sibi vult istud? *Que veut dire ceci?* — De Particula *αν* cum Optativo, vide Gr. pag. 343. Illi vero homines etsi adhuc suspensi haererent, quid de re statuerent, attamen dubitari nequit, ut mihi quidem videtur, quin suspicati fuerint, divini aliquid hic subesse; quare et religiosus quidam affectus animos ipsorum pervaserit. Sed, ut fit, id quod bonos quosque pie afficere solet, bilem id fere movet malis, ut quos vexat aliquo modo obvium habere vindicem Deum. Itaque ex iis qui aderant nonnulli, ludibrii causa dicebant : *musto expleti sunt isti*, eosque tamquam ebrios malitiose traducebant. Particula

[1]) Huius vocabuli vis latine voce una satis reddi nequit. « Origo vocis, inquit Valckenaer (ad h. l.), remotior *πειρω* vel *περω*, *perforando penetro*. Illinc *πορος foramen* vel *meatus*. *Απορον* proprie notat *impenetrabile*, sive *id*, per quod meatus *nullus patet*. *Απειρον και αδιερευνητον πελαγος* Plato dixit in Timaeo *mare infestum*, *per quod navi transitus non patet*. Frequentari solebat Graecis adjectivum illud vario valde significatu figurato. Notabat enim, praeter cetera, *Pauperem*, *Stupidum*, *Dubium*. *Pauper* sic dici poterat ex origine, qui nesciens, quo se vertat, exitum invenit nullum. *Stupidus* ad minima quaevis haeret impeditus. Tandem *Dubius* est, qui in bivio cogitationum statutus, transitum non invenit, et dubitat incertus, quao via de duabus, aut tribus inflectenda sit. Ab *απορος* est *απορειν dubitare*... Nostrum Compositum *διαπορειν* significat *sic dubitare*, *ut penitus ignores*, *quid statuendum sit.* » Nimirum Praepositio *δια* hic vim verbi *auget*. Cf. Zeunium ad Viger Cap. IX, Sect. II. VII. Familiari sermone Belgice vim vocis reddideris, si dicas : *Zy zagen volstrekt geen gat in de zaak*, *en zeiden tot elkander : wat wil dit toch beduiden?*

ὅτι (*quia*) hic, ut centies alibi, inservit ad inducendam *orationem directam*. De illo ὅτι, quod *recitativum* vocant Grammatici, videsis Kühner (§ 769. Anmerk.).

13. Quod Salvator (Marc. XVI : 17) praedixerat, fore nempe ut qui in ipsum essent crediturі, *linguis loquerentur novis* (γλώσσαις καιναῖς), illud primum hic eventu fuit comprobatum. Saepissime autem prodigium illud deinceps fuisse repetitum, ex Act. X : 46; XIX : 6, et I Cor. XII et XIV certissimo colligitur. In quibus locis sine addito καιναῖς aut ἑτέραις simpliciter λαλεῖν γλώσσαις ideo dici videtur, quòd, quum prodigium illud frequentissime acciderct, adeoque quale esset vulgo innotuisset, nihil opus esset rem distinctius significare. Prodigium autem quanam in re constiterit, Lucae narratio docet perspicue : fuisse nempe ex Christi discipulis *ex Galilaea oriundis*, qui Spiritu Sancto repleti, Dei laudes celebrarent *linguis et linguarum dialectis utentes, quas numquam fuerant edocti*. Quod quo explicatius ab Historiographo refertur, eo magis me miseret eorum, qui prodigii huius sublimitatem ad rei cuiusdam vulgaris et quotidianae humilitatem deprimere conantur. Istorum aliis locutio γλώσσαις λαλεῖν ἑτέραις est *nova antiquos Prophetas interpretandi ratio*; aliis *loqui phrasibus obscurioribus et insolitis, quibus permixta essent vocabula ex linguis peregrinis*. Sed deliramenti iam satis est. De dono linguarum ceterisque charismatibus uberius disputaturi sumus in interpretatione epistolae prioris ad Corinthios ad Cap. XII et XIV, quum ibi eius quaestionis propria veluti sedes sit.

14. *Stans autem Petrus*, cet.). Miraculum ergo istud nonnulli deridebant; Petrus *autem* (δὲ) illud vindicaturus est, et simul, tamquam Christi in terris vicarius et visibile caput Ecclesiae, legem evangelicam primus solemniter promulgaturus. Itaque Petrus σταθεὶς (Particip. Aor. I. Passiv., sensu Medio; Cf. Gr. p. 266)

sistens se, puta, quo facilius a turba audiretur, paululum progressus, et coapostolis suis tamquam horum Primas stipatus, *elata voce eam*, quae concurrerat, turbam sic allocutus est: *Viri Iudaei* (Cf. cap. 1, vs. 11), (intelliguntur qui in Iudaea nati), *et vos, quotquot estis omnes* (ἀπαντες, cf. supra vs. 1), *qui ex alia regione oriundi Ierosolymam inhabitatis inquilini* (οἱ κατοικουντες Ἱερουσαλημ[1]), *hoc vobis notum sit*, i. e. *hoc*, quod iamiam vobis dicturus sum. Verbum *medium* ενωτιζεσθαι, quod *Denominativum* est ab ους, ωτος, *auris*, quamquam prorsus refert Hebraicum Denominativum הֶאֱזִין, attamen non continuo dicendum est, Graecum ad Hebraicum fuisse confictum, aut non Graeco fluere fonte. « Sane, inquit Salmasius[2], nullum ferme est eorum nominum, quae tamquam nimis protritae et abiectae loquelae improbant critici, quorum pleraque in vetere novoque Testamento extant, quin apud aliquem etiam veterum auctorum reperiatur. Quodsi quaedam non alibi inveniantur, praeterquam in sacris litteris, causa in eo est, quod non omnes habemus auctores, qui Graece scripserunt. Vix millesima pars restat eorum, qui aliquid commentati sunt. Si omnes exstarent, nulla vox tam μονηρης in novo et vetere pagina reperiretur, quin χρησις eius ex aliquo auctore, qui periit, confirmari posset; praecipue si illi exstarent, qui plebeio stilo et idiotico res ac vitas privatorum scripserunt. » Cf. Gr. pag. 19, *adnot.*

Quaeritur, quanam lingua usus, Petrus praesentem concionem habuerit. Et Estius quidem existimat[3], Petrum Hebraice fuisse locutum, et novo miraculo tum accidisse ut intelligeretur ab omnibus qui confluxerant, etsi diversarum linguarum hominibus. Ego vero etsi minime diffitear, rem in se fieri potuisse, attamen

---

[1]) Nominativus cum Articulo Vocativi loco hic adhibetur. Vide Gr. pag. 182.

[2]) Apud Fischerum, in *Prolusionibus* de vitiis lexicorum novi Testamenti, pag. 694.

[3]) Annotatt. in loca difficiliora, ad Act. II. 6.

nihil heic video quod magnopere suadeat, ut eam reapse tum factam fuisse credam. Certe in Lucae narratione ne verbulum quidem occurrit, quo istiusmodi prodigium aliquo modo innuatur. Nam ex eo quod Petrus una usus lingua, intellectus fuerit ab omnibus, non continuo sequitur, per miraculum illud accidisse, nisi prius probetur eam, qua Petrus utebatur, linguam incognitam fuisse iis, ad quos sermonem suum dirigebat. Auditores erant Israelitae, partim e Iudaea oriundi, partim in alia quidem regione nati, sed Hierosolymam inhabitantes (κατοικουντες Ἱερουσαλημ). Priores quin Petrum vernaculo suo sermone utentem sine miraculo intellexerint, dubitari nequit; ad posteriores autem quod attinet, quo iure negabimus, eos potuisse sibi comparare scientiam linguae regionis, in qua, relicta patria, aut domicilium suum fixissent, aut certe diutius fuissent commorati? Non dixit Lucas, eos qui Petro concionanti praesentes aderant, tales fuisse qui non nisi ad paucorum dierum spatium, puta Pentecostes celebrandae causa, Hierosolymae agerent. Etiam tales adfuisse inter auditores, verisimile esse iam supra concessimus; sed et hi, si alicunde ex Palaestina venissent, sine miraculo Petrum loquentem poterant intelligere. Fac vero eos, exempli gratia, ex Persia fuisse oriundos, nec sic multum urgebis, quum Lucas non scribat, *ad unum omnes* qui aderant Petrum loquentem intellexisse.

15. *non enim*) ου γαρ. Particula γαρ *causam* infert, *cur* debeant *auribus percipere verba* eius. Incipit Petrus a refutanda calumnia, quam ex adstantibus nonnulli (vs. 13) adhibuerant in ipsum ceterosque, qui Spiritu Sancto acti, linguis loquebantur novis. *Non sunt hi ebrii*, inquit, *cum sit hora diei tertia*, hoc est, secundum nostram computandi rationem, hora nona antemeridiana. Vide infra ad Cap. III: 1. — Ante horam tertiam, diebus praesertim Sabbati et festis, insuetum erat Iudaeis gustare quidpiam vel esculenti vel poculenti. Cf. Lightfoot, Horae Hebraicae ad h. l., et Baronius

ad an. 34, § 243, 244. Petrum ipsum sua defendebat oratio; ceteros, praesertim quum tam multi essent, si non aliud, vel sola illa, quam modo dicebamus, consuetudo satis ab istorum calumnia vindicabat.

16. *Sed hoc est*). Sensus est : id quod ex vobis nonnulli temulentiae malitiose adscribunt, est *hoc* complementum vaticinii olim a Ioële Propheta pronunciati. Vaticinium hoc Petrum statim subiicit.

17. *Et erit in novissimis diebus*, cet.). Oraculum Ioëlis, quod hic (vs. 17—22) a Petro fere ad litteram recitatur, in Prophetia Ioëlis legitur Cap. II : 28—32 (in Bibliis Hebraeis, Cap. III : 1—5). Tempus quo adimplendum erat id quod hic a Ioële praedicitur, a propheta exprimitur per formulam אַחֲרֵי כֵן h. e. *post haec*, quam formulam Petrus interpretatur : *εν ταις εσχαταις ἡμεραις in novissimis diebus;* quae locutio refert Hebraicam hanc, Prophetis solemnem : בְּאַחֲרִית הַיָּמִים, hoc est, *in extremitate dierum*. Notat autem passim illa formula novissimam mundi aetatem, dies Messiae, tempora novi Testamenti, sive totam illam epocham, quae protenditur ab adventu Messiae usque ad supremum iudicium finemque mundi. Cf. Ies. II : 2; Ep. ad Hebr. Cap. I : 2. Verba ista : *dicit Dominus*, apud Ioëlem non hoc quidem loco leguntur, sed paululum inferius, vs. 32 (in Bibl. Hebr. Cap. III : 5), in fine eius vaticinii.

effundam de Spiritu meo) *εκχεῶ*, *effundam;* de qua forma Futuri vide Gr. pag. 56 et 68. Verbum *effundendi* indicat largitatem et varietatem donorum Spiritus Sancti, quae hic potissimum respiciuntur, ut contexta Prophetae oratio docet. Hebraice est : אֶשְׁפּוֹךְ אֶת־רוּחִי, hoc est, *effundam Spiritum meum*. Petrus Ioëlem interpretatur; scilicet Spiritus Sanctus charismata sua distribuit eo modo quo vult, nec uni omnia, sed alia aliis confert. Quae

doctrina distincte traditur I Cor. XII : 4—12. Confer etiam Ep. ad Hebr. Cap. II : 4.— Omnia opera *ad extra,* ut loquuntur Theologi, sunt Sanctissimae Trinitati communia; sed quia in Deitate Spiritus Sanctus est *amor*, ideo illi bonitas, et ex ea fluens distributio donorum Dei, in divinis eloquiis congruenter, uti patet, appropriatur. In loco epistolae ad Corinthios, quem modo citavimus, charismata illa triplici denominatione indicantur; nam et *gratiae* nominantur, et *ministrationes,* et *operationes* (ενεργηματα). Et tamquam *gratiae* quidem tribuuntur ibidem Spiritui Sancto; tamquam *ministrationes* autem Domino; denique tamquam *operationes* adscribuntur Patri.

super omnem carnem). Hebr. עַל־כָּל־בָּשָׂר. — *Caro* pro *homine* aut *humano genere* saepe dicitur ab Hebraeis, ut v. g. in hoc Ps. 144, vs. 21 : *benedicat omnis caro nomini sancto eius.* In libris quoque novi Testamenti *homo* dicitur *caro et sanguis.* Vide XVI : 17 et Gal. I : 16. Sensus est : Effundam... super posteros vestros, eos puta, qui ad Christum convertentur, idque faciam sine discrimine aetatis, sexus aut conditionis. Nam ea latitudine verba *super omnem carnem* sumenda esse, contexta oratio docet; Gentes tamen non sunt hic comprehendendae. « Dicendum est, ait Castro (in Ioël. Cap. II : 20), Deum suo populo promittere Spiritum Sanctum effundendum in viros ac mulieres, senes et iuvenes, servos et ancillas, convertendos ad Christum ex Iudaeis, *quorum sunt promissa*, ut ait Paulus ad Rom. IX : 4; nam illis promissiones factae sunt, et in illis completae sunt ex debito veritatis et fidelitatis. Gentes autem admissae sunt ad eorumdem bonorum participationem non ex debito promissionis illis factae, sed *ex misericordia,* ut explicuit quoque Paulus ad Rom. XV : 8. Sicut ergo Doctor iustitiae Christus promissus est populo illi, et ad implendam promissionem illi evangelizavit, quamvis ex misericordia Gentibus sese exhibuit; ita populo illi promissus est Spiritus Sanctus, et super omnes homines cuiuscumque conditionis et

aetatis ac sexus illis venit *ex veritate*, ut dixit Paulus; at *ex misericordia* ad Gentes etiam sese effudit. »

et prophetabunt filii vestri). Describitur, quis futurus sit *effectus* eius quod modo dixerat : *effundam de Spiritu meo*. Ad vocem *prophetare* quod spectat, quum explicetur per verba, quae statim ibi adiiciuntur : *visiones videbunt et somnia somniabunt*, ea vox, quamquam alias latius patet, hoc loco sumenda est de *dono prophetiae*, qualenus per hoc intelligitur collata alicui, ex divina eaque extraordinaria revelatione, cognitio occultorum, praeteritorum, praesentium, aut futurorum. Sub *dono* prophetiae reliqua charismata a Ioële comprehenduntur. Ex quo etiam colligitur, vaticinium hoc rectissime a Petro fuisse allegatum; quod et tacito agnoverunt Iudaei illi circiter ter mille, qui ad hanc Petri concionem ad fidem Christianam sunt conversi (infra, vs. 41). Ceterum prophetiae donum, quo sensu illud supra definivimus, solemne fuisse in primitiva Ecclesia, ex sacra historia constat. Cf. Act. XI: 28; XIII : 1, 2; XXI : 11. — I Tim. I : 18. Accedit Scriptor libri Apocalypseos, Ioannes Apostolus, Evangelista et Propheta. Nec cessasse post Apostolorum aetatem prophetiae donum, fidem facit S. Iustinus Martyr : « Apud nos, *inquit*, hucusque etiam prophetica exstant dona; unde et vos (scil. *Iudaei*) intelligere debetis, quae olim in genere vestro fuere, ea esse in nos translata[1]. Cf. etiam Euseb. H. E. Lib. V. Cap. 18, Origenem Lib. I, adv. Celsum, et Theodoretum, qui in suo commentario, ad Ioëlis cap. 2, haec scribit : « *Ad nostra usque tempora* donum illud permansit; et sunt inter fideles sancti viri, puram mentis aciem habentes, qui de rebus futuris multa et praenoscunt et praedicunt[2].

---

[1]) S. Justin. in Dialog. cum Tryphone Iudaeo, p. 308 in edit. Colon. : παρα γαρ ἡμιν και μεχρι νυν προφητικα χαρισματα εστιν· εξ οὑ και αυτοι συνιεναι οφειλετε, ὁτι τα παλαι εν τῳ γενει ὑμων οντα εις ἡμας μετετεθη.

[2]) Αχρις γαρ ἡμων τουτο διεφυλαχθη το δωρον· και εισιν εν τοις ἁγιοις ανδρες καθαρον της διανοιας το οπτικον εχοντες, οἱ πολλα των μελλοντων και προγινωσκουσι και προλεγουσι.

visiones (ὁρασεις) et *somnia* (ενυπνια) quae hic dicuntur, totidem species sunt divinae revelationis. De utrisque agimus infra ad Cap. X : 3, 10.

18. *et quidem super servos meos*, etc.). Dictio και γε vim *amplificandi* hic habet[1], valetque tantumdem ac *quin etiam*. Sensus est : Effundam Spiritum meum super omnes homines sine discrimine non tantum sexus aut aetatis, sed etiam (και γε) conditionis. Itaque *servi* et *ancillae* hic intelliguntur homines *servilis conditionis*, quod patet ex Hebraeo, ubi legitur ita : גַּם עַל־הָעֲבָדִים וְעַל־הַשְּׁפָחוֹת אֶשְׁפּוֹךְ אֶת־רוּחִי, quae in Vulgata redduntur : *atque etiam super servos et ancillas effundam illis diebus Spiritum meum*[2]. Cui interpretationi non obstat quod, addito Pronomine, in versione LXX et hic a Petro dicitur : επι τους δουλους μου, et επι τας δουλας μου; nam additum illud Pronomen μου non necessario postulat, ut δουλους et δουλας intelligamus DEI *servos* et *ancillas*, sive Dei cultores et cultrices. « *Quicumque in Christo baptizati estis*, inquit S. Paulus (ad Ephes. III : 27), *Christum induistis. Non est Iudaeus, neque Graecus; non est servus, neque liber; non est masculus, neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Iesu.*

19—20. *et dabo*). Prosequitur Ioëlis oraculum. Propheta hucusque laeta panderat promissa; his iam annectit mala imminentia iis, qui *non invocassent nomen Domini;* claudit enim posteriorem hanc sui oraculi partem hisce verbis : *omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit*, hoc est, *evadet*, ut dicitur voce Hebraica יִמָּלֵט quae hoc loco legitur. *Invocare nomen Domini* quid significet, dicturi sumus infra. *Prodigia* et *signa*, quae hic

[1]) Cf. Hoogeveen, p. 288, v. III.

[2]) Scribitur cum Articulo הָעֲבָדִים et הַשְּׁפָחוֹת quia ex *generibus* hominum, *certum quoddam genus*, nempe genus hominum servilis conditionis *demonstratur*.

vocantur, plerique referunt ad extremum iudicium. Ego vero mirer, si Propheta uno styli tenore praedixisset illam Spiritus S. effusionem quam novimus, et extremum iudicium; eoque difficilius hoc mihi persuadeo, quòd verba, quae hic leguntur, in eam sententiam non ducunt; nam locutio *dies Domini* passim (Isaiae II: 12; XIII : 6, 9. Ezech. XIII : 5. Ioel. I : 15. Sophon. I : 7) etiam dicitur de magna calamitate a vindice Deo inferenda. Ad haec, vox אִמָּלֵט (*evadet*), quae in extrema huius vaticinii parte legitur, non satis recte quadrare mihi videtur in extremum iudicium. Itaque malim, alios secutus interpretes[1], verba illa referre ad ea omnia, quae *praecesserunt diem* divinae vindictae *illum*, quo sub Tito Vespasiano gens Iudaica, excisa metropoli, diruto templo, miserrima strage magnam partem interiit. Ante divinae vindictae diem illum visa fuisse prodigia non pauca in aëre, in urbe et Templo, Iudaeus Flavius Iosephus tradidit (de Bello Iudaico, Lib. VII, Cap. XII). *Sanguinem et ignem et vaporem fumi* intelligas caedes, bella intestina, et incendia urbis et Templi[2]. Quod additur : *sol convertetur in tenebras et luna in sanguinem*, eo insignis quaedam calamitas hyperbolico sermone et hic et passim in Scripturis indicatur; v. g. Isaiae XIII : 10; Jerem. IV : 15; Ezech. XXXII : 7. Simili sermone Ioël supra (Cap. II : 10) dixerat : *a facie eius* (agminis locustarum) *contremuit terra, moti sunt coeli, sol et luna obtenebrati sunt, et stellae retraxerunt splendorem suum.* Ad quem locum S. Hieronymus haec notat : « Non quod locustarum, *inquit*, tanta vis sit, ut possint movere coelos et terram concutere; sed quod adversa patientibus

---

[1]) Chrys. Oecum. Lintr. Calm. Marian.

[2]) S. Cyrillus (in catena in Act. Ap. primum edita Graece ab J. A. Cramer, Oxonii 1828, pag. 36) : *αἵμα τε και πυρ και ατμιδα καπνου, καταδηλως ειεν αν οιμαι που τας των Ιουδαιων συμφορας, ἁς ὁ παγχαλεπος αυτοις επεσωρευσε πολεμος, ὁ δια της Ρωμαιων χειρος.* h. e. « Sanguinem et ignem et vaporem fumi evidenter esse puto calamitates illas, quibus eos (*Iudaeos*) affecit gravissimum illud bellum a Romanis illatum. »

prae terroris magnitudine coelum ruere, et terra fluctuare videantur. »

dies Domini magnus et manifestus). Pro *manifestus* in Hebraico Ioële legitur הַנּוֹרָא (*tremendus*), quam vocem LXX non hoc loco tantum, sed et aliis quinque locis per επιφανης (*illustris*) reddiderunt; quare eos pro הנורא legisse (הַנִּרְאָה) הנראה, non est coniectura probabilis. Propheta in antegresso suo vaticinio de calamitate a locustis inferenda (Cap. II : 10—12) simili modo fuerat locutus : *A facie eius* (agminis locustarum) *contremuit terra, moti sunt coeli; sol et luna obtenebrati sunt, et stellae retraxerunt splendorem suum. Dominus dabit vocem suam ante faciem exercitus sui : quia multa sunt nimis castra eius, quia fortia, et facientia verbum eius : magnus enim dies Domini, et terribilis valde* (נוֹרָא מְאֹד, Septuag. : επιφανης σφοδρα).

et erit : quicumque, etc.). Hoc est : et futurum est, ut *salvus sit*, Hebr. אִמָּלֵט, id est, ut *evadat* eam calamitatem, *quicumque invocaverit nomen Domini*, i. e. Iesum Christum invocaverit, puta Christianam fidem professus fuerit. Quam interpretationem indicare mihi videntur verba Petri, qui territis compunctisque suis auditoribus ac quaerentibus, quid sibi faciendum esset, respondit (infra vs. 37, 38) : *poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi.* — Christianos omnes, divinitus admonitos, paulo ante obsidionem Ierosolymae, Pellam, urbem trans Iordanem sitam, confugisse, Eusebius (H. E. lib. III, cap. 5) et Epiphanius (de Ponderibus et mensuris) memoriae prodidere.

22. *Audite verba haec*) h. e. ea quae iam dicturus sum. *Iesum* vocat τον Ναζωραιον (*Nazarenum*), quia hoc nomine Dominus noster passim appellabatur et notus erat. Cf. Marc. XVI : 6.

---

[1]) S. Chrysostomus Hom. 5 ad verba : *Sol convertetur*, etc. dicit : Απο της διαθεσεως των πασχοντων τουτο ειρηκε, h. e. *ex affectu patientium ita loquitur.*

Matth. XXVI : 71. Act. III : 6; X : 38. Vocat porro *virum a Deo* (h. e. *divinitus*, nam Graece est non ὑπο sed *απο του Θεου*) *in vobis* (Graece εις ὑμας, id est *ad vestrum bonum*[1], vestri causa) *approbatum*, Graece, *αποδεδειγμενον*, quod valet *plenissime demonstratum*[2], declaratum, comprobatum quod a Deo missus fuerit; quae plenissima demonstratio effecta est *virtutibus, et prodigiis, et signis,* h. e. per eius miracula. Maioris emphaseos causa, et ut magnum miraculorum numerum indicaret, tribus vocibus unam eamdemque rem significavit. Quamquam vero *virtutes, prodigia, et signa,* non *re* differunt, alia tamen atque alia ratione miracula triplici hoc nomine dicuntur. Vide S. Th. 2. 2. Q. 178, art. 1 ad 3.

quae (miracula) *fecit Deus per illum in medio vestri*). Petrus adhuc de Iesu loquitur prudenter, tamquam de homine divina virtute praedito[3]. *In medio vestri*, quod refert Hebraicum בְּתוֹכְכֶם, tantumdem hic valet quod *inter vos*, vestris sub oculis. *Sicut et vos* (non secus ac nos) *scitis*, atque adeo, patrata fuisse ea miracula, non potestis negare. Ipsos Petrus rei testes appellat. — Dicitur οἱς εποιησε pro ἁ εποιησε, per Attractionem. Vide Gr. pag. 161.

23. *hunc definito consilio et praescientia Dei traditum*[4]). Qui antecedunt Accusativi pendent a *προσπηξαντες ανειλετε*, quod a fine huius versiculi legitur. Demonstrativum *τουτον* abesse poterat, sed recte fuit adhibitum, tum maioris emphaseos causa, tum etiam ob maiorem orationis perspicuitatem[5]. Vult Petrus occurrere ta-

---

[1]) Miracula enim in eum finem patrata sunt, ut crederent Iudaei, Iesum esse Messiam illum diu exspectatum. Cf. Ioan. III : 2. V : 36. VII : 31. X : 25, 37. XV : 24.

[2]) De Praepositione *απο* in Compositis etiam significante *perfectionem et absolutionem rei*, vide Zeunium ad Viger. Cap. IX. Sect. 1. XVII.

[3]) Cf. Chrys. Hom. VI, ad h. l.

[4]) Var. lect. Vox λαβοντες non legitur in ABC variisque Minusculis, nec in versione Syriaca, nec in Vulgata; neque Irenaeus aliique Patres eam vocem legerunt. Glossema fortisan est.

[5]) In similibus phrasibus Grammatici dicunt Pronomen παρελκειν. Vide Hermannum ad Viger. Cap. IV, XIV.

citae obiectioni huic : Si legatus Dei erat Iesus, mirum est, eum non potuisse manus nostras evadere. — Petrus ergo Iesum dicit *εκδοτον deditum, hostium suorum potestati permissum τῃ ὡρισμενῃ βουλῃ και προγνωσει του Θεου*. Genitivus Θεου hic pertinet tam ad τῃ ὡρισμενῃ βουλῃ quam ad προγνωσει, quod absentia Articuli ante vocem προγνωσει iam indicat, et inde confirmatur, quòd nisi *definitum* illud *consilium* ad Deum referatur, plane non habet quo referatur. Duo autem illi Dativi, ὡρισμενῃ βουλῃ et προγνωσει, *Dativi* sunt, ut vocant[1], *normae* (*naar, volgens*). Dicitur ergo Iesus hic *traditus* (*εκδοτος deditus*) secundum Dei *definitum* (τῃ ὡρισμενῃ), determinatum adeoque immutabile et irrevocabile *consilium*, h. e. decretum, quo nempe *Deus Tri-unus* ab aeterno constituit, ut Christus pro redimendo humano genere mortem pateretur. Et dicitur Iesus *εκδοτος secundum praescientiam* (προγνωσει) Dei, quatenus scilicet Deus per suam omniscientiam prescivit, Christum a Iudaeis occisum iri, si horum potestati permitteretur[2].

Rem sic concipito : Deus ab aeterno praevidit adeoque *praescivit*, si Christum impiis Iudaeis obiiceret, eumque illorum potestati permitteret, futurum esse ut eum occiderent. Atqui hoc permittere decrevit, unaque *decrevit*, ut Christus eam mortem pateretur pro redimendo lapso humano genere. Decreto *permissivo* Deus Christum permisit impiorum Iudaeorum potestati; sed decreto *absoluto* voluit, ut Christus mortem ab iis inferendam subiret pro humano genere salvando, ex eaque voluntate praeceptum dedit Christo de illa morte subeunda. Cui praecepto Christus obedivit (Philipp. II : 8), salva sua libertate (Ioan. X : 17, 18), sine qua non meruisset (Philipp. II : 9). Iesum antequam crucifigerent, Iudaei occidere saepe conati sunt frustra (Luc. IV : 29, 30. Ioan. VIII : 59, X : 39), quia necdum permissus tum erat potestati ipsorum, seu, ut idem phrasi Scripturae dicam, *quia nondum*

---

[1]) Vide Gr. pag. 217, sq. 3, b.

[2]) Cf. Corn. a Lap. ad Act. II : 23 et IV : 28.

venerat hora eius (Ioan. VII : 30; VIII : 20). Quando vero *venerat hora eius* (Ioan. XII : 27; XIII : 1; XVII : 1), et *hora* impiorum Iudaeorum, et *potestatis tenebrarum* (Luc. XXII : 53), tum demum Iesus *permissus* fuit sive ἔκδοτος factus est impiis, qui eum occiderunt. Sua ergo isti malitia acti Christicidium tum patrarunt, quod immane crimen Petrus hic illis exprobrat. Liceat hic adscribere S. Leonis aurea quaedam dicta, quibus praesens locus non parum elucidatur. « Numquid, *ait*[1], iniquitas persequentium Christum ex Dei est orta consilio? Et illud facinus, quod omni maius est crimine, manus divinae praeparationis armavit? Non hoc plane de summa iustitia sentiendum est : quia multum diversum multumque contrarium est id, quod in Iudaeorum malignitate praecognitum, et quod in Christi est passione dispositum. Non inde processit voluntas interficiendi, unde moriendi; nec de uno exstitit Spiritu atrocitas sceleris, et tolerantia Redemptoris. Non enim impias furentium manus immisit in se Dominus, sed admisit, nec praesciendo quod faciendum esset, coëgit ut fieret, cum tamen ad hoc carnem suscepisset, ut fieret... Quod itaque Dominus Jesus Christus furorum frementium pati voluit, in nullo auctor eorum criminum fuit, nec egit ut haec vellent, sed cessit ut possent : et sic usus est occaecatae plebis insania, quomodo et perfidia traditoris, quem ab immanitate concepti sceleris et beneficiis est revocare dignatus et verbis, assumendo in discipulum, provehendo in Apostolum, monendo signis, consecrando mysteriis, ut cui nihil benevolentiae deësset ad correctionem, nihil occasionis superesset ad crimen. » Quod dicitur *consilio* (βουλῇ), in eo notanda est illa Metaphorae species quam ἀνθρωποποίησιν vocant, quaque actiones Deo tribuuntur humanae. Nequit enim Deo proprie tribui *consilium*, quum hoc *deliberationem* includat, quae in Deum minime cadit.

[1]) Serm. XVI de Passione, ad haec verba (Act. IV : 27, 28) : *Convenerunt... in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Iesum... facere quae manus tua, et consilium tuum decreverunt fieri.*

per manus iniquorum affligentes interemistis). Pro *affligentes*[1] graece est προσπηξαντες, hoc est, *affigentes*, scil. *cruci* (σταυρῳ). Sensus est : hunc vos interemistis, cruci eum affigendo per manus Gentilium, puta militum Romanorum. — Ανομων non est iungendum tamquam Adiectivum cum χειρων, sed ανομων Substantive hic sumitur. Ανομοι (*exleges*) autem dicuntur *Gentiles*, ut qui *scriptam legem* non acceperant, sicut Iudaei. Cf. I Cor. IX : 21. Iidem alibi (Matth. XXVI : 45. Luc. XXIV : 7. Gal. II : 15) *peccatores* (ἁμαρτωλοι) vocantur : « Non dicant Iudaei, inquit S. Augustinus, non occidimus Christum. Etenim propterea eum dederunt iudici Pilato, ut quasi ipsi a morte eius viderentur immunes. Nam cum dixisset eis Pilatus : Vos eum occidite! responderunt : Nobis non licet occidere quemquam. Iniquitatem facinoris sui in iudicem hominem refundere volebant; sed numquid Deum iudicem fallebant? Quod fecit Pilatus, in eo ipso quod fecit, aliquantum particeps fuit; sed in comparatione illorum multo ipse innocentior. Institit enim quantum potuit, ut illum ex eorum manibus liberaret; nam propterea flagellatum produxit ad eos. Non persequendo Dominum flagellavit, sed eorum furori satisfacere volens, ut vel sic iam mitescerent, et desinerent velle occidere, cum flagellatum viderent. At ubi perseverarunt, nostis illum lavisse manus et dixisse, mundum se esse a morte illius. Fecit tamen. Sed si reus, quia fecit vel invitus, illi innocentes, qui coëgerunt ut faceret? Nullo modo. Sed ille dixit in eum sententiam, et iussit eum crucifigi, et quasi ipse occidit; at vos, o Iudaei, occidistis. Unde occidistis? Gladio linguae : acuistis enim linguas vestras. Et quando percussistis, nisi quando clamastis : « Crucifige, crucifige[2]! »

---

[1]) *Affligentes* legitur in Vulgata edit. Vatican. a. 1598, nec in ullo ex tribus correctoriis ea vox tamquam mendosa corrigitur. Typographicum tamen ibi esse videtur mendum, quod correctoris diligentiam fugerit. Cf. Bukentop, *Lux de luce*. Lib. 2, ad h. l.

[2]) S. Aug. Tract. in Ps. 63, ad vs. 2.

24. *quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni*[1]). Adhuc Petrus de Christo loquitur tamquam de eximio quodam Propheta; needum enim pares erant auditores sublimiora de Christi persona audiendo. Ex Graeco Participio Aor. λυσας liquet, *actum solvendi* qui hic dicitur, ad Deum esse referendum. Itaque auctor Vulgatae dicere voluit : *quem Deus resuscitavit solvendo*, vel, *postquam solvisset dolores inferni*. Pro ωδινας Syrus habet ܚܒ̈ܠܘܗܝ (*vincula*), quam vocem putem etiam a Petro fuisse adhibitam, qui ergo dixerit : חֶבְלֵי שְׁאוֹל, i. e. *vincula inferni;* nam hoc suadent verba *solvere* et *teneri*, quae hic leguntur, quaeque certe rectius quadrant in *vincula* sive *funes*, quam in *dolores*. Lucas autem, qui Petri concionem Graece nobis tradidit, per vocem ωδινας non *dolores*, sed *vincula* sive *funes* significare voluisse, ideo coniici potest, quia in Hellenistica, qua utebatur, dialecto, vox ωδινες etiam de *vinculis* sive *funibus* dicta videtur, ut colligi potest ex versione LXX, in qua Hebraicum חֲבָלִים, ubi *funes* aut *vincula* notat, passim per vocem ωδινες redditur[2]. Quae si recte disputata sunt, verborum Petri sensus hic erit: *quem Deus, solvendo funes inferni, quibus quasi constrictus tenebatur, ad vitam revocavit*. Oratio metaphorica est, ut patet. Sive *vincula inferni* (του ᾁδου) legas, sive *vincula mortis* (του θανατου), res eodem redit, quum *infernus* dicatur de receptaculis animarum a corporibus solutarum. *Infernus* autem, sive *mors*, per Prosopopoeiam tamquam persona hic sistitur, ut colligitur ex notione dictionis κρατεισθαι ὑπ' αυτου, quae sequitur. Si quis in verbis Petri, de quibus egimus, *dolores* velit intelligere, ab eo scire velim, quosnam tandem Christus post mortem perpessus sit *dolores*, a quibus esset liberandus. Nec verba mihi det aut voces, sed distincte rem explicet.

---

1) Var. Lect. Pro θανατου legitur ᾁδου (*inferni*, in Cod. D. et in verss. Syr. (Erp.) Copt. Vulg. et apud Patres nonnullos.

2) Vide Schleusn. Lexic. in LXX, ad voc. ωδιν.

iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo). Scilicet *ab inferno*, aut *a morte*, pro varia lectione Codicum. Pro *iuxta quod* graece est καθοτι (καθ' ὁ, τι) *prout*, quod logice hic valet *propterea quod*. Ut Christus *retineretur sub potestate* (κρατεισθαι ὑπ' αυτου) *mortis* sive *inferni*, ideo fieri non poterat (ουκ ην δυνατον), quia fieri non potest, ut non impleatur Scriptura; atqui Scriptura praedixerat, Christum in vitam esse revocandum. Ex his patet nexus cum sequentibus : *David* ENIM *dicit*, etc.

25. *David enim dicit in eum*). Graece εις αυτον, quod sumendum est quasi Belgice dicas : *op hem;* et per hoc significatur, ea quae sequuntur verba prophetica *de Christo* esse dicta. Locus, quem Petrus hic allegat in confirmationem sui effati (*iuxta quod impossibile erat*, etc.), desumtus est ex Psalmo XV (Hebraeis XVI); eumque locum non typico sensu sed litterali ad Christum referendum esse, ab authenticis interpretibus, Petro hoc loco, et Paulo infra Cap. XIII : 35, 36, perspicue docemur. Nam uterque, argumentatione usus, firmissime probat, ea Psalmi verba ad Davidem neutiquam posse referri, quum in illis sermo sit de quopiam, qui non esset experturus sui corporis *corruptionem*, quam tamen David non effugisset. Nec vero mirum videri debet, Davidem, qui in antegressis de se locutus fuerat, in extrema illi Psalmi parte, quae hic a Petro recitatur, iam quasi subito abreptum, Christi personam agere; id enim, ut notat Muisius[1], saepe alias facit in suis Psalmis *tamquam Christi typus*. — Graeca Psalmi verba, quae hic in Luca leguntur, plane conveniunt cum eius loci versione Septuagintavirali. Nimirum Scripturae locum a Petro Hebraica, aut quod verisimilius, Aramaica, qua utebatur, dialecto recitatum, Lucas, quum Graece scriberet, secundum versionem Septuaginta-viralem allegaverit.

[1]) Vide Simeonis de Muis Comment. in Ps. XV : 10.

5

Providebam Dominum). Graeca reddi possunt : *semper* (δια παντος scil. χρονου) *prospiciebam* (προωρωμην[1]) *Deum coram me*, h. e. iugitur mentis meae oculos intendebam in Deum ut protectorem meum; nam *a dextris mihi est*, adiutor mihi adest, *ne commovear*. « Divinitas enim, inquit Titelmannus (in Psalm. XV : 8), numquam destituit humanitatem, sed ei adfuit semper, eam custodiens, ne in ullum malum incideret vel peccati, vel etiam alterius nocumenti extra tempus praefinitum et praeordinationem aeternam. »

26. *propter hoc laetatum est cor meum*, etc.), h. e. propterea quod Deus *mihi est a dextris*, ideo laetatum est cor meum, et exultavit lingua mea. Pro *lingua mea* (γλωσσα μου) in Hebraeo est כְּבוֹדִי *gloria mea*, h. e. *animus*, sive *spiritus meus*.

insuper et caro mea requiescet in spe). « Ad haec, cum venerit tempus dormitionis meae, ut ponam a me ipso paululum animam meam, requiescet etiam tum sine ullo corruptionis periculo corpus meum ab anima licet separatum, in spe certa paulo post futurae resurrectionis suae atque cum anima iterandae coniunctionis. » Titelmannus ad h. l.

27. *quoniam non derelinques*, etc.). Nexus est : corpus meum commorabitur (κατασκηνωσει) in sepulcro tutum a putredine; *nam* brevi, anima corpori denuo unita, me ad vitam revocabis. *Non derelinques*, inquit, *animam meam* (την ψυχην μου, Hebr. נַפְשִׁי) *in inferno*, Graece εις ᾅδου, *quod* elliptice dicitur pro εις οικον ᾅδου. De Syntaxi verbi *quietis*, quale est hic καταλειπειν, cum Praepositione εις, vide Gr. pag. 144. *Inferni* (ᾅδος, Hebr. שְׁאוֹל) nomine intelliguntur constituta *in inferioribus* terrae partibus (cf. Ephes. IV : 9) veluti receptoria loca, quo defunctorum animae

---

[1]) Imperfect. Med. Vide Gr. p. 73 in voc. ὁραω.

piorum, impiorum, sine discrimine omnes descendebant ante Christi mortem. Eò vero etiam Christi animam descendisse, Catholicae Ecclesiae doctrina est, quae tum ex praesenti S. Scripturae loco, tum ex Ephes. IV : 9, et I Petr. III : 19 firmissime comprobatur[1].

nec dabis sanctum tuum videre corruptionem). Sicut superiora verba Christi *animam* spectant, ita haec ad eius *corpus* referenda sunt. *Dare* (נָתַן) Hebraei dicebant etiam de *concedendo* aut *permittendo* (v. g. Gen. XXXI), et verbum *videre* (רָאָה) adhibebant etiam de *experiundo*. In Psalmo Hebraico, ex quo sumta sunt haec verba, varia hic lectio occurrit in Codd. MSS. Nam ibi legitur et חֲסִידֶיךָ (*sanctos tuos*) in Plurali, et חֲסִידְךָ (*sanctum tuum*) in Singulari; at vero posterior haec lectio multo maiore testium numero praestat priori, ab antiquis versionibus commendatur, et postulatur a contextu; ut adeo ambigi nequeat, utra alteri sit praeferenda[2].

Titelmannus paraphrastice hunc versum sic exponit. « Divinitas enim in mortis triduo et corpori et animae, quamquam ab invicem separatis, semper manens unita, utrumque inhabitando custodiet, ad faciendam post tridui tempus praevisam ad invicem reünionem, quae sicut animam ab inferno, ita et corpus reducet a sepulcro. »

28. *notas mihi fecisti vias vitae,* etc.). Hebraice est תּוֹדִיעֵנִי *edocebis me* experientia *viam* (Hebr. אֹרַח in Sing.) *vitae*, h. e. redeundi a morte ad vitam, quae *via* est per *resuscitationem*.— Pro Latino *cum facie tua* Graece est μετα του προσωπου σου, ubi μετα notat *apud*, quod vicinum est notioni Praep. *cum*. Sensum verborum Titelmannus

---

[1]) Exstat erudita dissertatio a Theologo Belga conscripta, cui titulus est: De descensu Jesu Christi ad inferos, ex Symbolo Apostolorum et Sacris Scripturis liber, Henrico Vico, Oosthovii Domino, auctore. Antverpiae, 1586.

[2]) Cf. Ioh. Bern. de Rossi *Var. lect.* ad h. l., eiusque *Supplementa ad Var. lect.* ad h. l.

fere sic expressit : « Demonstrabis mihi primo omnium, quasi primogenito mortuorum, *viam vitae*, reditum videlicet a morte ad vitam; resuscitatum vero et ad vitam revocatum me Christum hominem per glorificationem et exaltationem plenissime implebis atque satiabis immenso gaudio et laetitia ineffabili in aspectu vultus tui. »

29. *Viri fratres, liceat*, cet.). Argumentando Petrus probat, recitata modò Psalmi verba ad Davidem non posse referri, adeoque ea continere vaticinium de Christo, ut qui post triduum a mortuis resurrexisset. Verba quae in recitato Psalmi loco leguntur, Iudaei, opinor, de Davide, quem maximi faciebant, dicta esse passim existimaverint. Itaque Petrus declaraturus, falsam hanc esse sententiam, ne animos auditorum offendat, molliter loquendo dicere pergit : *Viri fratres! liceat*, etc. Graecum ἐξον elliptice dictum est pro ἐξον ἐστω. Confer Virgilianum hoc : *Fas mihi Graiorum sacrata resolvere iura*. Pro *audenter* Graece est μετα παρρησιας (Etym. πας ῥησις) h. e. *cum libertate in dicendo* : Belgice : *met vrijmoedigheid;* quod quia addit Petrus, ad vocem ἐξον supplere malim ἐστω quam ἐστι, quod supplendum est v. g. 2 Cor. XII : 4. Particula ὅτι (Vulg. *quoniam*) infert id quod Petrus libere dictum velit. Graeca reddi possunt : *Fas mihi sit libere de Patriarcha Davide profiteri*, ET *mortuum eum esse*, ET *sepultum, eiusque sepulcrum ad hunc usque diem inter nos* (ἐν ἡμιν, in urbe nostra, Hiërosolymae puta) *exstare*. His autem Petrus tacite docet, recitata verba, *nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*, ad Davidem non posse referri.

30. *Propheta igitur cum esset*). Particula οὐν concludit ex antecedentibus : q. d. ergo non de se David ea verba dixit, sed Propheta cum esset, de Messia vaticinatus est. Sensus est : cum esset Propheta, sciretque, divinitus ut talis edoctus, Deum interposito

iureiurando illi promisisse fore, ut de semine eius suscitaret Messiam, qui sederet in throno ipsius aeternùm regnaturus, futura prophetico intuitu praevidens, de resurrectione Christi vaticinatus ibi est, nec animam eius relictam esse in inferno[1], nec carnem eius expertam esse corruptionem.

Promisso additum fuit *iusiurandum*, ad ostendendam promissi firmitatem. Cf. Hebr. VI : 17, 18. Locutio *εκ καρπου της οσφυος αυτου*[2] tantumdem valet ac *ex semine eius*, *ex posteris eius*; cui locutioni cum iungatur verbum *αναστηναι*, id de *sobole excitanda* hic sumendum est. Qui sequitur Infinitivus Aor. *καθισαι*, est Infinitivus *scopi*, resolvendus per *ut* (*sedeat*). Cf. Gr. pag. 355. Infinitivus Fut. *αναστησειν*, ut *actum transeuntem* exprimens, coniungitur Infinitivo Aoristi, quo *actus continuus* indicatur.

32. *Hunc Iesum*). *Τουτον τον Ιησουν*. Resumit quod vs. 24 dixerat : *quem Deus suscitavit*. Hunc Iesum, inquit, de quo

---

[1]) Var. lect. Post *καταλειφθη* non leguntur verba *ἡ ψυχη αυτου* in codd. ABCD, vers. Syr. Vulg. Sahid. Copt. Aethiop., nec lecta fuère ab Irenaeo. Ut mihi videtur, pro glossemate habenda sunt.

[2]) Var. lect. Post verba *της οσφυος αυτου* non leguntur verba *το κατα σαρκα αναστησειν τον Χριστον* in codd. ACD**, nec in verss. Syr. Sahid. Copt. Aeth. Arm. et Vulg. Leguntur autem in Codice B, apud Chrysostomum, Theophylactum, Oecumenium, sed apud hunc inter *αυτου* et *προιδων*. In codice vero E et Minuscc. 4, 27, 29, demtis vocibus *κατα σαρκα*, tantum legitur *αναστησειν τον Χριστον*, eodemque modo legitur etiam in antiqua Itala (*iuravit ei Deus ex fructu lumbi eius suscitare Christum, et sedere super thronum eius*); ita legit etiam Beda; monet enim (*Retract. in Act.* apud Sabatier) in Graeco legi : *de fructu lumbi eius suscitare Christum, et sedere*, etc. Atque hanc equidem putem germanam esse huius loci lectionem. Nam Petrum dixisse *κατα σαρκα*, quibus verbis declarasset divinam Christi naturam, verisimile non est, cum adhuc de eo loquatur tamquam de eximio quodam propheta. Itaque verba *το κατα σαρκα* omnino videntur esse glossema, quo quis elucidare voluerit illud *αναστησειν τον Χριστον*. Sed verba *αναστησειν τον Χριστον* a contexta oratione omnino postulantur; nam si ea demas, nullum hic exprimitur *subiectum*, quod sedere debeat super thronum Davidis. Itaque putem legendum esse ita :... *εκ καρπου της οσφυος αυτου αναστησειν τον Χριστον, καθισαι επι*, κ. τ. λ.

haec vaticinatus erat, Deus resuscitavit a mortuis, *cuius rei* (οὗ in neutro gen.) *nos* (Apostoli, Cf. vs. 14) *testes sumus*, ut qui resuscitatum saepe vidimus, et cum eodem sumus collocuti, et mensam etiam habuimus communem. — Principio Petrus locutus fuerat de Iesu tamquam de insigni quodam Propheta; deinde vero eumdem designavit tamquam Messiam illum, quem Deus se missurum promiserat.

33. *Dextera igitur Dei*). τῇ δεξιᾷ scil. χειρὶ, est Dativus *instrumenti*; valet autem : *per Dei potentiam* exaltatus (ὑψωθεὶς), h. e. in coelum sublatus per eius adscensionem, quae Deo tribuitur, ut modò eiusdem resuscitatio.

et promissione, etc.). Graeca distinctius : *et postquam a Patre accepisset* (λαβὼν Particip. Aor.) *promissionem Spiritus Sancti* (Genitivus *obiecti*) h. e. *promissum Spiritum Sanctum*, Spiritum Sanctum, quem Iesus suis Apostolis promiserat. « Christus quatenus homo, quod hic notat venerabilis Beda (apud Lintrensem), rogavit Patrem, ut Spiritum Sanctum Apostolis daret; id a Patre obtinuit, et ut Deus unà cum Patre misit illis Sanctum Spiritum. » Referenda huc sunt effata Christi : *Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis* (Ioan. XIV : 16). *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos* (Ioan. XVI : 7).

effudit hunc, quem vos videtis et auditis). Interpres noster graeca τοῦτο ὅ retulit ad antecedens ἁγίου Πνεύματος, eòque certe referri *possunt*; verba tamen τοῦτο ὃ possunt etiam reddi *id quod*, quo indicetur *effusi Spiritus Sancti effectus*, quem in Apostolis ceterisque turba illa quae accurrerat non poterat *nunc* tam visu quam auditu non deprehendere. Quid autem *visu*, quid *auditu* deprehenderint, non est hic, opinor, subtilius distinguendum. Notat hic Fromondus : « Sicut Spiritus Sanctus non tantum procedit a Patre sed etiam a Filio, ita etiam dicitur mitti a Filio et

effundi. Rogat ergo Christus Patrem ut homo, effundit vero Spiritum Sanctum ut Deus. »

34. *Non enim David*, cet.). Docuerat Petrus superiori versiculo, Iesum Messiam in coelos adscendisse atque inde effudisse dona Spiritus Sancti in suos discipulos; quam doctrinam mox adducto vaticinio *confirmat*. Doctrinae suae veritatem evidenter credibilem faciebat miraculum illud, cuius auditores eius testes erant oculati et auriti; neque enim Deus comprobare poterat mendacium. Itaque quae Petrus et hic et supra allegat vaticinia, ea memorat non tam ad *probanda*, quam potius ad *confirmanda* ea quae docet. Ostendit ergo illam Messiae *exaltationem* olim a Davide fuisse praedictam. Argumentatio ex vaticinio Davidis talis est : aut de se loquitur David, aut de Messia; atqui non de se; ipse enim non adscendit in coelum; loquitur ergo de Messia, qui quum dicatur sedere ad dextram Dei, profecto *adscenderat* in coelum.

Verba, a Petro hic recitata, ducta sunt ex Psalmo CIX (Hebr. CX), qui secundum litteram propheticus est de Christo; quod ut iam ipso Psalmi argumento declaratur, ita etiam conficitur tum ex verbis Petri, hoc loco, tum ex effatis Pauli 1 Cor. XV : 24, 25, et Hebr. I : 13; V : 6; X : 12, 13. Neque Iudaeorum doctores ausi sunt diffiteri, Psalmum de Messia esse dictum. Confer Matth. XXII : 42—46, ubi Salvator noster ex verbis hic a Petro recitatis probat, Messiam non merum hominem esse, sed etiam Deum. Adimpletum autem fuit propheticum hoc, *sede a dextris meis*, quando Christus suscitatus a mortuis, in coelum est assumptus et constitutus *ad dexteram Dei in coelestibus supra omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem, et omne nomen quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro*. Ep. ad Ephes. I : 20; Philipp. II : 9—11.

sede a dextris meis). Locutio haec metaphorica est; nimirum

S. Scriptura de divinis loqui solet modo humano. Atqui Hebraeis, quorum consuetudinem sacrae litterae spectare solent, honoratior locus erat ad dexteram, ut, si cui Rex primum post se honorem vellet deferri, hunc ad dexteram solii sui sedere iuberet. Cf. 3 Reg. II : 19. Itaque *metaphorica* locutio *sedet ad dexteram Dei*, proprie valet : Deo proximus est honore, ceterisque creaturis quibuscumque praelatus. Ergo, ut Estii verbis utamur (in Ep. ad Hebr. ad Cap. I : 3), per hoc quod Christus dicitur *sedere ad dexteram Dei*, non significatur eum esse Deo Patri aequalem. Sic enim et Pater ad dexteram Filii sederet, et Spiritus Sanctus ad dexteram utriusque; imo sic Filius ab aeterno sederet ad dexteram Patris; quae omnia sunt praeter sensum Scripturae, et a Symbolis fidei nobis ab Ecclesia traditis dissonant. At neque significari videtur assumptio naturae humanae in hypostasim divinam; id enim factum est, quando incarnatus est Christus, non postquam adscendit in coelum. Sed *ad dexteram Dei sedere* dicitur, quia secundum naturam assumptam quietus iam possidet summam illam dignitatem et gloriam regni, quam habet supra omnem creaturam proximus Deo. Hoc enim est quod Patres non solum Christo homini, sed etiam ipsi naturae eius humanae passim tribuunt, dicentes eam clevatam esse ad consessum dexterae Dei; quodque in festo Dominicae Adscensionis infra Actionem a sacerdote dicitur in haec verba : *diem celebrantes, quo Dominus noster, unigenitus Filius tuus, unitam sibi fragilitatis nostrae substantiam in gloriae tuae dextera collocavit*. Christus qui secundum naturam suam divinam est Deo Patri per omnia aequalis, idem, quatenus homo, dignitate secundus est a Patre, ceteris creaturis, quotquot sunt, omnibus praestantior.

donec ponam—scabellum, etc.), h. e. donec subiecero tibi omnes adversarios tuos. Cf. I Cor. XV : 25—29; Hebr. II : 8. Locutio ducta est ex more hostium devictorum colla pedibus calcandi. Cf. Ios. X : 24; 3 Reg. V : 3; Ps. XXVII : 39; Isaiae,

LI : 23. — Particula *donec* (עַד) interdum, ut hic, ita pertinet ad tempus praecedens, ut de futuro non inferat contrarium ; confer Gen. XXVIII : 15; 2 Reg. VI : 23; Matth. I : 25. Bene Muisius (in Ps. CIX) : « Cave, *inquit*, particulam *donec* in hanc sententiam accipias, quasi desiturus sit Christus ad dexteram Patris sedere, quando posuerit Pater inimicos eius scabellum pedum eius, hoc est, quando omnes illius hostes pedibus ipsius conculcandos subiecerit : sed sensus est, quod *interim dum* sedebit Christus ad dexteram Patris, positurus sit Pater inimicos, etc. »

36. *Certissime sciat ergo*, etc.). Orationem suam (vs. 14—35) Petrus concludit (ουν) auditores suos exhortando, ut firmiter credant, Iesum Nazarenum illum, quem crucifixerant, hunc ET universae creaturae Dominum, ET Christum, h. e. Messiam, a Deo esse constitutum. Loquitur Petrus de Jesu non qua is Deus, sed qua homo est. « Propter certitudinem, inquit Lorinus (ad h. l.), fides ipsa quandoque nominatur *scientia*, et qui credit, *scire* dicitur. » *Domus Israel* est tota gens Israelitica; quae utpote oriunda a Iacobo, qui Israël deinde vocatus fuit, tamquam huius *domus* sive *familia* consideratur. Εποιησε, *fecit*, h. e. *constituit*, in quo nihil opus est agnoscere Hebraicum שִׂים, quum et Graeci sic loquantur, quod adductis exemplis probat Palairet (ad h. l.). Scribitur sine Articulo (πας οικος), quòd Ισραηλ ut Nomen Proprium haberetur potius quam ut Appellativum. Cf. Gr. p. 108. *Adnot.* 1. Sic Itali, demto Articulo, saepe dicunt *Chiesa santa*, ad indicandam *Unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam*.

37. *His autem auditis*). Gr. Particip. Aor. ακουσαντες δε, scil. ταυτα, *quum autem audivissent* hos Petri sermones, ad eius orationem, Deo intus corda eorum tangente, *compuncti sunt corde*, Graece τῃ καρδιᾳ, qui Dativus est *relationis*, ut 1 Cor. XIV : 20 et Philipp. III : 5. Vox κατανυγηναι notat *sic pungi ut aculeus im-*

missus haereat, eaque voce *tropice* significatur *acri dolore affici.* Causa doloris praecipue fuerit Christicidium, et quod Iesum tamquam Messiam promissum agnoscere negassent. Itaque quaerunt ab Apostolis, quid sibi facto opus sit ad culpam suam expiandam.

38. *Poenitentiam agite*, cet.). Sensus est : Poeniteat vos culparum admissarum, atque ita quilibet vestrûm, nomen Jesu Christi confessus, suscipiat baptismum, ut eo lavacro a peccatis quisque suis mundetur; deinde per manuum impositionem (cf. Act. VIII : 17) accipietis Spiritum Sanctum. Pro Latino *in nomine Jesu Christi* Graece est επι τῳ ονοματι Ι. Χ., ubi Praepositio επι valere videtur *super*, quasi dicatur baptizandos eos esse *super confessionem nominis Iesu Christi*, i. e. praemissa confessione nominis Iesu Christi. Cf. Act. VIII : 37, 38. Praepositio εις (in εις αφεσιν) dicta est *de effectu obtinendo* per Baptismum; confer Belgicum *tot* : adeoque baptismus hic exhibetur tamquam *sacrum* quoddam *instrumentum*, quo confertur remissio peccatorum.

et accipietis, cet.). Quum illud *et accipietis*, cet., tamquam diversum quid subiiciatur remissioni peccatorum, sermonem hic esse putem, Suarezium (de Sacram. Confirm. Disput. 32, Sect. 1), Estium (in loca diff. ad h. l.), aliosque secutus, de conferendo baptizatis illis Sacramento Confirmationis, quo Spiritus Sanctus confertur *ad robur*. Prima autem hac Ecclesiae aetate baptizati in Sacramento Confirmationis Spiritum Sanctum recipiebant non raro unà cum aliquo *signo manifestante*, ut ait S. Thomas (vide supra, p. 22), h. e. cum aliqua *gratia gratis data*, ut Theologi loquuntur. Cf. Cap. VIII : 17, 18; XIX : 6. Itaque *donum Spiritus Sancti* (Genitivus *obiecti*) intelligitur effectus Sacramenti Confirmationis.

39. *Vobis enim est repromissio*). Confirmat (γαρ) Petrus quod dixerat : *accipietis*, cet.; *nam*, inquit, promissio illa (ἡ επαγγελια

cum Artio.), ea scilicet quam modo ex Ioële recitaverat, spectat vos (ἡμιν, τεκνοις, πᾶσι, Dativi sunt *directionis*) et prolem vestram (τεκνοις), et omnes *qui longe sunt*, graece : τοις εις μακραν, supple χωραν ουσι. His intelliguntur non Gentiles, sed Iudaei absentes et procul habitantes; et vero promissio illa proprie facta erat Iudaeis, non vero Gentilibus. Confer quae scripsimus supra ad vs. 17, pag. 55.

quoscumque advocaverit Dominus, cet.). « Ecclesia, proprium nomen novi Testamenti, dicta ab εκκαλειν, est *evocatio*, seu *coetus evocatorum*, quia nemo adiungit se ad hunc populum per se propriove instinctu, sed vocante per gratiam praevenientem Deo, ut propterea toties Paulus nominet Christianos κλητους, *vocatos*, in omnibus fere epistolis. » Lorinus ad h. l.

40. Vox διεμαρτυρετο (vulg. *testificatus est*) hic valet *edocuit*, ut sensus sit : aliisque pluribus verbis eos edocebat, puta ea quae ad fidem Christianam pertinerent. Verbum διαμαρτυρομαι hoc sensu legitur apud LXX, Exod. XVIII : 20, atque etiam Act. VIII : 25, ubi διαμαρτυραμενοι tamquam vox aequipollens iungitur verbo λαλησαντες. Cf. etiam Act. X : 42; XVIII : 5; XX : 23; Hebr. II : 6. Itaque Lucas hic innuit, se non integros Petri sermones recitasse, longioremque fuisse eiusdem catechesin. Conf. Salmer. Tract. XIV in Act. Ap.

salvamini) Graece σωθητε (Aor. Pass. cum notione Med. Vid. Gr. pag. 266, 5). Est autem σωθητε απο dictum *praegnanter*. Sensus est : Salvate animas vestras, *segregando vos* per professionem fidei Christianae et susceptionem baptismi *ab ista prava generatione*, ab impiis et incredulis popularibus vestris coaetaneis. Vox γενεα passim (v. g. Matth. XI : 16; Luc. VII : 31) sic dicitur de *hominibus qui nunc aetatem agunt*.

41. *Qui ergo receperunt sermonem eius*). Graece : οἱ μεν ουν

ασμενως[1] *αποδεξαμενοι*, h. e. *qui ergo libenter receperunt*, cet.). Illi ergo (*ουν*)[2] qui receperunt (*αποδεξαμενοι*) suo assensu, hoc est admittebant Petri exhortationem (*τον λογον αυτου*), qua dixerat *salvamini*, *εβαπτισθησαν* (Aor. pass. cum notione Med. ut supra vs. 40) *baptizati sunt;* eoque die adiunxerunt sese (*προσετεθησαν*) scil. *Ecclesiae* (cf. infra vs. 47) circiter tria millia hominum. *Ψυχαι* ponitur pro *ανθρωποι* : scire autem, sit-ne hoc ex loquendi more Hebraeorum (נֶפֶשׁ de *persona*), an vero etiam scriptores bene Graeci sic locuti fuerint, nihil nostra hic interest.

Vocem *προσετεθησαν* (Aor. I Pass. cum notione Med.) reddidi *adiunxerunt se*. *Προστιθεσθαι*, ait Bosius (ad h. l.), Graecis dicuntur qui *transeunt in partes*, *adiungunt se partibus alicuius*. Sic Plutarchus dixit : *προστιθεται Αθηναιοις*, *adiungit se Atheniensibus*. Sicut supra in verbis, *quoscumque advocaverit Dominus*, edocti fuimus divinae gratiae auxilium, ita ex praesenti versiculo elucet arbitrii libertas in repudianda aut admittenda fide Christiana.

42. *Erant autem perseverantes*, cet.). Scripsit Lucas *προσκαρτερουντες*, non *προσκαρτερουσαι*, quamquam antecedit *ψυχαι*. Nimirum constructio est, quam vocant, *ad sensum; ψυχαι* enim *intelliguntur* homines. De locutione *προσκαρτερειν τινι* egimus supra ad Cap. I : 14. Dicuntur hic novi illi Christiani perseveranter institisse 1° *τῃ διδαχῃ*, qua hic intelligitur Apostolorum *institutio*, *actus docendi;* Belgice *de onderrigting*. 2° *τῃ κοινωνιᾳ και τῃ κλασει*[3] *του αρτου*, in quo Vulgatae interpres agnovit Hen-

[1]) Var. lect. *ασμενως* non legitur in ABCD, nec in Verss. Copt. Sahid. Aetiop. Vulg., nec a Beda (Retract. in Act. apud *Sabatier*) lecta fuit. Ambigi posse videtur, sit-ne genuina vox *ασμενως*.

[2]) De vi continuandi orationem, quam hic obtinet Particula *ουν*, videsis Hoogeveeni Doctr. Partic. pag. 540, IX.

[3]) Var. lect. Verba *και τῃ κλασει* non leguntur in codd. AD et Vers. Sahidica. — Itala habet : « Erant autem instantes doctrinae Apostolorum, et communicationi et fractioni panis, et orationibus. » Atque hanc lectionem Codices Graeci fere omnes exhi-

diaden; nam Graeca ita vertit quasi scriptum esset : τῃ κοινωνιᾳ της κλασεως του αρτου. Forsitan και hic sumpsit pro ηγουν *sive*, quo sensu Particula και passim occurrit. Haec si cui minus placeant, poterit is voces τῃ κοινωνιᾳ referre ad *Agapas*, sive communia illa convivia, quae in primitiva Ecclesia fideles habebant ante sumptionem Eucharistiae. Cf. Estium ad 1 Cor. XI : 20. Ad *fractionem panis* quod attinet, dubitandum non est, quin ea referenda sit ad sumptionem *panis eucharistici* (του αρτου cum Articulo); quam interpretationem sicut contexta oratio iam suadet, agitur enim de *sacris* exercitiis, ita et S. Scripturae de usu Eucharistiae loquendi ratio eamdem commendat. *Panis quem* FRANGIMUS, inquit Apostolus (1 Cor. X : 15), *nonne participatio corporis Domini est?* Iam Syrus verba τῃ κλασει του αρτου de Eucharistia dicta esse intellexit, nam ea reddidit : ܒܩܨܝܐ ܕܐܘܟܪܣܛܝܐ, h. e. *in fractione Eucharistiae*. Cum vero *certae* quaedam *preces sacrae* (ταις προσευχαις, cum Articulo) iungantur institutioni in doctrina sacra et participationi corporis Domini, non obscure hic *delineatum* est incruentum illud novae Legis sacrificium, sacrificii crucis commemorativum, quod Deo quotidie in Ecclesia Catholica ubique terrarum offertur.

43. *per Apostolos in Ierusalem fiebant*). Graece : δια των Αποστολων εγινετο[1]. Duo hoc versu dicuntur : et *primo* quidem quo animo passim affecti fuerint cives Ierosolymitani ad ea, quae

bent, eaque genuina Lucae scriptura esse videtur.

[1]) VAR. LECT. In cod. E et Minuscc. nonnullis additur εν Ιερουσαλημ, eamque vocem exhibent etiam Verss. Itala, Syriaca et Vulgata. Sed quum otiosum videatur illud addidisse, neque magnam lectio habeat auctoritatem, pro glossemate illud εν Ιερουσαλημ habendum esse existimem.

Porro in Codd. AC multisque Minusculis et Verss. Copt. et Vulg. a fine huius versiculi addita leguntur haec : φοβος τε ην μεγας επι παντας. De quibus idem putem esse ferendum iudicium, praesertim quum languida mihi videatur repetitio superioris sententiae : εγενετο δε πασῃ ψυχῃ φοβος.

die Pentecostes Hierosolymae acciderant; *secundo* vero, Apostolos, post acceptum Spiritum Sanctum, multa patrasse miracula, quo divino testimonio confirmabatur veritas doctrinae quam praedicabant. Cf. Ep. ad Hebr. Cap. II : 3, 4. Φοβος ille qui (εγενετο Aor.) *universe Iudaeos* (παση ψυχη) Hiërosolymae *occupavit*, intelligitur sacer quidam pavor, qui non fuerit sine reverentia quadam erga Apostolos novumque coetum Christianum. Pro Dativo illo *directionis* παση ψυχη (*alle gemoederen*) infra (Cap. V : 5) eodem sensu dicitur επι παντας. Fuisse miracula ab Apostolis patrata *frequenter*, innuitur etiam per Imperfectum εγενετο. Cf. Gr. pag. 286. β.

44. Superiori Versiculo ea dixerat Lucas, quae ad Apostolos attinent; pergit iam : ad novos Christianos *autem* (δε) quod attinet, *erant* παντες οἱ πιστευοντες (tous les fidèles) *pariter*, graece επι το αυτο. Quod quum de *eodem loco* intelligi nequeat, illud refero ad arctam necessitudinem, qua inter se coniuncti vivebant; quam interpretationem S. Chrysostomus (Hom. VII in Act.) mihi videtur indicare. Si in certa quadam urbis parte domicilium suum collocassent, ut quantum fieri posset vicini invicem essent omnes, potuisset illud επι το αυτο (scil. χοριον) reddi : *in eodem loco*.

et habebant omnia communia). Scilicet quod attinet ad *opes*. Bonorum haec communitas qui fieret, statim additur (vs. 45) : nempe bona sua sive (και—και) immobilia (κτηματα) sive mobilia (ὑπαρξεις) divendebant, *eaque* (αυτα) h. e. eorum pretium collectum dispertiebant omnibus, prout cuiusque necessitas postulabat. Ditiores qui essent inter novellos Christianos bona sua ad usum communem divendisse *prorsus omnia*, non expressè hic dicitur, imo potius contrarium colligendum videtur ex verbis Lucae Cap. IV : 32—34, ubi de illa bonorum communitate ita loquitur : *nec quisquam*, inquit, *eorum quae possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Quidquid sit, haec bonorum

communitas in sola Hierosolymitana ecclesia obtinebat; eratque res non praecepti, sed liberae uniuscuiusque relicta voluntati; atque hoc quidem luculenter constat ex iis, quae infra (Cap. V) de Anania et Sapphira narrantur. De καθοτι vide supra, p. 65. Particula αν cum Indicativo cuiusvis temporis coniunctum, ut notat Hermannus (ad Viger. p. 820), saepe nihil aliud significat, quam accidere vel accidisse aliquid non *certo quodam tempore*, sed quotiescumque occasio ita ferret.

46. Continuatur descriptio morum primorum Christianorum Hierosolymae. *Quotidie*, inquit, *assidue aderant unanimiter in templo*, puta, ut publicis precibus interessent. « Nam, quod hic notat Calmet, licet Salvatoris morte ceremoniae et sacrificia essent antiquata, et novum foedus testamento veteri successisset, attamen non erat e consiliis Dei, ut fideles statim a Iudaeis seiungerentur, atque Legis ritus relinquerent; quos servabant, quatenus Ecclesiae utilitas exigebat, non vero amplius tamquam Iudaei. Evitabant illi, ne infirmis scandalum ingererent, eosque ab Evangelica doctrina averterent; sed illos sensim disponebant, ut ad cultum puriorem atque magis spiritualem attollerent. » Προσκαρτερειν εν τινι τοπῳ est alicubi *assidue adesse*. Sic in Daniele (Vulg. Cap. XIII) legitur οὑτοι προσκαρτερουν εν τη οικιᾳ Ιωακειμ, h. e. *illi constanter aderant in domo Ioakim.* Vox ὁμοθυμαδον (Vulg. *unanimiter*) hoc loco dicta mihi videtur non de *animorum consensu*, sed eo sensu ut notet *una*, *simul*, *coniunctim*, quo sensu Lucas eam vocem passim adhibet. Cf. Act. VII : 56. XIII : 20 et XV : 25, ubi Graeca : εδοξεν ὑμιν γενομενοις ὁμοθυμαδον, Vulgata reddidit : *placuit nobis collectis in unum.* Alexandrini passim usi sunt hoc adverbio pro יַחַד et יַחְדָּו *una*, *simul*, *pariter;* et Hesychius ὁμοθυμαδο νinterpretatur per ὁμου, ὁμοψυχως. Itaque praesentem locum reddo ita : *Et quotidie assidui erant una in templo.* Participium προσκαρτερουντες pendere a Verbo Finito μετελαμβανον, non pu-

tem; malim vero hic agnoscere ellipsin, ut dictum sit *καθ' ἡμεραν τε προσκαρτερουντες* pro *προσκαρτερουντες ησαν*, ut supra (vs. 42) Lucas scripserat. Iam Syrus sic intellexit; vertit enim : ܐܡܝܢܝܢ ܗܘܘ ܒܗܝܟܠܐ h. e. *constantes erant in templo*. De hac Ellipsi vide Hermanum ad Vigerum, pag. 770. Cf. Rom. V : 11. — 2 Cor. VII : 6. Repetitum *τε* huic interpretationi non videtur obstare. Cf. Act. XVI : 11, 12.

et frangentes circa domos panem). Participium *κλωντες* pendet a Verbo Finito *μετελαμβανον*. Vox *αρτος* non ut supra (vs. 42) cum Articulo, sed sine eo ponitur : *κλωντες αρτον*. Itaque panis, qui hic dicitur, non videtur intelligendus panis *eucharisticus;* praesertim quum de huius panis usu sermo supra (vs. 42) iam fuerit, et mox *κλωντες αρτον* explicetur per *μετελαμβανον τροφης* (*nourriture*). Locutionem *κατ' οικον* Vulgata alibi (ad Philem. vs. 2) vertit *in domo*, hic vero *circa domos*, h. e. *domatim*. Nescio an recte; neque enim *κατ' οικον* valere posse videtur *καθ' ἑκαστον οικον*. Accedit, Lucam ubi dicere vult *domatim*, scribere *κατα τους οικους* (vid. Act. VIII : 3). Mea quidem sententia, praesens locus ita reddendus est : *frangentesque domi*, hoc est, *privatim* (in Templo UNA erant omnes) *panem*, *cibum sumebant cum exultatione et simplicitate cordis* (integre et citra aliquam culpam). Tota phrasis *κλωντες αρτον μετελαμβανον τροφης* non plus mihi significare videtur quam *cibum capiebant*. Sic infra (Cap. XX : 11) Paulus dicitur *κλασας αρτον και γευσαμενος* (Vulg.: *frangens panem et gustans*), et Cap. XXVII : 35 : *και κλασας* (scil. *αρτον*) *ηρξατο εσθιειν* (Vulg. *et cum fregisset*, *coepit manducare*).

47. *collaudantes Deum*). Quum addatur *et habentes gratiam ad omnem plebem*, illud *collaudantes Deum* non coarctandum videtur ad preces ante et post mensam factas, sed universalius intelligendum, quasi Lucas diceret : Dei laudes indesinenter celebrabant. *Gratique erant omni populo* (*και εχοντες χαριν προς ὁλον τον λαον*), civibus Hierosolymitanis, puta ob eorum erga Deum pieta-

tem, integritatem vitae, modestiam, et singularem quamdam morum suavitatem, qua novelli Christiani erga concives suos usi fuerint.

Dominus autem (δε hic continuandae orationi inservit) *quotidie augebat*, Graece : προσετιθει, *addebat*, scil. Ecclesiae in die Pentecostes collectae, τους σωζομενους, *qui salvi fiebant* (qui se sauvèrent), nempe divino adiuti auxilio a Synagoga recedentes, et Christo nomen dantes. Apostoli praedicabant, sed Dominus *addebat*, quia *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* I Cor. III : 7.

in idipsum) Graece : επι το αυτο. Sed ab his vocibus in plerisque Codicibus Caput tertium inchoatur, et quin ita legendum sit, non est cur dubitemus.

CAPUT TERTIUM.

ARGUMENTUM. Hominem a nativitate claudum, ad portam Templi sedentem, Petrus sanitati restituit, vs. 1—11 ; et populum eo miraculo attonitum edocet, sanationem illam non sibi tribuendam esse, sed Iesu Nazareno, quem Deus a mortuis revocasset. Christicidium illis exprobrat, eosque cohortatur ad poenitentiam, et ut in persona Iesu agnoscant promissum Messiam, vs. 12—26.

1. Επι το αυτο est hic *una, simul*, ut (apud LXX) 2 Reg. II : 14, ubi επι το αυτο respondet Hebraico יַחְדָּיו. Eodem modo Flavius Josephus (Antiqq. XVI : 8, 6) de Herode et Archelao scripsit : επι το αυτο παρηλθον, *unà profecti sunt*. Verbum αναβαινειν (Hebr. עָלָה), *adscendere*, Hebraeis solenne erat de iis qui ex depressiore regione in editiorem pergebant, v. g. ex Aegypto

[1]) Iam Beda (Retract. in hunc locum) monuit, in Graeco ita legi : « Dominus autem augebat qui salvi fierent quotidie Ecclesiae. « Ac deinde, *inquit*, altera narratio ita incipit : In idipsum autem Petrus et Ioannes, etc.

in Iudaeam; dicebatur et de iis, qui Hiërosolymae commorantes templum adibant (*opgaan naar den tempel*). Επι την ώραν est *circa* vel *sub horam;* sic Polybius dixit : επι την έωθινην, scil. ώραν, *sub matitutinum tempus;* atque eo etiam sensu Latini adhibebant Praepositionem *ad* (vid. Facciol.), quod et Noster hoc loco fecit. Iudaeis aetate Apostolorum dies incipiebat ab ortu solis, nox ab eiusdem occasu; et diem aeque ac noctem distribuebant in horas duodecim, quae quidem, pro maiori minorive dierum noctiumve longitudine, modo longiores essent, modo breviores. Diem porro dividebant in quatuor partes, quarum unaquaeque tres complectebatur horas. Itaque prima diei hora Iudaeis incipiebat ab ortu solis; prima noctis ab eiusdem occasu; illorum sexta diei hora, nostra erat duodecima; nona, nostra pomeridiana tertia; hora decima illis erat penultima ante occasum solis. Hora tertia, sexta, et nona, precibus erant consecratae. Cf. Act. Ap. II : 15; X : 9.

2. Quo tempore ad templum unà adscendebant Petrus et Ioannes, *eodem tempore* (ob duo Imperfecta : ανεβαινον et εβασταζετο) a baiulis adportabatur aliquis utroque pede (Cf. vs. 7) claudus, idque inde *a nativitate,* εκ κοιλιας, pro quo Ioannes, Cap. XI : 1, eodem sensu dixit εκ γενετης. Hunc deponebant (ετιθουν[1]) quotidie ad portam Templi, quae agnominabatur (την λεγομενην) *speciosa.* Communiter hic intelligitur porta Nicanoris, quam prae caeteris *speciosam* fuisse ex relatione Flavii Iosephi (de Bell. Iud. Lib. V: 5, 3) notum est. Sciendum est, montem, in quo situm erat Templum, circumdatum fuisse muro, qui variis portis erat instructus. Confer Ackermanni Archaeol. § 329. Του αιτειν est Genitivus *scopi* sive *finis*, de quo vide Gr. § 45. 4. β.

---

1) Ετιθουν non debuerat, inquit Valckenaer, ad τιθημι referri, sed ad τιθεω, unde Imperfectum analogon ετιθουν, ut a verbo δεω, reduplicatum διδεω, idem ac διδημι *ligo*, est Imperf. εδιδουν.

3. *Incipientes introire*). Gr. μελλοντας εισιεναι, h. e. *in eo esse ut ingrederentur*, vel *volentes ingredi*. Cf. Herm. ad Vig. p. 754. In ηρωτα (Imperf.) ελεημοσυνην λαβειν[1] Pleonasmus quidem est in voce λαβειν, sed, notante Valckenario, scriptores, etiam optime Graeci, verba aliquot sic solent adiicere per Pleonasmum, λαβειν, λαχειν, τυχειν, εὑρειν. Confer Act. VII : 46, ubi, simili Pleonasmo, ad vocem ῃτησατο adiectum est verbum εὑρειν. Verbum λαβειν est Infinitivus, quem vocant *scopi* sive *finis*, de quo videsis Gr. pag. 355. 3; quare recte Vulgata vertit : *rogabat ut eleemosynam acciperet*. Mendicus ille, ut notat Chrysostomus, èx modestia vultus et habitu totius corporis coniecerit, Petrum et Ioannem esse viros pios, a quibus eleemosyna sperari posset. Habet enim suum ingenium mendicitas, ut ait Erasmus.

4—5. *Intuens*). Ατενισας scil. οφθαλμους. Vide supra ad Cap. I : 10. *Respice in nos!* Hac loquendi formula, opinor, Petrus voluerit mendicum attentum reddere ad miraculum quod esset patraturus, ut is, sanitati restitutus, rei veritatem exponere posset testis quam maxime idoneus. Ista forma βλεψον εις ἡμας, inquit Valckenaer, optimis etiam Graecis usitata, *patrum* erat vel *dominorum* ad liberos vel servos, quando hos minus attentos, attentos esse iubebant. *Intendebat*, Graece : επειχεν αυτοις scil. τον νουν, *animum* (oculosque) *in illos intendebat*, stipem exspectans.

6. *Argentum et aurum*). Sensus est : pecuniam non habeo, non possideo (Chrys.), *quod autem* (δε) *habeo* (in mea potestate per facultatem patrandi miracula, sanitatem, inquam, et valetudinem corporis tui), *hoc tibi* hic iam *do* : per virtutem sive potentiam Iesu Nazareni Messiae, surge e loco, in quo iaces, et ambula! — Erat

---

[1]) VAR. LECTIO. Codices ABCE et Minuscc. multi post ελεημοσυνην addunt vocem λαβειν.

sermo hic *operatorius*, h. e. operantis, non precantis, aut optantis. *Nomen* Iesu, si de patrandis aut patratis miraculis sermo est, ad eius virtutem sive potentiam esse referendum, colligo ex Cap. IV : 30, ubi prodigia fieri dicuntur *per nomen* (δια του ονοματος) Iesu. Praepositio εν, in locutione εν τῳ ονοματι, notat, *in* potentia Iesu Christi causam esse illius sanationis. Monet ad h. l. Corn. a Lap. sequentia : « Potestatem, *inquit*, faciendi miracula Petrus *habebat* permanentem, non per habitum, sed instar habitus. Dei enim assistentiam habebat ad modum habitus, ut per eius omnipotentiam sibi paratam, quoties vellet, toties miraculum ederet. Deum ergo Deique poteutiam Petrus quasi habebat in manu, ac per eam erat quasi omnipotens. » Confer etiam S. Th. 2. 2. q. 178. Art. 1.

7. Graeca, και πιασας κ. τ. λ., Belgice vertas : *en hem* BIJ DE REGTERHAND (της δεξιας, Genitivus *partis*, vid. Gr. pag. 203, d.) *gevat hebbende* (πιασας). Comprehensa manu eius dextera, *erexit* (ηγειρε) eum, *et confestim* (παραχρημα, dadelijk) *bases eius* (αἱ βασεις *plantae pedis*, de voetzoolen) *et plantae* (τα σφυρα *tali*, de hielen, verzenen) *consolidatae sunt.*

8. *Et exiliens.* Gr. και εξαλλομενος (*opgesprongen zijnde*) scil. e loco, in quo iacebat, *stetit* (εστη *hij stond op zijne voeten*), etc. *ambulans et exiliens* (gaande en springende). Ibat ita, ut per intervalla temporis prae gaudio subsiliret.

9—10. *Omnis populus*). Omnis ille populus, qui hac hora frequens aderat in Templo, *videbat eum laudantem Deum.* Pronum est iudicare, hominem ob sanationem suam exultabundum, et voce et religioso gestu Deo gratum suum animum fuisse testatum. In επεγινωσκον αυτον ὁτι οὑτος ην est *attractio* illa satis frequens (vid. Gr. § 63), qualis est in hoc Ciceronis (ad Fam. IV : 1):

rem video quomodo se habeat. Videsis etiam Hoogevenium ad Viger. Cap. V. Sect 1. XIV. Ὁ προς την ελεημοσυνην κατημενος *ille ad eleëmosynam sedens.* Sensus est : qui ibi aderant agnoscebant omnes, eum esse hominem illum, qui stipis causa (προς την ελεημοσυνην, *om de aalmoes*) ad portam speciosam quotidie sedebat; itaque maxima admiratione (*stupore et exstasi*) perculsi sunt *ob id* (επι τῳ), quod illi contigerat.

11. *Cum teneret*). Graeca habent : *quum teneret autem is qui sanatus fuerat claudus Petrum et Ioannem.* Quum Petrus et Ioannes e templo egressuri essent, claudus ille pedes illorum, opinor, venerabundus prehenderit (cf. Matth. XXVIII : 9), voceque elatiori significaverit, per hos viros sibi contigisse sanitatem. Hinc populi ad eos fit concursus *ad porticum,* Graece επι τῃ στοᾳ, *bij de gaanderij.* Porticus Salomonis erat porticus orientalis atrii gentium. Vide Ackerm. Archaeol. § 330. Vox εκθαμβοι pendet ab antegressa ὁ λαος, qui Singularis Collectivus est, quare in Plurali εκθαμβοι est constructio *ad sensum.* Vid. Gr. § 33. 1. β.

12. *Videns*). Ιδων (Aor.). *Quum autem videret* Petrus hunc populi concursum, cuius causam facile perspexerit, sic ad eos dicere est exorsus : *Viri,* etc. Vox απεκρινατο in Graecitate veteris et novi Testamenti passim notat non tantum *respondit ad interrogata,* verum etiam, data aliqua occasione *verba facere coepit, exorsus est dicere,* ut Nostratium : *hy nam het woord op.*

Quid miramini, quasi nostra virtute aut potestate[1], cet.). Non ferunt Apostoli, se a populo conspici oculis admirabundis, quasi

[1]) Var. lect. Pro ευσεβειᾳ *pietate* in lectionibus Velesianis occurrit εξουσιᾳ, *potestate*, quam lectionem etiam referunt Versiones Vulgata, Syriaca et Armeniaca. Sed in Graecis codicibus constanter legitur ευσεβειᾳ; atque hanc vocem etiam legerunt auctor Italae, S. Chrysostomus, Theophylactus, Cassiodorus et Oecumenius. Itaque non videtur ambigendum, quin germana lectio hujus loci sit ευσεβειᾳ, *pietate.*

ipsis quidquam tribuendum esset in patrato hoc miraculo. « Nolunt, inquit Salmeron (Tract. XVIII in Act.), in seipsis agnoscere virtutem aliquam naturalem, aut potestatem, sive ut Graeca lectio habet, religionem, seu religionis meritum, ob quod digni essent, qui exaudirentur. » Επι τουτῳ, *de hoc* (*hierover*). Ατενιζετε scil. οφθαλμους. Vide supra, pag. 27. Ἡμιν est Dativus *directionis*, cui *apponitur* Participium πεποιηκοσι. Belgice vertas : *als hebbende door onze eigene kracht gemaakt, dat,* etc. Potuisset scribere Lucas, demto Articulo, πεποιηκοσι περιπατειν αυτον. De addito hic Articulo του vide Gr. § 43, pag. 356, sqq.

Non nobis, inquit, tribuenda est haec sanatio, sed Deo, qui illo miraculo glorificavit servum suum Iesum, quem vos occidendum tradidistis Pilato (vs. 13—14); sed Deus eum suscitavit a mortuis, quod nos testamur (vs. 15); et mediante fide nostra in Iesum tamquam Messiam promissum, illius virtute claudus hic sanatus est (vs. 16).

13. *Deus Abraham*, cet.). A beneficiis erga gentis suae patriarchas, Israelitae frequenter Deum sic denominabant. Ita et Petrus. Deus, inquit, quem patres nostri coluerunt, *glorificavit puerum suum Jesum* (εδοξασε τον παιδα αυτου Ιησουν). Miraculum hoc effici nequibat nisi divina potentia; atqui Petrus illud patraverat adhibito nomine Iesu Nazareni, quem et a mortuis resurrexisse, et in coelum sublatum, et a dextris Dei sedere, et promissum Messiam esse palam annuntiabat; Deus ergo, cum falsae doctrinae patrocinari nequeat, miraculum hoc efficiendo, ea omnia quae de Iesu Nazareno Petrus praedicabat, vera esse confirmaverat, unaque sic Iesum *glorificaverat*. Non dixit Petrus τον υἱον (*filium*) αυτου, sed τον παιδα (*puerum*) αυτου. Scilicet Messias ab Isaia in praeclaro illo vaticinio, quod legitur Cap. LII : 13—LIII : 1—12, dictus fuerat עַבְדִּי (Vulg. : *servus meus* (Dei); LXX : παις); eaque denominatione etiam Petrus hic usus est ad Iesum Messiam indicandum.

quem vos quidem tradidistis). Est hoc μεν (*quidem*[1]), ut vocant, *solitarium* (vide supra, p. 2). Volebat dicere Petrus : *quem vos quidem* (μεν) *tradidistis occidendum, Deus autem* (δε) *resuscitavit*, sed per interiecta : *negastis — dimitti*, abrupta fuit incoepta periodus. *Tradidistis* (παρεδωκατε) scil. Pilato Praesidi, ut hic eum neci traderet. Cf. Ioan. XVIII : 28, sqq. *Et negastis*, recusastis, repudiastis eum κατα προσωπον Πιλατου, *versus vultum*, h. e. coram Pilato, *quum hic iudicasset* (κριναντος) illum absolvendum.

14. Nexus et sensus : Pilatus Iesum, utpote innocentem, indicaverat absolvendum; vos autem (δε), optione vobis data, utrum ex duobus dimitti vobis velletis, Iesum quem Pilatus nullius criminis reum agnoverat, an Barabbam notissimum illum homicidam, vos Iesum (τον ἁγιον και δικαιον) virum illum eximie (τον) sanctum et iustum (Vid. Marc. VI : 20, et cf. Salm. Tract. in Act.) repudiastis (ηρνησασθε), et petistis ut homicida (ανηρ φονευς *een moordenaar*) *vobis donaretur* (χαρισθηναι ὑμιν), h. e. in gratiam vestram a morte liberaretur. Cf. Matth. XXVII : 15-27; Luc. XXIII : 17-26.

15. *auctorem vero vitae interfecistis*). Nota antithesin inter Barabbam *scelestum* et Iesum *sanctum et iustum;* item inter *homicidam* et *auctorem vitae*. Inde magis elucescebat gravissimum Iudaeorum facinus. Posterior haec antithesis postulare videtur, ut putemus, Iesum a Petro hic dici auctorem *vitae physicae*, h. e. Creatorem, adeoque obiter hic ab eodem innui Christi divinitatem. In qua sententia video fuisse etiam Theophylactum, Oecumenium, Estium, alios.

---

[1]) Post vocem ὑμεις Codd. ABCE et Minuscc. multi habent μεν, quam lectionem etiam Vulgata nostra refert, quum ibi legatur : vos *quidem*.

quem Deus suscitavit, cet.). Jesum a mortuis redivivum Petrus numquam non praedicat; nimirum in hoc facto, veluti fundamento suo, veritas nititur Religionis Christianae; nec poterant Iudaei Iesum Nazarenum tamquam Messiam agnoscere, nisi a mortuis resurrexisset, quum se a mortuis resurrecturum esse praedixisset. Iesum autem reapse resurrexisse, illis constiterat testimonio Apostolorum, qui affirmabant, se eum redivivum saepe conspexisse, Deo per multa miracula attestante, verum esse quod Apostoli praedicabant.

16. *Et in fide nominis eius*, cet.). Genitivus *obiecti*. Graece est επι τῃ πιστει, ubi Particula επι cum Dativo est Nostratium *op*, vel *om*, dictaque est de causa, qua quid nititur. Sensus est : *per fidem*, sive *mediante fide nostra in nomen Christi*, h. e. in Christum, *nomen eius* (Christi), i. e. Christus *confirmavit* (εστερεωσε *consolidavit*, *roboravit*, sanavit) *claudum*, *quem hic praesentem conspicitis* (θεωρειτε in Praes.) *et novistis*.

et fides quae per eum est, cet.). Graece : και ἡ πιστις ἡ δι' αυτου, hoc est, et nostra in Christum fides, quam non nobis acceptam referimus, sed habemus *per eum* (δι' αυτου), utpote ab ipso nobis donatam (cf. 1 Petri I : 21), haec fides dedit coram omnibus vobis claudo huic integram sanitatem istam, quam in eo conspicitis. Bene Stapleton[1] : « Ipsius claudi, *inquit*, nulla hic fides erat, qui respexit in Petrum et Ioannem, *sperans se aliquid eleëmosynae ab illis accepturum*. Manifeste Petrus sicut principalem causam huius miraculi tribuit Christi virtuti ac potentiae, ita mediam et instrumentalem causam in ipsa fide ponit. »

17. *Et nunc fratres*, cet.). Lenit asperitatem superioris effati, quo dixerat, eos Messiam suum eumdemque auctorem vitae inter-

---

[1]) Antidota in Act. Ap. ad h. l.

fecisse, viroque sanctissimo et innocentissimo praetulisse homicidam. Itaque crimen ipsorum nonnihil extenuat, quo facilius corda eorum flectat ad poenitentiam, et ad fidem in Christum Iesum. Locutio *και νυν* (cf. Hebraicum וְעַתָּה) hic inservit *transitioni*. « Longe culpabilior fuit, quod notat hic Corn. a Lap., principum ignorantia, quam populi, utpote crassissima, vel etiam affectata; quia tamen haec quoque aliquo modo in scelere minuit audaciam, impudentiam et irreverentiam in Deum, eo quod minuit voluntarium (gravius enim peccassent, si Christum cognitum, quod scilicet ipse esset Messias et Filius Dei, voluntarie et destinata malitia occidissent), idcirco a Petro hic allegatur quasi causa Christicidium excusans, non in toto, sed in tanto. » Ad id quod dicitur *sicut et principes vestri*, ex antegressis mente supplendum est : *per ignorantiam fecerunt*. Principes autem (*αρχοντες*) intelliguntur membra Synedrii, de quo videsis Ackermanni Archaeolog. p. 258. In locutione *κατα αγνοιαν* Praepositio *κατα* valet Nostratium *naar, volgens*, ex quo facile intelligitur, quomodo etiam notionem habeat Praepositionis *per*, quam Vulgata in praesenti loco adhibuit.

18. *Deus autem*, cet.). Etiam hic, ut supra (Cap. II : 23), Petrus tacitae occurrit obiectioni, qua dicerent Iudaei : Si talis tantusque vir erat Jesus, qui factum est, ut ignominiosam illam mortem non effugerit. Itaque sicut supra dixerat, fuisse Iesum Iudaeorum potestati permissum *definito concilio et praescientia Dei*, ita hic docet, praedictum fuisse fore, ut Messias pateretur, adeoque et divinitus praevisum hoc fuisse atque permissum. Scandalum crucis, quod Iudaeos avertere posset a suscipienda fide Christiana, sapientissime Petrus ita removet, ut illud simul vertat in argumentum ad probandum, Iesum Nazarenum verum esse Messiam. Nam si illam mortem perpessus non fuisset, nec erat promissus Messias.

Relativum ἃ non est Obiectum verbi παθειν, sed verbi προκατηγγειλε. Graeca vertas: *Deus autem, quae praenunciaverat per os omnium suorum prophetarum, fore ut Christus pateretur, hoc modo implevit.* Locutio παθειν τον Χριστον complectitur varia quae Christus perpessus est; ad *varia* haec referas Relativum ἃ; est ergo hic, ut videtur, constructio *ad sensum*. In Cod. Msc. D pro ἃ legitur ὁ, quod faciliorem praebet Syntaxin. De Infinitivo Aor. παθειν vide Gr. pag. 361, 8.

per os omnium prophetarum). Locus hic imprimis valet ad probandam sacrarum Scripturarum θεοπνευστιαν. Docemur hic pariter, Prophetas omnes uno alterove modo esse vaticinatos, fore ut Christus pateretur. *Sic implevit*, h. e. impietati vestrae Christum permittendo, oracula sua Deus eventu comprobavit.

19. *Poenitemini igitur*, cet.). Sermonem suum concludit (ουν) Petrus, auditores suos adhortando ut de culpis admissis doleant atque recipiscant, idque faciant *in eum finem* (εις), ut illorum peccata *deleantur*. « Αλειφειν est *ungere, linere*; απαλειφειν, εξαλειφειν *oblinere*, atque ita *delere, quod illitum erat*. Veteres in tabellis cera inductis literas inarabant stylo ferreo; quando id quod scriptum erat eradendum videbatur, stylum vertebant et obtusa eius parte ceram oblinebant, atque ita ante scripta corrigebant. » Valcken. ad h. l.

20. *ut cum venerint*, cet.). Graece ὁπως αν ελθωσι. Locutio ὁπως αν quinquies (Matth. VI : 5; Luc. II : 35; Act. III : 19; XV : 17; Rom. III : 4) in Scripturis sacris novi Testamenti occurrit, eamque Interpres noster per Particulam *ut* reddidit ubique, hoc loco excepto; videtur ergo hic sumsisse Particulam αν tamquam contractam ex εαν. Dici autem εαν, *si*, pro *quando* vel *cum*, indubium est; confer Ioh. XII : 42; XIV : 3. Hebraeis familiare erat adhibere אם pro *quum*, *quando*. Quod si interpre-

tem nostrum sequamur, dicendum erit, esse hic *ανανταποδοτον*, nam Protasis *ut cum venerint — prophetarum*, sua caret *Apodosi*. Ego vero, etsi gravate istiusmodi *ανανταποδατα* fero, tamen putem faciendum hic esse cum nostro Interprete. Neque enim video, quanam alia ratione perspicuus aliquis sensus ex praesenti loco erui possit. Nam si ab Interprete nostro discedas, locus hic reddendus est aut hoc modo : UT FORTE (ὁπως αν) *veniant tempora refrigerii... et mittat... Iesum Christum*; aut sic : QUANDOCUMQUE (ὁπως αν) *veniant... et mittat...* Sed ad priorem interpretationem quod attinet, equidem minime concipio, quonam tandem modo *finis* poenitentiae et peccati deleti esse possit UT *veniant tempora refrigerii et Deus mittat Christum*. Secundum alteram vero interpretationem dicendum esset, deleri peccata QUO TEMPORE *venerit refrigerium* illud, *et Deus miserit Christum*; atqui nulla mora peccata delentur ad poenitentiam et susceptionem baptismi.

Quae quum ita sint, Interpretem nostrum secutus, admitto hic *ανανταποδοτον*, atque, addita Apodosi, locum sic lego, quasi scriptum esset : *ut, cum venerint — prophetarum, ut, inquam, etiam vos tum in refrigerio sitis.*

tempora refrigerii). Quum *tempora refrigerii* hic iungantur cum Christi adventu secundo, *tempora refrigerii* intelligimus tempora illa, quae concipimus futura post mundi finem, quando iustis a morte redivivis obtinget felix illa *ανεσις* sive *relaxatio* aut *requies*, quam illis promittit Paulus *in revelatione Domini Iesu de coelo cum Angelis virtutis eius*. Confer 2 Thessal. I : 7, qui locus huius loci parallelus est, eidemque lucem affundit. Itaque intelligitur inchoatio felicissimi illius aevi, quo *Deus absterget omnem lacrymam ab oculis* iustorum; quo *mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor, quia prima abierunt*; quo *is qui sedet in throno* dicturus est : *Ecce nova facio omnia*. Apoc. XXI : 4, 5. Vox *αναψυξις* proprie notat *respirationem*, deinde *recreationem a laboribus et afflictionibus*, aut universe *statum felicem post aerumnas et labores exantlatos*.

a conspectu Domini). Graece *απο προσωπου του Κυριου*. Felix illud aevum per Prosopopoeiam hic cogitatur tamquam praesens apud Deum, atque e coelo venturum (cf. Apocal. XXI : 23).

et miserit eum, qui praedicatus est vobis, Iesum Christum). Quo instantius auditores suos adhortetur ad poenitentiam, Iesum Christum tamquam iudicem venturum praedicat. Cf. Act. I : 11, et infra Cap. X : 42; XVII : 31; Matth. XXIV : 30; 1 Thess. IV : 15. Pro hoc, *qui praedicatus est vobis* (*τον προκεκηρυγμενον υμιν*[1]), equidem malim legere : *τον προκεχειρισμενον υμιν*. Sic ergo interpretor : *et secundo miserit eum, qui in vestri gratiam* (*υμιν*, Dativ. Commodi), i. e. in gratiam Gentis Israëliticae (cf. Matth. XV : 24; Rom. XV : 8), *ad confirmandas promissiones patrum* (Rom. XV : 8) *depromptus, praeordinatus, paratus fuerat, Iesum Christum, inquam.* Vox *προχειριζομαι* (Verbum Deponens Medium) valet quasi *προχειρον ποιω*, hoc est, *facio ut quid in promptu sit, ita expono ut aliquis ante manus habeat, produco, profero in medium* (cf. Henr. Steph. in Thes. ad h. v.); Participium *προκεχειρισμενον* iam Hesychius interpretatus est *προβεβλημενον, ητοιμασμενον*.

21. *quem oportet quidem coelum suscipere*, cet.). Graece *ὁν δει ουρανον μεν δεξασθαι*. Quod legisti *μεν*, *solitarium* est; membrum huius orationis respondens fuisset : *qui tamen* (*δε*) *aliquando inde rediturus est ad supremum habendum iudicium*. In vocibus *ὁν δει ουρανον δεξασθαι*, quum Verbo Infinito iungantur Accusativi duo, ambiguum est, uter Accusativus sit *Subiecti*, uter vero *Obiecti*. Vulgata Accusativum *ουρανον* pro *Subiecto* habuit, uti patet ex verbo *suscipere*, quod in hac oratione non potest recte nisi ad

[1]) Var. lect. Pro *προκεχειρισμενον* Vulgata legit *προκεκηρυγμενον*, quae lectio auctoritate non est destituta. Praestat tamen multum lectio *προκεχειρισμενον*, quam exhibent ABCDE, Minusculi multi, Verss. Ital. Syr. aliae, Chrysostomus, aliique antiqui.

coelum referri. Qui dicunt, Accusativum ὃν notare hic *subiectum*, verba ita reddunt : *qui* (scil. Christus) *occupare quidem debet coelum*, cet. Ego vero dubito, an notio *occupandi* tribui possit verbo δεχομαι : quum autem Verbum hoc certissimo habeat notionem *capiendi*, *excipiendi*, *suscipiendi*, eaque notio *coelo* tamquam *loco* rectissime conveniat, equidem facio cum nostro Interprete, adeoque Graeca reddo : *quem coelum quidem capere debet*. Quod a Petro hic dicitur, distinctius expressum est a Paulo in loco parallelo (1 Cor. XV : 25) : *Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius.*

usque in tempora restitutionis omnium). Graece αχρι χρονων αποκαταστασεως παντων. Vox αποκαταστασις notat *restitutionem in integrum;* itaque αποκαταστασις παντων est *universi* (παντων) *renovatio* et quasi *regeneratio*, quae post finem mundi locum habitura est. Ea vero quae de hac universi renovatione ex verbo divino doceri possunt, dicturi sumus, Deo volente, in interpretatione secundae Epistolae S. Petri, ad Cap. III.

quae locutus est Deus, cet.). Graece ὧν ελαλησε ὁ Θεος. Pronomen Demonstrativum ὧν, quod ad antegressum χρονων referendum est, per *Attractionem*[1] scriptum est pro οὕς. Tempora quibus *restituenda sunt omnia*, iam *inde ab antiquissimis temporibus* (απ' αιωνος, Hebr. מֵעוֹלָם) Deus per sanctos prophetas suos praenunciavit. Et vero, ut docet S. Iudas (in Ep. vs. 14, 15), iam Henoch, septimus ad Adam, vaticinatus est de fine mundi et Christo venturo ad iudicium.

22. *Moyses quidem dixit* (Μωσης μεν γαρ[2], cet.). Petrus quod modo dixerat τον προκεχειρισμενον ὑμιν (*praeordinatum*, *paratum*

---

[1]) Cf. Gr. § 63.

[2]) Var. lect. Particula γαρ non legitur in ABCDE, abest pariter a Minusculis non paucis, et a Verss. Ital. Vulg. Sahid. et Armen., nec Irenaeus aut Chrysostomus Particulam hic legerunt. Et mihi quidem videtur delenda.

vobis Messiam), ex Scripturis confirmat, pergitque auditores suos adhortari ad poenitentiam, et ut Messiae suo obediant. Sed concionem suam non absolvit; nam, ut in principio sequentis capitis narratur, dicentem interrumpunt supervenientes sacerdotes ac Magistratus templi, cumque et Ioannem comprehensos in vincula coniiciunt.

Moyses quidem dixit). Μωυσης μεν ειπε. Huic μεν, loco simplicis δε, respondet και δε, infra vs. 24. Sensus est : *Moses quidem* (μεν) *Iesum Messiam praenunciavit, sed et* (και δε) *omnes prophetae de Messia praenunciarunt ea quae nostris diebus in Iesu Nazareno eventu vidimus comprobata.* Cf. Gr. § 64. E, pag. 520.

quoniam prophetam suscitabit, cet.). Graece : ὅτι προφητην, κ. τ. λ. Particula ὅτι hic est *recitativa*, h. e. inservit ad inducendam recitationem verborum alterius. Vaticinium Mosis de venturo Messia, quod a Petro allegatur, sumptum est ex Deuteron. XVIII : 15—19; eius tamen vaticinii sensum potius reddidit quam verba. Oraculum autem illud quin dictum sit de Iesu Christo, dubitari nequit, quum eam interpretationem hoc loco a S. Petro divinitus edoceamur. Cf. etiam Ioan. I : 45; V : 45; Act. VII : 37, et Huetii Demonstrat. Evang. Proposit. VII : X. *Suscitabit* (αναστησει, Hebr. יָקִים *prodire faciet*) *de fratribus vestris*, ex vestra gente, *tamquam me* (ὡς εμε, Hebr. כָּמֹנִי) i. e. *similem mihi*; nam *similitudo* significatur, non omnimoda aequalitas. De similitudine illa quae cernitur inter Mosen et Iesum Messiam, agit Eusebius (Demonstrat. Evang. Lib. III : Cap. 2); nec Synagogam latuit typica ratio quae est inter Mosen et Messiam, ut probatur ex *Midrash Koheleth*, ubi haec leguntur : « Rabbi Barachia dixit in nomine Rabbi Isaac (*a quo id acceperat*) : Qualis fuit redemptor prior (scil. Moses), talis erit et redemptor posterior (scil. Messias). Qualis fuit redemptor prior? *Talis*, sicut scriptum est (Exod. IV : 20) : *et tulit Moses uxorem suam et filios suos*,

eosque equitare fecit super asinum; ita *facturus est* et redemptor posterior, ut (*de eo*) dictum est (Zachar. IX : 9) : *mansuetus et asino vectus*. Qualis fuit redemptor prior? Descendere fecit manna, sicut dictum est (Exod. XVI : 4) : *Ecce ego faciam depluere vobis panem de coelo*. Atqui etiam posterior redemptor descendere faciet manna, sicut dictum est (Psalm. 72 : 16) : *sit particula*[1] *frumenti in terra*. Qualis fuit redemptor prior? Fecit salire fontem (de quo Numer. XX : 11). Atqui etiam redemptor posterior salire faciet aquas, ut dictum est (Ioël III : 18; Hebr. IV : 18) : *et fons de domo Domini egredietur, et irrigabit vallem spinarum*[2].

ipsum audietis iuxta omnia, cet.), h. e. *ipsi obedietis, obtemperare debetis*. Hebraice hic est אֵלָיו תִּשְׁמָעוּן, quod plane refert Belgicum nostrum : *naar hem zult gij hooren*. Κατα παντα, *per omnia*, h. e. in omnibus, quaecumque vobis praeceperit.

23. *Erit : ... exterminabitur de plebe*). In loco Deuteronomii, quem Petrus hic allegat, non legitur *exterminabitur de plebe*, sed *ego ultor existam*. « In incredulos et nolentes audire, ait Salmeron (Tract. XVIII in Act.), Deus comminatur se futurum ultorem. Quod etsi de suppliciis Gehennae intelligi possit, ubi condignis poenis plectuntur infideles, potest tamen apte de Templi excidio, urbis eversione, populique illius dispersione intelligi; nam haec etsi praesentia, gravissima tamen et spectatissima fuere supplicia, ut totus orbis agnosceret severa Dei iudicia in illum populum. At vero qui crediderunt per Angelum admoniti, in Pellam urbem

---

[1]) Ita Kimchi (in Lexico suo) voces פסת בר interpretatur per חלקת בר *particula frumenti*.

[2]) רבי ברכיה אמר בשם רבי יצחק: כגואל ראשון כך גואל אחרון מה גואל ראשון נאמר ויקח משה את אשתו ואת בניו וירכיבם על החמור כך גואל אחרון שנאמר עני ורוכב על החמור מה גואל הראשון הוריד את המן שנאמר הנני ממטיר לכם לחם מן השמים אף גואל אחרון יוריד את מן שנאמר יהי פסת בר בארץ מה גואל הראשון העלה את הבאר אף גואל אחרון יעלה את המים שנאמר ומעין מבית אלהים והשקה את נחל השטים.

Agrippae se receperunt atque omnia illa evaserunt flagella : et ad hanc punitionem respicere potuit Deus cum dixit : *ego ultor exsistam.* »

24. *Et omnes prophetae*, cet.). Verba, ut iacent, hunc postulant sensum : sed et omnes (και παντες δε) prophetae inde a Samuele, et deinceps (*inde a Samuele*) qui vaticinati sunt, praesentes hos dies (*dies Messiae et novi Foederis*) praenunciarunt.— Est in hac sententia quaedam verborum redundantia, uti patet. Nam *prophetae qui deinceps vaticinati sunt*, iam comprehensi erant in dictione OMNES *prophetae inde a Samuele.* Ceterum sensus verborum perspicuus est : Moyses quidem, inquit, Messiam praenunciavit, sed et omnes prophetae, Samuel et sequentes, quotquot (ὅσοι) vaticinati sunt, etiam praenunciarunt praesentes hos Messiae dies. Cf. I Petr. I : 10. Si Samuelis scriptum aliquod de Messia vaticinium Petrus hic commemorare voluerit, profiteor me nescire quodnam illud sit. Sed fieri potest, ut exstiterit Samuelis de Christo prophetia, etsi scripto non fuerit mandata; hanc ergo, utpote Iudaeis non incognitam, Petrus respicere potuit. Quamquam et hoc dici posse mihi videtur, nempe Petrum, quum Samuelem commemoraret, in mente habuisse celebre illud Prophetae Nathanis de Messia vaticinium, quod a Samuele (2 Sam., in Vulgata 2 Regum) VII : 12 sqq. cf. Ep. ad Hebr. I : 5) scripto fuit consignatum.

25. *Vos estis filii prophetarum et foederis*). Quod hic dicit Petrus, *re* diversum non est ab eo quod in priore concione (cf. Cap. II : 39) dixerat. Sensus est : *Vos ii estis, ad quos pertinent prophetarum oracula et foedus illud, quod Deus iniit cum patribus nostris, dum Abrahae dixit : per filium tuum beabuntur omnes gentes terrae.* Hebraei vocem בֵּן (*filius*) nomini *rei* iungere solent ita, ut indicetur is ad quem res illa quocumque modo pertinet. Ita hic *filii foederis* (בְּנֵי בְרִית) sunt illi ad quos foedus

illud pertinet. Eodem modo locutio *filii prophetarum* hic designare videtur tales, ad quos prophetae, *tamquam prophetae*, h. e. prophetarum oracula pertinent. Fateor tamen, certiorem fore hanc interpretationem, si pro voce *prophetarum* scriptum esset *prophetiarum* (προφητειων).

quod disposuit Deus ad patres nostros). Per *Attractionem* scriptum est ἧς διεθετο pro ἥν διεθετο. Locutio διατιθεσθαι διαθηκην προς τινα significat quidem *componere constituere, foedus* cum *aliquo*, sed tamen προς non significat cum, sed *ad, erga*, valetque Belgicum *jegens*. Cf. Gr. § 63. *Foedus* intelligitur hic constitutio sive promissio illa, qua Deus *patribus* (Patriarchis : Abrahamo Gen. XII : 3; XVIII : 18; XXII : 18), Isaaco (Gen. XXVI : 4), et Iacobo (Gen. XXVIII : 14), olim promiserat fore, ut *per semen ipsorum* beatae redderentur omnes terrae gentes. Sed Abraham *solus* hic (vs. 25) commemoratur, quia huic primo facta fuit promissio.

et in semine tuo benedicentur omnes familiae terrae). Coniunctio *et* recitati loci pars aliqua est. *Semen illud*, sive *filius* qui hic dicitur, intelligendus est Iesus Christus, ut divinitus edocti sumus a Petro hoc loco, et a Paulo in sua ad Galatas epistola, Cap. III : 16. Non gens tantum Israëlitica, sed omnes universae terrae gentes participes esse poterunt illius benedictionis, h. e. per fidem in Abrahae semen *iustificari*, fieri *Dei filii adoptivi*, *et haeredes regni coelestis*. « Etsi Christus, ait Salmeronius (Tract. XVIII in Act.), commune sit totius mundi bonum, et non minus ad Gentes quam ad Iudaeos spectet, peculiari tamen ratione ad populum Iudaeorum, propter promissiones Patrum, pertinebat, ita ut quodammodo gratia haec illis esset data propter promissionem. » Videsis quae hac de re diximus ad Rom. XV : 8, 9.

26. *Vobis primum Deus suscitans filium suum*, cet.). Participium Aor. αναστησας si resolvas in verbum Finitum, facilior fit huius loci intellectus : *Vobis Iudaeis* (ὑμιν Dativ. *Commodi*), in-

quit, ***primum*** (πρωτον adverbialiter) i. e. ante alios ***Deus suscitavit*** (prodire iussit), ***servum suum*** (τον παιδα, vide supra Cap. III : 13) ***Iesum Messiam, misitque ut vobis benediceret*** (ευλογουντα ὑμας, quod sumendum est eo sensu, quo supra, vs. 26, ενευλογηθησονται), h. e. ut vobis auctor esset salutis, ***ea lege ut unusquisque vestrum se avertat a peccatis suis et resipiscat.*** Postrema verba : *ea lege, ut*, cet., repetitio sunt antegressae (vs. 19) adhortationis : *poenitemini et convertimini*. Interrupta hic fuit Petri oratio; quare et conclusione sua carent dicta, quae vs. 25 et 26 leguntur. Graeca : εν τῳ αποστρεφειν ἑκαστον, κ. τ. λ., iam Syrus in verbum Finitum resolvit per *si*, vertit enim : ܐܢ ܬܬܦܢܘܢ ܘܬܬܘܒܘܢ ܡܢ ܒܝܫܘܬܟܘܢ h. e. *si convertamini et revertamini a pravitatibus vestris.*

CAPUT QUARTUM.

ARGUMENTUM. Petro adhuc populum alloquenti sacerdotes quidam superveniunt cum Praefecto Templi et Sadducaeis nonnullis, eumque una cum Ioanne comprehensos custodiae tradunt, ad iudicium vocandos in crastinum diem, vs. 1—3. Non ideo tamen minus frugifera fuerat Petri concio, vs. 4. Postero ergo die Synedrium convenit, et Petrus cum Ioanne in ius adducuntur, vs. 5—7. Causam dicit Petrus. Iesum Nazarenum, quem Synedristae in crucem egerant, intrepide profitetur a mortuis resurrexisse, eumque promissum esse Messiam, atque illius virtuti acceptam esse referendam hesternam illam claudi sanationem, vs. 8—12. Synedristae secreto consilio inter se de re deliberant, cumque peractam sanationem nec possent negare, nec tamen vellent agnoscere, tumultumque timerent, si quam poenam Apostolis infligerent, rem ita expediunt ut, additis minis, illis praecipiant, ne ulterius verba faciant de Iesu Nazareno, vs. 13—22. Dimissi Apostoli atque ad socios suos coäpostolos reversi, enarrant gesta coram Synedrio, vs. 23. Quibus auditis, fervidas Deo gratias agunt unà omnes, divinumque implorant auxilium ad evangelium intrepide praedicandum, vs. 24—30. Exaudiuntur eorum preces; in cuius rei signum contremiscit locus, ubi erant congregati, vs. 31. Porro describuntur fidelium inter se concordia et amor plane singularis, vs. 32—37.

1—2. *Supervenerunt*). Graecum επιστηναι τινι notat *subito et ex improviso alicui adstare;* eodemque sensu Latini adhibebant locutionem *supervenire alicui*. Vide Facciolati ad h. v. Qui hic dicuntur οἱ ἱερεις cum Articulo, intelliguntur sacerdotes illi, quibus

tunc incumbebat excubias agere in Templo (Vid. Mishnac Tract. Middoth, Cap. I). Excubitores in varios manipulos erant divisi, singulisque manipulis praeerat aliquis Praefectus. Hi Praefecti videntur esse illi qui a Luca (Cap. XXII : 52) vocantur στρατηγοι του ιερου (Vulg. *magistratus templi*). Singulorum autem illorum manipulorum Praefectis praeerat Praefectus aliquis summus, qui (Middoth, loc. cit.) vocatur איש הר הבית, *vir montis Templi*, atque hic videtur esse ille qui in praesenti loco dicitur ὁ στρατηγος του ιερου. Porro quod attinet ad nonnullos illos Sadducaeos qui hic commemorantur, non liquet qui factum sit, ut comites adessent sacerdotibus excubitoribus eorumque Praefecto, quando hi supervenerunt Petrum et Ioannem comprehensuri. Forsitan excubitoribus illis fuerant instigatores, ut manus in Apostolos iniicerent, iamque illos rem facturos comitabantur. Hoc certe innui videtur per id quod sequitur : *dolentes* (διαπονουμενοι in Forma Med. : *qui se cruciabant, vexabant*=dolebant), propterea quod (δια το) Apostoli populum docerent, et quidem (και), quòd resurrectionem ex mortuis praedicarent *in Iesu*, Graece εν τῳ Ιησου, *in persona Iesu*; h. e. Iesu tamquam resurrectionis exemplo proposito. Belgice diceres : *aan Jesus, aan den persoon van Jesus*.— Quum Apostoli docerent, Iesum a mortuis resurrexisse, insigni hoc exemplo unà praedicabant, *posse* homines a mortuis resurgere (cf. I Cor. XV : 12), atque ita erroris arguebant Sadducaeos, qui dicebant, mentem humanam unà cum suo corpore interire, nullamque adeo esse posse resurrectionem mortuorum. Cf. Matth. XXII : 23. Marc. XI : 18. Luc. XX : 27. Flav. Joseph. Antiqq. XVIII : 1, et de Bello Iud. II : 8, 14. De Articulo iuncto Nomini Proprio (εν τῳ Ιησου) vide Gr. pag. 105; et de notione, quam in hac locutione obtinet Praepositio εν, confer quae scripsimus in Interpretatione Ep. ad Philipp. ad Cap. I : 20 et 30.

3. *In custodiam*). Graece εις τηρησιν, h. e. *in carcerem*. Cf. Cap. V : 18, collato vs. 19, unde liquet, Lucam *carcerem* vocare

τηρησιν. Vox αυριον Adverbium est, sed dicitur elliptice ἡ αυριον pro ἡ αυριον ἡμερα. *Erat vespera.* Nam hora nona, ut dictum est supra (Cap. III : 1), Petrus et Ioannes in templum adscenderant; et dum fiebant, quae adhuc narrata sunt, non parum temporis praeterierit; ut pronum sit iudicare, noctem (vide supra, pag. 82) proxime iam institisse, quando manus iniecerunt in Apostolos.

4. *Multi autem*, etc.). Πολλοι δε. Particula δε hoc loco vim habet αντιθετικην, valetque Nostratium *doch*. In carcerem quidem ducebantur Petrus et Ioannes, *at vero* (δε) *multi* eorum *qui audierant* (in Aor. των ακουσαντων) *illam* Petri *orationem* (τον λογον) nihilominus crediderunt, h. e. religionem Christianam susceperunt. Hos deinceps ab Apostolis in doctrina Christiana fuisse institutos et Baptismo Christi sanctificatos, per se intelligitur.

et factus est numerus virorum quinque millia). Dicitur ὁ αριθμος ανδρων (*virorum*); ergo non computantur hic *mulieres et pueri*. Quum vero non scribatur προσετεθησαν, *adiunxerunt se*, ut supra Cap. II : 41, sed εγενηθη, *factus est*, verborum sensus mihi videtur esse is, ut Lucas dicat, novo hoc fidelium incremento numerum Christianorum, computatis tantum viris, accrevisse usque ad quinque millia. De forma εγενηθην pro εγενομην videsis Gr. pag. 66.

5—6. *Factum est autem—ut congregarentur*, etc.). Graece : εγενετο δε—συναχθηναι αυτων τους αρχοντας. Particula δε narrationem *continuat*. Notanda est autem Syntaxis Verbi εγενετο, sequente Infinitivo cum Accusativo, quae apud Lucam non infrequenter occurrit; v. g. infra Cap. IX : 3, 32, 37, 43. Scriptum est αυτων pro των Ιουδαιων. Fit enim non raro, ut adhibeatur Pronomen αυτος, etsi Substantivum ad quod referatur, in antecedentibus non sit expressum. Cf. Gr. § 22. 3. Fieri tamen potest, ut αυτων referendum sit ad antegressum πολλοι των ακουσαντων. Qui hic dicuntur

αρχοντες (*principes*), intelliguntur Synedrii magni assessores universe. Constabat Synedrium ex assessoribus septuaginta, et uno praeside. Assessores erant : 1° αρχιερεις (*summi sacerdotes*), h. e. sacerdotes, principes viginti quatuor classium sacerdotum; 2° πρεσβυτεροι (*seniores*), nempe principes tribuum vel capita familiarum; 3° γραμματεις (*scribae* sive *eruditi*). Non tamen omnes *scribae*, aut omnes *seniores* erant assessores Synedrii, sed illi tantum, qui ad hoc munus eligerentur. Cf. Matth. XVI : 21. Συναχθηναι εις Ἱερουσαλημ non est dictum pro εν Ἱερουσαλημ, sed innuitur ea locutione, assessores Synedrii ab Hiërosolyma forte absentes, *in Hiërosolymam* fuisse convocatos.

et seniores et scribae, et Annas princeps sacerdotum—sacerdotali). Synedrium Lucas iam *universe* designaverat uno vocabulo αρχοντες; hic *speciatim* designat, quinam in concilium fuerint congregati. Particula και (*et*) epexegeticam vim habet valetque *et quidem*. De *senioribus* et *scribis*, Synedrii assessoribus, modo diximus. *Principes sacerdotum* (αρχιερεις) hic non memorantur una cum *senioribus* et *scribis*; itaque incompleta est hoc loco Synedrii descriptio. *Annas princeps sacerdotum*, graece ὁ αρχιερευς, i. e. summus Pontifex. Annas summum pontificatum olim gesserat (vid. Flav. Ioseph. Antiqq. XVIII : 2, 2), nomenque eius dignitatis, etsi exauctoratus, retinebat; hoc tempore eo officio fungebatur socer eius Caiaphas. *Et quotquot erant de genere sacerdotali*, graece αρχιερατικου. Dictum hoc esse putem de iis, qui summis sacerdotibus Annae et Caiaphae propinqua cognatione iuncti essent, quos inter et Ioannes et Alexander, qui hic nominantur, videntur esse recensendi.

7. Tamquam rei statuuntur *in medio* (εν μεσῳ) Synedrii, assessoribus omnibus conspicui, Petrus et Ioannes, et una cum his claudus ille, qui hesterno die ab ipsis fuerat sanatus (cf. vs. 14). Tum interrogantur *circa hanc sanationem*, ut colligitur ex Petri

responso (cf. vs. 9 et 10). Εν ποιᾳ δυναμει, η εν ποιῳ ονοματι vertenda sunt : *per quamnam virtutem, aut per quodnam nomen,* nam Praepositio εν hic, ut passim, dicta est de *instrumento quo;* cf. vs. 10. Itaque sensus est : *Quanam vi seu virtute* (Dei-ne an alterius), *et quonam invocato nomine* (divino-ne an alio) *fecistis hoc vos?* Pronomen τουτο demonstrat illam adstantis ibi claudi sanationem, sed isti, quasi per contemtum, rem non nominant. Profecto non latuerit Synedrium, sanationem illam ad invocatum Iesu Nazareni nomen fuisse peractam. Quorsum igitur sic interrogant? Putem ego, Synedrium sperasse (cf. vs. 13), fore ut Apostoli, non ausi rem, ut erat, fateri, responderent, se non alio quam Dei nomine invocato claudum illum sanasse. Quod si fieret, habebant Synedristae quod imprimis intendebant, obscurationem, inquam, nominis Iesu. Atque ita sensisse mihi videtur etiam S. Io. Chrysostomus (Hom. X in Act.).

8. Spe sua frustrantur Synedristae, quum Petrus imperterritus profiteatur, claudum hunc sanatum fuisse ad invocationem nominis Iesu Nazareni. *Tunc repletus Spiritu sancto.* Ad hunc locum bene Corn. a Lapide : « Nova, *inquit*, est haec repletio Spiritus Sancti ab illa quam accepit in Pentecoste : illa enim fuit habitualis, haec actualis, nimirum qua Spiritus Sanctus actu movebat, dirigebat et roborabat Petrum, ut libere, constanter et prudenter responderet, et profiteretur fidem Christi, se scilicet eius invocatione et virtute claudum sanasse. Hoc est quod Petro et Apostolis promiserat Christus (Lucae XII : 11, 12) : *Cum autem inducent vos in Synagogas, et ad magistratus et potestates, nolite solliciti esse, qualiter aut quid respondeatis aut quid dicatis : Spiritus enim Sanctus docebit vos in ipsa hora, quid oporteat vos dicere...* Ad opera enim heroica non sufficit communis et habitualis gratia, sed nova actualis, eaque communi maior et potentior requiritur. Saepe enim ista opera habitum gratiae praesentem superant et transcendunt. »

9. *Si nos hodie diiudicamur,* etc.). Graece ανακρινομεθα, quod in re iudiciali valet *examinamur, interrogamur in iudicio*, ut et infra Cap. XII : 19; XXIV : 8, et XXVIII : 18. Praepositio επι (Vulg. *in*) hic valet Nostratium *over*. Sensus est : *de beneficio aliquo* (επι ευεργεσιᾳ sine Articulo) *in infirmum quemdam hominem* (ανθρωπου ασθενους, Genitivus *Obiecti* sine Articulo) *collato*. Mente repetendum est ει ανακρινομεθα ante verba εν τινι οὑτος σεσωσται, eaque reddenda sunt : (si interrogamur) *qua re* (*waardoor*) *vir iste incolumis praestitus sit* (σεσωσται), h. e. sanatus. Nam quum in antegressis neque persona aliqua, neque definita aliqua res exprimatur, ut ad hanc aut ad illam Pronomen τινι possit referri, relinquitur illud εν τινι in Neutro Genere esse sumendum. Verba : *Si nos — factus est*, continent Protasin sententiae, quae eloquentissime inducta fuit per Praepositionem *si*. Nam haec eam vim habet, ac si pluribus verbis dixisset Petrus : Vix credibile videatur, fieri posse, ut aliquis ob beneficium alteri impensum in iudicium vocetur, atque ideo stare cogatur coram tribunali; hoc tamen si nobis, ut video, hodierno die hic accidit, et vobis iudicibus exponendum est, qua ope claudus hic fuerit sanatus, ego quidem facti reddam rationem. Proinde notum sit omnibus vobis, etc.

10. *In nomine*) εν τῳ ονοματι, h. e. *per nomen*, puta, *per invocatum nomen Iesu Christi*, i. e. *Messiae* (Χριστος, משיח), viri *Nazareni illius* (του Ναζωραιου), *quem vos*, etc. Post vocem Χριστου ponendum est comma, ut legatur... Χριστου, του Ναζωραιου, ὁν κ. τ. λ. *In hoc*, graece εν τουτῳ, quod respondet antegresso εν τινι, vertendumque est *ea re* (*daardoor*). Propositae a Synedrio quaestioni (vs. 7) sic Petrus respondet, ut unà *et* removeat scandalum crucis, praedicando Iesum Nazarenum illum crucifixum a mortuis fuisse suscitatum, *et* palam doceat, eumdem esse Christum sive Messiam promissum, simul innuens ea, quae affirmabat, divino comprobata esse testimonio, quum ad nominis Iesu invocationem praesens miraculum fuisset patratum.

11—12. Addit Petrus, ignominiosam Messiae mortem et subsecutam gloriam olim divinitus fuisse praedicta. In quo facit pro more suo (cf. Cap. II : 16, 33—35), ea quae docet, Prophetarum comprobans oraculis. Et vaticinium quidem, quod hoc loco memorat, sumptum est ex Psalmo 117 (Hebr. 118). Quem Psalmum interpretes alii dictum *secundum litteram* putant de Davide, *typice* vero de Messia; alii vero eumdem *secundum litteram* referunt ad Messiam. Neutra sententia difficultate caret; nam ut quaedam sunt in prima Psalmi parte (1—22), quae in Messiam minime quadrant, ita in secunda (22—26) quaedam dicuntur, quae non videntur Davidi aliquo sensu posse convenire. Atqui certum est ea, quae in secunda Psalmi parte leguntur, ad Messiam esse referenda; nam hoc conficitur tum ex praesenti effato Petri, tum etiam ex Matth. XXI : 9, et 42, 44; Marc. XII : 10, 11; Luc. XX : 17, 18 et I Petri II : 7, 8. Ego itaque sic sentio, ea quae in prima Psalmi parte dicuntur, haec ad Davidem *secundum litteram* pertinere, nec alium habere sensum; illa vero, quae in secunda parte leguntur, *secundum litteram* ad Messiam esse referenda[1]. Nec vero est cur miremur, Davidem, qui hactenus de se locutus esset, deinde subito quasi abreptum de Messia loqui; id enim, ut supra (p. 65) ex Muisio iam notavimus, Propheta saepe alibi fecit in suis Psalmis, *tamquam Christi typus.*

Hic est lapis, etc.). Hic Iesus Nazarenus, inquit, est *lapis ille* (ὁ λιθος), de quo vaticinatus est David, lapis ille a vobis pontificibus et legisperitis, quorum officium erat spiritualem Dei domum aedificare, *vilissime contemtus* atque reiectus (ὁ ἐξουθενηθεις), *qui idem factus est* (ὁ γενομενος) *in caput anguli*, εις κεφαλην γωνιας (Hebraice לְרֹאשׁ פִּנָּה). Ex Hebraismo dictum est *factus est* IN *caput anguli*, pro *factus est caput anguli* (de hoeksteen). Sensus est :

[1]) Notandum est in Psalmo Hebraeo et eiusdem versione Septuaginta-virali non legi (vs. 25) *salvum me fac*, sed *salvum fac.*

qui idem constitutus est praecipuo et honoratissimo in loco. « In more est architectis, inquit Lucas Brugensis (ad Matth. XXI : 42), ut aedificiorum angulos, quibus muri duo sibi mutuo iunguntur, firment lapidibus solidissimis eius magnitudinis, qua utrumque murum complecti possint : quo in ordine qui supremus est lapis, is, ut est praecipua aedificii fultura, ita est loco honorificentissimo constitutus. Hinc sumta Metaphora, David praedicit, Christum, a principibus Israël reiiciendum tamquam indignum communione populi Dei, fore caput, principem, ac regem populi Dei, i. e. domus seu Ecclesiae Dei. »

12. Addit Petrus : *et non est in alio aliquo salus*, graece cum Articulo, ἡ σωτηρια, scilicet salus illa, a qua Iesus Christus vocatur ὁ Σωτηρ, *humani generis Salvator.* Praepositio εν in locutione εν αλλῳ ουδενι adhibita est de *fundamento in quo* quid nititur aut repositum est. Extrema haec verba Petrus addiderit, ad iudices suos oblique monendum, ut in eum, quem ignominiose in crucem egerant, deinceps crederent, si tamen vellent unicam salutis ingredi viam.

Nec enim aliud nomen, etc.). Confirmat (γαρ) quod modo dixerat : ***non est in alio aliquo salus.*** Verba το διδομενον sunt Subiectum orationis, ονομα ἑτερον vero sunt eiusdem Praedicatum. Praepositio εν (εν ᾧ) dicta est de ***instrumento quo***, ut supra. *Nomen* (ονομα) per Metonymiam hic dicitur pro ***persona*** (vid. supra, I : 15, et Apoc. III : 4; sic etiam Latini *nomen* dixère pro *persona* (cf. Facciolati ad voc. *nomen*). Itaque sensus est : ***Neque enim ille a Deo hominibus donatus*** (το διδομενον), ***per quem nos*** (homines) ***oportet salvari, alius sub toto coelo quisquam est, quam Iesus Nazarenus.*** Hic est ille unicus *mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem* (Graece αντιλυτρον, h. e. redemptionis pretium vicarium) *semetipsum pro omnibus* (I Tim. II : 6). *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem*

tantum, sed etiam pro totius mundi (I Ioh. II : 2). Nam *in Christo Deus mundum reconciliavit sibi* (2 Cor. V : 19), *et per eum illi complacuit reconciliare omnia in ipsum* (Coloss. I : 19, 20). *Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Ioh. III : 15, 17. Quod dicitur *oporteat* (δει), intelligendum hoc non est de *absoluta necessitate,* quasi non alio modo potuisset mundus salvari, sed de necessitate, quae consequitur Dei decretum de ratione reparandi perditum humanum genus; quod et Apostolus innuit, dum dicit : *per eum* (Christum Iesum) COMPLACUIT *Deo reconciliare omnia in ipsum* (εις αυτον, *ad se, sibi*), *pacificans per sanguinem crucis eius.* Pulcherrime sanctus Leo Magnus (Serm. 12 de Passione) : « Quamvis, *inquit,* iu conspectu Domini multorum sanctorum pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi... Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo funere solvit, cum inter filios hominum solus Dominus noster Iesus exstiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes etiam sint suscitati... Effusio illa pro iniustis sanguinis iusti tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut si universitas captivorum in Redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent. »

Obiter hic adnoto, effatum Petri, de quo adhuc egimus, non obstare quominus putemus, iustificari et salvari posse etiamnum homines absque fide Christi *explicita.* Effato suo illo docere voluit Petrus, ait Vega[1], *praeceptum credendi Christo omnibus datum*

---

[1]) *De iustificatione doctrina universa libris XV absolute tradita, auctore Andrea Vega.* De praesenti quaestione legenda sunt quae habentur Lib. VI, Cap. 18, 19 et 20, quo loco Vega theses probat tres sequentes :

1° Fidei Christi haberi posse ignorantiam invincibilem.

2° Iustificari et salvari posse homines absque fide Christi explicita.

3° Sine actu fidei iustificari posse, qui eam invincibiliter ignorarent.

esse, ut omnes ipsius fidei iugo colla submittant. Salvantur autem per meritum Christi, qui salvantur absque fide illius explicita, sicut et iustificantur per illum, qui iustificantur sine illa. »

13—14. *Videntes—constantiam*, etc.). Graeca latine sic paulo liberius reddiderim: *Attente autem considerabant* (θεωρουντες) *Petri et Ioannis in dicendo libertatem* (παρρησιαν); *cumque iam comperissent* (καταλαβομενοι, Aor. 2 Med.), *eos esse homines illiteratos et idiotas*, *demirabantur illos* (εθαυμαζον, in Imperf.), *simulque eosdem agnoscebant* (επιγινωσκον pariter in Imperf.), *quod nempe essent* (ησαν) *olim cum Iesu; quum vero* (τον δε[1]) *una cum illis* (Apostolis) *adstantem conspicerent hominem claudum illum qui fuerat sanatus* (τον τεθεραπευμενον), *non habebant quod contradicerent.*

Apostolorum illa *in dicendo libertas* (παρρησια) conspicua fuit in eo quod, quamquam res illis erat cum iis, qui paucos ante dies iniquo iudicio Iesum Nazarenum in crucem egerant, ipsi tamen nihil dubitaverant palam profiteri, hunc nec alium promissum esse Messiam, illique acceptum retulerant hesternum miraculum, utpote ad eius nominis invocationem patratum; quo una oblique innuebant, id quod praedicabant divino confirmatum fuisse testimonio. Nec latuerit Synedristas, quaenam Petrus hesterno die in concione dixerat, facileque animadverterint, eum eruditius disputasse quam pro modulo hominis illiterati. Dum vero Apostolos tum ob illam in dicendo libertatem, tum ob hanc in idiotis doctrinam admirabundi intuerentur attentius, una tum coeperunt eos agnoscere, quod nempe essent ex iis, qui Iesum Nazarenum in Templo et per urbem comitari solebant (ὅτι συν τῳ Ιησου ησαν). Jam si quo modo potuissent, utique negassent, quidquam stupendi ad invoca-

[1]) Var. lect. Interpres noster legisse videtur τον τε, eaque lectio quamquam auctoritate codicum et antiquarum versionum praestat lectioni τον δε, attamen hanc illi dicerem esse praeferendam, quum orationis conformatio talis sit, ut Particulam antitheticam δε omnino postulare videatur.

tionem nominis Iesu ab eiusdem asseclis fuisse patratum, sed (δε) evidentior erat res, quam ut negari posset. Et vero claudus ille, civibus Hiërosolymitanis notissimus, quem heri ad portam Templi tam multi viderant iacentem subitoque ad Petri vocem plenissime sanatum, ipse ille, irrefragabilis utique rei testis, praesens ibi adstabat. Quum ergo quod factum erat nec possent negare, nec tamen vellent agnoscere aut probare, nihil habebant quod *statim* responderent. Itaque secretum instituunt consilium, inter se de re deliberaturi.

15—16. Ergo ignari quomodo rem expedirent, iussis apostolis una cum sanato illo claudo e senatu discedere, *inter se contulerunt sententias* (συνεβαλον προς αλληλους scil. βουλας aut βουλευματα, ut plene dixit Euripides, Phoen. vs. 710 : θελω προς αυτον συμβαλειν βουλευματα). *Quid faciemus hominibus istis?* Verba haec sunt cupientium quidem infligere poenam, sed illud facere timentium, ut sensus sit; *periculosum sit, homines istos punire*. Atque eo sensu dubitatio illa : *quid faciemus*, etc., intelligenda est, ut conficitur ex serie orationis, quae hic per Particulam causalem γαρ continuatur.

quoniam quidem negare). Graecorum verborum Syntaxin, quae hic videtur paulo impeditior, facile intelliges ex hac versione Belgica : *want dat er door hen een kennelijk wonderteeken is geschied, is aan al de inwoners van Ierusalem openbaar, en wy kunnen het niet loochenen*. Itaque graeca intelligenda sunt ita ac si scriptum esset : φανερον μεν γαρ πασι τοις κατοικουσιν Ἱερουσαλημ, ὁτι γνωστον σημειον γεγονε δι' αυτων, και ου κ. τ. λ. Particula μεν in praesenti oratione *solitaria* est, hoc est, omittitur ea orationis pars, in qua sequi debebat δε. Pars omissa fuerit haec : *laudibus autem* (δε) *efferunt omnes id quod factum est*, ut colligi potest ex vs. 21. Igitur quod sequitur, αλλ' ἱνα μη, κ. τ. λ., pendet a sententia expressa verbis : τι ποιησομεν τοις ανθρωποις

τουτοις. Dicunt ergo : Periculosum sit, hominibus istis infligere poenam, quum hoc facile tumultum iniicere posset civitati; nam evidens quidem miraculum per illos editum esse, omnibus Hiërosolymitanis notius est quam ut rem negare possimus; laudibus autem efferunt omnes id quod factum est. Itaque abstineamus a poena aliqua ipsis infligenda, *sed* (αλλα), mitiore utentes consilio, *ne* (ινα μη) *latius* (επι πλειον in Neut. Gen. Adverbialiter) huius prodigii fama *dispergatur in populum, severissime ipsis interminemur* (απειλη[1] απειλησωμεθα αυτοις), *ne super isto nomine* (επι τῳ ονοματι τουτῳ) i. e. homine (vid. supra ad vs. 12) *posthac cuiquam homini loquantur.* Parum hoc profuerit ad rei famam obliterandam; sed quid facerent?

Σημειον γνωστον est signum, prodigium *cognoscibile*, h. e. quod *tamquam tale* facile ab omnibus agnosci potest, patens, apertum, manifestum, evidens prodigium. Locutioni απειλη[1] απειλησωμεθα (*minis minemur*) similes sunt locutiones επιθυμιᾳ επεθυμησα (Luc. XXII : 15), χαρᾳ χαιρει (Ioh. III : 29), aliae, in quibus omnibus Dativus ille *vim intendit* coniuncti sibi verbi. Cf. Gr. § 58, 3, et de usu Coniunctivi απειλησωμεθα hoc loco, § 42, 4. Praepositionem επι reddidi *super,* quo sensu illa adhibetur in hoc Virgiliano : *multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.* Vide infra, Cap. V : 28.

18—20. Quum ergo eos *revocassent* (καλεσαντες), praeceperunt illis ut ne omnino quidquam *publice dicerent* (φθεγγεσθαι), aut populum docerent de persona Iesu. Articulus ante Infinitivum *obiecti* (το μη φθεγγεσθαι) significantius illud exprimit. Επι, ut supra vs. 17. Ad Synedrii praeceptum respondent Apostoli viriliter, sed et modeste : Iudicate vos, iudices, an iustum sit *in conspectu Dei*

[1]) Vox απειλη (*minis*) non legitur in ABD et multis Minusculis. Sed facile omitti potuit a librario aberrante ob sequens απειλησωμεθα; nam glossema in hac voce nemo facile agnoverit.

(*ενωπιον του Θεου*, *coram Deo;* si, Deo iudice, respondendum sit), h. e. an sit revera iustum atque licitum obtemperare vestris iussis potius quam Dei! Non possumus enim (*γαρ*) nos (*ἡμεις*) licite silere ea quae in Iesu vidimus et ab eodem audivimus, quum sciamus hanc esse voluntatem Dei, ut haec ubique praedicemus.

Particula *γαρ* causam infert antegressae postulationis; puta Apostolos dixisse ita : Iudicate vos, an iustum sit...; nam ad nos quod attinet, nos arbitramur non licere nobis silere ea quae..., quum sciamus, Deum velle ut ea praedicemus. — Constitit Apostolis de hac voluntate Dei vel ex eo, quod Iesus, cuius divina legatio erat testatissima, illis praeceperat, ut *irent in mundum universum, Evangelium praedicaturi omni creaturae* (Matth. XXVIII : 19; Marc. XVI : 15). Verbum *ακουω* (vs. 19) de *obediendo* dictum passim occurrit; v. g. Matth. XVII : 5; XVIII : 15, alibi.

21—22. *Comminantes*). Graece in Aor. *προσαπειλησαμενοι*, h. e. *quum severiores adhuc minas intentassent*. De hac vi Praepositionis *προς* in Compositis, videsis Zeunium ad Viger. Cap. IX, Sect. VIII, XIII. Participium *μηδεν εὑρισκοντες* resolvas in Verbum Finitum per *quum* Causale : *quum nihil invenirent quod attinet ad το πως κολασωνται αυτους*. Nam cum *μηδεν* sit Obiectum verbi *εὑρισκοντες*, neque illud *το πως* haberi posse videatur pro Appositione, verba *το πως*, etc., putem esse Accusativum Obiecti, ut vocant, *quantitativi*. Vide Kühnerum, § 556. Sensus est : nullum eos puniendi modum excogitare valebant, idque *ob populum* (*δια τον λαον*), a quo, si quam poenam Apostolis inflixissent, tumultum excitatum iri formidabant. Cur? *quia* (*ὁτι*) *omnes* Deum celebrabant *propter id quod evenerat* (*επι τῳ γεγονοτι*, OVER *het gebeurde*[1]). Et vero valde illustre erat hoc miraculum; *nam* (*γαρ*)

[1]) Non dubito, quin hoc loco mendosa sit Vulgatae nostrae lectio. Scripserit, opinor, auctor Vulgatae : *quia omnes clarificabant Deum in eo quod factum fuerat*. Verba, *in eo quod acciderat*, videntur esse nota marginalis, qua nescio

claudus ille qui fuerat curatus, natu erat maior annis quadraginta, eoque vitio corporis laboraverat inde a sua nativitate.

De usu Coniunctivi in voce κολασωνται vide Gr. § 42; 4. *b.* Εδοξαζον, in Imperfecto, hic notat actum ut *continuum*. Vide Gr. § 41, 3. β. Pro πλειωνων τεσσαρακοντα Lucas scribere potuisset : πλειωνων η τεσσαρακοντα. Sed illud η in similibus locutionibus non raro omittitur. Videsis Matthiae § 455. Anm. 4. Praepositio επι, Accusativo iuncta (εφ' ὁν), valet Belgicum *op wien=aan wien*. Genitivus της ιασεως est Genitivus *Appositionis*. Vide Gr. p. 48, 2. Belgice non male hic dixeris : *dit genezingswonder*.

23—26. *ad suos*). Graece προς τους ιδιους, h. e. ad suos coapostolos, ut colligitur ex vs. 31. Verba οἱ αρχιερεις και οἱ πρεσβυτεροι descriptionem continent Synedrii incompletam. Vide supra pag. 101. Coäpostoli quum audissent, quas minas (cf. vs. 23 et 29) Synedrium Petro et Joanni intentasset, unanimiter *elata voce* (ἦραν φωνην) ad Deum ita precati sunt : *Domine, tu es qui fecisti coelum et terram, mare et omnia, quae in eis sunt; qui Spiritu Sancto per os patris nostri David*[1], etc. Quae sequitur precatio, ea haberi nequit pro formula quadam precum iam antehac Apostolis solemni; nam huic sententiae obstat mentio *minarum* (vs. 29), quarum nunc primum notitiam acceperant. Et porro quum dicatur : UNANIMITER *levaverunt vocem*, neque hoc affirmari

---

quis elegantius exprimere voluerit graeca επι τῳ γεγονοτι, quae nota deinde in textum irrepserit. Et quum jam legeretur : *omnes clarificabant Deum in eo quod factum fuerat in eo quod acciderat*, librarius aliquis pro *Deum in eo* reposuerit vocem *id*, ut aliquis esset verborum sensus. Mendosam esse hoc loco lectionem Vulgatae, iam notavit Venerabilis Beda; nam in sua *Retractatione* in hunc locum ait : Melius habetur in Graeco : *omnes enim glorificabant Deum in eo quod factum fuerat.* Et quod in nostris codicibus additum est : *in eo quod acciderat*, in Graeco non habetur.

[1]) VAR. LECT. Codd. ABE variique Minusculi, Verss. antiqq. Itala, Syriaca, Vulg. exhibent : ὁ δια πνευματος ἁγιου, δια στοματος Δαβιδ του πατρος ἡμων. Attamen verba δια πνευματος ἁγιου, mea quidem sententia, pro glossemata habenda sunt.

posse videtur, scilicet Apostolorum unum aliquem preces illas recitasse, reliquos vero attenta mente precantem fuisse secutos. Haec Salmeronius perpenderit, cum scriberet (Tract. XIX in Act.) : « Plus quam mirum fuit, omnes in eamdem sententiam et verba orando convenisse; quod indicium est manifestum, eos ab eodem Spiritu Sancto ad rogandum permotos fuisse. »

Domine, tu es qui fecisti, etc.). Deum laudant *primum* ab eius potentia (vs. 24), deinde ab eiusdem praescientia (vs. 25), ut conspicua in praedictione persecutionum quas patiebantur. Quod deinde citatur vaticinium, desumptum illud est ex Psalmo secundo, qui, ut hic dicitur, auctorem habet Davidem Prophetam. Est autem Psalmus propheticus de Messia, ut certo conficitur tum ex praesenti loco (vs. 25-29), tum etiam ex Act. XIII : 33 et Hebr. I : 5; V : 5. Ad Messiam hunc Psalmum retulit etiam Synagoga antiquior[1], teste Rashi, qui in principio sui commentarii in hunc Psalmum haec habet : רבותינו דרשו את הענין על מלך המשיח ולפי משמעו ולתשובת המינים נכון לפותרו על דוד עצמו. Hoc est : *Doctores nostri Psalmum hunc exposuerunt de rege Messia, sed prout sonat* (secundum sensum litteralem), *et ut respondeatur Minaeis* (ולתשובת המינים[2]) h. e. Christianis, *expedit eum interpretari de ipso Davide*.

Porro non *typico* sed *litterali* sensu Psalmum hunc ad Messiam esse referendum, Patrum sententia est, ut docet Calmetus in suo commentario in hunc Psalmum.

Quare fremuerunt, etc.). Vox *quare* est hic irridentis et indignati. Ante vocem *adstiterunt* (vs. 27) mente repetendum est *quare*. Verba autem רָגְשׁוּ et נוֹסְדוּ, quae in Hebraeo hic leguntur, reddenda sunt in Praesenti; item יֶהְגּוּ et יִתְיַצְּבוּ, quae pariter ibi occurrunt. Itaque verba Psalmi, quae hic recitantur, ex He-

[1]) Videsis quae hac de re notavimus in *Chrestomathia* nostra *Rabbinica et Chaldaica*, vol. 2, p. 244—45.

[2]) Verba haec non leguntur in editione *Bibliorum maximorum* Buxtorfiana, nec in Veneta recentiore; leguntur autem in editione principe, h. e. Bombergiana, excusa Venetiis an. 1525.

braico sic Latine reddiderim : *Quare ferociunt gentes, et populi meditantur inania* (talia quae frustra conabuntur efficere)? Quare *insurgunt reges terrae et principes in consilium coëunt contra Iehovam et contra unctum eius?* Recitata Psalmi verba praedicunt vanas Gentilium Iudaeorumque machinationes ad perdendum Messiam eiusque nomen obliterandum. *Gentes* hic intelligas milites Romanos et Idumaeos. Salvator quoque noster hoc vaticinium respexisse videtur, quum diceret (Luc. XVIII : 31, 32) : *Ecce adscendimus Ierosolymam, et consummabuntur omnia, quae scripta sunt per prophetas de Filio hominis. Tradetur enim gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur.* Qui vero hic dicuntur *populi*, intelliguntur variae tribus Hebraeorum, ut colligitur ex vs. 27. Porro *reges terrae* sunt Herodes Idumaeus et Pontius Pilatus; et *principes* intelligimus assessores Synedrii. Attamen putandum non est, ad eos solos adversarios, quos dixi, vaticinii verba esse restringenda.

27. *Convenerunt enim vere*, etc.). Particulae γαρ haec vis est : Praedixisti, o Deus, per os Davidis impiorum conatus contra Iesum Messiam, et vere praedixisti; reapse (επ' αληθειας[1]=αληθως) ENIM (γαρ) convenerunt, etc. *In civitate ista*, scil. Hiërosolymae. *Puerum tuum.* Vide supra ad Cap. III : 13. *Quem unxisti*, h. e. *regem constituisti.* Allusio est ad verba Psalmi II : vs. 6 : *Ego autem constitutus sum rex;* Hebraice : וַאֲנִי נָסַכְתִּי מַלְכִּי h. e. *ipse ego inunxi regem meum;* ubi Deus Iesum vocat regem *suum*, quia suo iussu regnat. Cf. Muis. ad h. l., et Maldon. ad Matth. XXVII : 11.

---

[1]) VAR. LECT. Post επ' αληθειας leguntur verba εν τη πολει ταυτη in Codd. ABDE plurimisque Minusculis, item in Versionibus antiquis, Itala, Syriaca, Vulgata, aliis; leguntur quoque ea verba in multorum Patrum scriptis. Quare ambigendum non est, mea quidem sententia, quin haec verba in textum recipienda sint tamquam genuina.

28. *facere quae manus*, etc.). Graece ποιησαι, qui Infinitivus pendet ab antegresso συνηχθησαν. Illud ποιησαι vertas : *ad faciendum*, vel *ut facerent*. Est enim Infinitivus *scopi* sive *finis intenti*. Cf. Gr. § 45, 3. *Manus Dei* metaphorice significat Dei *potentiam*. Sensus est : *Convenerunt... ut facerent* contra Iesum (non quaecumque voluissent, sed) *quanta* (ὅσα) moderatrix *tua potentia* (ἡ χειρ σου), *et consilium* (και ἡ βουλη σου) sive voluntas tua *fieri* (γενεσθαι) *ante decreverant* (προωρισε). Non dicitur *facere* sed *fieri* decreverant. Verbum Singularis Numeri (προωρισε), quod in Graeco hic legitur, grammatice refertur tantum ad antegressum ἡ βουλη σου. Itaque agnoscendum hic est Zeugma; de qua figura Syntaxeos videsis Sanctium in suae *Minervae* Lib. IV, Cap. VIII, et Gr. pag. 540. Ad pleniorem praesentis loci intelligentiam conferenda sunt quae scripsimus supra ad Cap. II : 23.

29—30. *et nunc*). Gr. και τα νυν, scil. οντα vel εχοντα, in Accusativo Obiecti Temporalis, ut in locutionibus similibus his : το αυτικα, το παλαι, τἀρχαιον, cet. Cf. Kühnerum, § 555. Anm. 2. Locutio και τα νυν hoc loco reddi potest : *et ad praesentem rerum statum quod attinet*.

Domine, respice in minas eorum). Scil. Synedristarum sive assessorum Synedrii. Vide supra vs. 17. Apostoli haec dicebant, ut hic notat S. Chrys., non detrectantes durum quidpiam pati, sed precantes pro bono rei Evangelicae[1]. Sensus precantium mihi videtur esse hic : Domine respice in minas Synedrii, et ne permittas, nos per eas deterreri a praedicando Evangelio; itaque da servis tuis robur animi ad hoc intrepide praestandum, etc.

et da servis tuis, etc.) *i. e.* nobis, Apostolis tuis. Duo petunt; nam *et* robur animi sibi praecantur ad Evangelium intrepide prae-

---

1) Ταυτα δε ελεγον, ουκ αυτοι παραιτουμενοι δυσχερες τι παθειν, αλλ' ὑπερ του κηρυγματος. S. Chrys. Hom. XI in Act.

dicandum, *et* Deum orant, ut porro velit ipsis concedere donum miraculorum, quo praedicationi Evangelii divina concilietur auctoritas. Posterior haec petitio priori illi annectitur per Praepositionem εν cum Infinitivo : εν τῳ την χειρα σου εκτεινειν, quae verba reddenda sunt : *dum tu* (terwijl gij) *manum tuam extendis.* Interpres noster rem paulo aliter intellexit; nam quod scripsit *in eo quod manum tuam extendas*, hunc habet sensum, quasi dicere voluissent Apostoli : *da nobis robur animi, quod aderit, si manum tuam extendas*, etc. *Cum omni fiducia*, graece, μετα παρρησιας πασης, h. e. cum maxima libertate (*met de grootste vrijmoedigheid*). Confer quae de hac locutione notavimus ad Cap. I : 20 epistolae ad Philippenses. *Extendere manum*, quod refert Hebraicum נָטָה יָד, est *potentiam suam exserere.* Praepositio εις in dictione εις ιασιν—γινεσθαι (Vulg. *ad sanitates—fieri*) dicta est de *scopo* rei faciendae. Itaque dicunt : *dum tu, o Deus, ad sanationem* (εις ιασιν), h. e. ad sanandos aegrotantes, *et ut varii generis miracula* (σημεια και τερατα) *fiant* (verba sumenda sunt ac si, repetita Praepositione εις, scriptum esset : και εις σημεια και τερατα γινεσθαι), *potentiam tuam exseris* nostro ministerio *per nomen* (ad invocationem nominis) *sancti filii tui* (Gr. του ἁγιου παιδος σου. Vid. supra ad Cap. III : 13) *Iesu.*

31. *Et cum orassent, motus est locus,* etc.). Dictis hisce precibus, tremore quodam concussum fuit coenaculum, in quo Apostoli erant congregati. Tremor autem ille, divinitus excitatus, signo illis erat, preces eorum a Deo fuisse exauditas[1]. Nam et illico obtinuere novum robur illud animi, quod a Deo petiverant; sequitur enim : *et repleti sunt omnes Spiritu Sancto;* quo factum est, ut non tan-

[1]) Επενευσεν αυτων τη δεησει, και δηλον τουτο εποιησε σεισας τον τοπον, ὁτι παρεστι ταις ευχαις αυτων. h. e. « Annuit eorum petitioni, et palam fecit, locum concutiendo, se illorum precibus adesse. » S. Joannes Chrysostomus Hom. XI in Act. Apostolorum, ad h. l.

tum ob minas Synedrii non abstinerent a praedicando Evangelio, sed contra animosius illud annunciarent. Ad rem hic notat Cornelius a Lapide : « Hinc discimus, *inquit*, gratiam habitualem iustis non sufficere ad vincendas ingruentes acres tentationes et persecutiones, sed ad hoc opus esse novo crebroque impulsu et robore Spiritus Sancti, illudque precibus continuis et ardentibus efflagitandum, uti hic fecerunt fideles (Apostoli). » Etiam miracula edendi potestatem Apostolis, ut petiverant (vs. 30), fuisse continuatam, ex versiculo 33 discimus.

32. *Multitudinis autem credentium*, etc.). Cum Lucas scripserit των πιστευσαντων (in Aor.), h. e. *eorum qui crediderant*, non autem των πιστευοντων, ut supra Cap. II : 44, dubitari potest, utrum hic respexerit illos solos qui ad recentem hanc Petri concionem fidem Christianam fuerant amplexi, an vero, praeter hos, etiam Christianos illos, de quibus paulo ante (Cap. II : 44—47) sermonem iam fecerat. Quominus posterius dicamus, non obstare mihi videtur quod in praesenti morum Christianorum descriptione (vs. 32—36) talia dicuntur, quae in antegressa (Cap. II : 44—47) dicta iam fuerant, quum haec in quarto hoc Capite et *uberius* et *distinctius* dicantur.

Hactenus narraverat Lucas ea quae Apostolos spectabant; pergit iam dicere de novellis Christianis : ad multitudinem *autem* (δε) eorum qui crediderant quod attinet, erat illis *cor unum et anima una*, h. e. arctissimo amoris vinculo inter se erant coniunctissimi.

nec quisquam eorum, etc.). Datur hic illius amoris argumentum. Graeca distinctius sic reddideris : *neque ullus quidquam suorum bonorum dicebat esse suum, sed erant illis omnia communia.* Confer quae notavimus supra ad Cap. II : 44.

33. Incoepta versiculo 32 narratio de moribus fidelium interrumpitur per ea quae versiculo 33 dicuntur de *Apostolis;* resu-

mitur autem illa narratio versiculo 34. Putaveris, versiculum 33 ponendum esse ante 32; sed quum hoc ordine illi duo versiculi in nullo codice aut antiqua versione legantur, coniecturae illi locus esse nequit. Ergo dicendum videtur, ea quae versiculo 33 dicuntur, habenda esse pro parenthesi. Scilicet Apostoli *et* robur animi sibi a Deo petiverant, *et* patrandorum miraculorum facultatem. Prius illud Apostolis a Deo fuisse concessum, Lucas dixerat versiculo 31: *et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et loquebantur verbum Dei cum fiducia*. Hic vero indicat, Apostolos etiam posterius hoc a Deo impetrasse, dum dicit, eos magnis editis miraculis confirmasse veritatem suae praedicationis. Si hic parenthesin non agnoscas, indicandus tibi est nexus logicus inter vs. 33 et 34; hic autem quis tandem sit, ego quidem plane non video.

et virtute magna, etc.). Graece: μεγαλη δυναμει, h. e. magnis editis miraculis confirmabant suum testimonium (το μαρτυριον), quo affirmabant, Iesum Christum a mortuis resurrexisse. « Non verbo tantum, ait S. Chrysostomus, sed etiam virtute testimonium resurrectionis exhibuerunt, ut et Paulus dicit (I Cor. II : 4): *Et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione Spiritus et virtutis*. Nec simpliciter virtute, sed virtute magna[1]. » Chrysostomus ergo, cui assentio, vocem δυναμις intellexit dictam hic esse, per Metonymiam *effectus pro causa*, de editis miraculis. Nam voces μεγαλη δυναμει non videntur posse hic reddi *magna dicendi vi*, quum hoc iam satis dictum esse videatur in antegressis (vs. 31): *et loquebantur verbum Dei cum fiducia* (μετα παρρησιας). Cum praesenti loco conferri potest id quod legitur in Ep. ad Rom. XV : 19: εν δυναμει σημειων και τερατων.

---

[1]) Ου λογῳ δε μονον, αλλα και δυναμει το μαρτυριον της αναστασεως εδεικνυσαν, καθαπερ και Παυλος λεγει· Και το κηρυγμα μου ουκ εν πειθοις ανθρωπινης σοφιας λογοις, αλλ' εν αποδειξει Πνευματος και δυναμεως. Και ουχ ἁπλως δυναμει, αλλα μεγαλῃ δυναμει. » S. Chrys. Homil. XI in Act. Apostolorum ad h. l.

Puta, Lucam hic similiter scripsisse : και μεγαλῃ δυναμει σημειων και τερατων απεδιδουν, κ. τ. λ. Dativus ille μεγαλῃ δυναμει (met groote wonderkracht) mihi est Dativus *societatis*, de quo videsis Kühnerum, § 568, 2, b.

et gratia magna, etc.). Sermo est de Apostolis. De Iesu Christo in Evangelio suo Lucas scripserat (Cap. II : 40) : και χαρις Θεου ην επ' αυτο (scil. το παιδιον); similiter hic dixit επι παντας αυτους, *super eos omnes*. Qua loquendi ratione mihi videtur significare, multis modis conspicuum fuisse, praecipuum quoddam divinae gratiae auxilium omnibus Apostolis continuo adesse.

34. *Neque enim quisquam egens*, etc.). Particula γαρ, quae nata est ex γε et αρα, hic, mea quidem sententia, tantumdem valet quod *igitur*; de qua potestate Particulae γαρ legesis quae disputavit Klotzius ad Devarii librum *de Graecae linguae Particulis* (vol. 2, p. 231, sqq.). Itaque Graeca reddiderim : *igitur neque egenus quisquam erat inter eos*; et Particulam γαρ hic habeo pro Particula *concludentis* ex dictis vs. 32 : *nec quisquam—communia*.

Quotquot enim, etc.). Causa cur nullus esset inter eos egenus, summatim iam indicata fuerat per verba : *erant illis omnia communia*. Hic vero eadem causa *distinctius* exponitur. Itaque hoc loco Particula γαρ vulgarem suam notionem obtinet. *Vendentes afferebant*, Graece πωλουντες (Particip. *Imperfecti*) εφερον, h. e. *vendebant et afferebant*, τας τιμας των πιπρασκομενων, h. e. *pretia rerum divenditarum*, eaque apud Apostolos deponebant, in usum communem ad eorum arbitrium expendenda. Locutio *ponere aliquid ante pedes alicuius* nihil aliud videtur notare quam *committere*, *concredere aliquid alicui*; confer Cap. VII : 57 cum XXII : 20. *Dividebatur autem singulis*, etc. Vide supra ad Cap. II : 45. Imperfecta εφερον et ετιθουν dicta sunt de eo, quod fieri *solebat*. Vide Gr. pag. 286. β.

36—37. Particula δε hoc loco inservit orationi *continuandae*. Lucas scilicet, exempli causa, ex illis possessoribus unum nominat, cuius liberalitati ingenuae opponit (Cap. sq.) Ananiae eiusque coniugis Saphirae fucatam liberalitatem. Nomen *Ioseph* Iudaei promiscue et יוֹסֵף *Ioseph*, et, per aphaeresin, יוֹסֵי *Iose* efferebant. Exempla dat Lightfoot in *Horis Hebraicis* ad h. l. Ex *Iose*, addita terminatione graeca, facta est vox Ιωσης. Ioseph ille, de quo hic sermo instituitur, ab eo qui Cap. I : 23 memoratur, diversus est. Cognomen *Barnabas* quando aut quam ob causam illi fuerit ab Apostolis impositum, omnino latet. Vox *Barnabas* si Graece reddatur, est υιος παρηκλησεως; at quum certo dici nequeat, quodnam sit etymon posterioris partis eius vocis *Bar-nabas*, incertum etiam hoc est, quo nempe sensu vir ille dictus fuerit υιος παρακλησεως, quum vox παρακλησις in Graecitate sacra ancipitis significationis sit. Erat Barnabas ex gente Israëlitica oriundus, et quidem ex tribu Levi (Λευιτης), natus vero (τῳ γενει) in insula Cypro, ut erant tunc temporis Israelitae toto orbe dispersi. Τῳ γενει est Dativus *Relationis*, ut in locutione περιτομῃ οκταημερος. Vide nostra in Ep. ad Philipp. Cap. III : 5. Το χρημα de *pecunia* raro licet, dicitur tamen, ut, v. g. ab Herodoto, III : 38. Voces ὑπαρχοντος αυτῳ αγρου non pendent a χρημα, sed positae sunt in Genitivo *absoluto*. Cf. Gr. pag. 207. *Adnot.*

—

CAPUT QUINTUM.

Argumentum. Ananias et Saphira, coniuges, ob fraudatam partem pretii agri a se divenditi repentina morte divinitus puniuntur, vs. 1—22. Continuatur narratio de progressu rei Christianae, et dicitur imprimis de multis magnisque miraculis, quae ab Apostolis edebantur, vs. 13—17. Sed doctrinae Christianae progressum non fert Iudaica impietas. Itaque capti Apostoli tamquam scelerati in publicum carcerem detruduntur, vs. 17—19; ex quo per noctem ab angelo, reseratis ianuis, educti, iubentur in ipso Templo intrepide docere populum, quod et faciunt, vs. 19—22. Re cognita, Synedrium o Templo ad tribunal Apostolos adduci iubet, vs. 22—27. Interrogantur, cur praecepto (cap. IV : 18) Synedrii non obtemperaverint. Petri ad hoc responsum assessores Synedrii adeo exasperat, ut morti addicere velint Apostolos, vs. 28—34. Sed eorum unus, Gamaliël, iussis Apostolis e concilio secedere, collegas suos, habita oratione, ab hac sententia revocat, vs. 34—40. Flagris tamen caeduntur Apostoli, iterumque prohibiti in posterum Iesum praedicare, dimittuntur. At illi laetabundi quòd digni habiti fuissent qui contumelia afficerentur pro causa Evangelii, nihilique facientes impium interdictum, Christianam religionem alacres, et publice in Templo et privatim in aedibus, praedicare pergunt, vs. 40—42.

1—2. Barnabae liberalitati ingenuae *opponitur* (δε) fucata Ananiae eiusque uxoris Saphirae. Ανανιας est Hebr חֲנַנְיָה h. e. *misertus est Deus*, et Σαπφειρη est Aram. שַׁפִּירָא h. e. *formosa*. Κτημα proprie est *possessio* quaedam, sed hanc fundo sive praedio aliquo constitisse, ex vs. 8 colligitur. « Verbi νοσφισασθαι, ait Valckenarius (ad h. l.), quod in Novo Testamento alibi non exstat, praeterquam hoc loco et Ep. ad Tit. II : 10, origo est νοσφι, quae vocula, apud Poëtas superstes, significat *seorsim*. Hinc νοσφιζω *seorsim pono, seiungo*. Medie νοσφιζομαι, *in meos usus seiungo*, vel, *ex alterius bonis fraudulenter quid in meos usus averto*. » Ενοσφισατο απο της τιμης scil. τι; *hij hield iets achter van den verkoopprijs*. Συνειδυιας και της γυναικος αυτου, *conscia etiam uxore sua*.

et afferens, etc.). Graeca : και ενεγκας κ. τ. λ. liberius sic reddideris : *allatamque partem aliquam* (pretii agri a se divenditi) *ad pedes Apostolorum deposuit*. Ex serie narrationis (vs. 3) colligitur, Ananiam aut verbis aut alio modo significasse, integrum agri divenditi pretium a se fuisse allatum.

3. *Cur tentavit*[1], *Satanas* etc.). Sentiunt SS. Patres[2], Ananiam et Saphiram voto consecrasse Deo agri illius pretium, ut adeo et sacrilegii reos sese fecerint. Petrus crimen istorum divinitus fuerit edoctus.

Graeca : διατι επληρωσεν, κ. τ. λ., reddi possunt ita : *quare implevit Satanas cor tuum ad mentiendum Spiritui Sancto et ad intervertendum de pretio agri.* Infinitivi ψευσασθαι et νοσφισασθαι sunt Infinitivi *scopi* sive *finis intenti*, ut supra IV : 28. Dicitur Satanas prava sua suggestione *adimplesse* aut penetrasse cor alicuius, quando hic pravae suggestioni praebet consensum. Colligitur hoc ex vs. 4, ubi pro τῳ *cur implevit Satanas cor tuum*, Petrus eodem sensu dixit : *quare posuisti in corde tuo hanc rem?* Pravae suggestionis illius hic erat *finis*, ut Ananias *reipsa* mentiretur Spiritui Sancto et interverteret de pretio agri. Dicens cur *implevit*, Petrus innuit, per Ananiam stetisse ut *Satanas cor eius non impleret.* « Non enim, ut Estii verbis utamur, *increpandus* erat Ananias quòd tentasset eum Satanas, cum id non esset in eius

---

[1]) Var. lect. In nonnullis tantum codicibus legitur hic επειρασεν (*tentavit*), communis autem codicum lectio est επληρωσεν, quam exhibent etiam versiones Itala et Syriaca, item Chrys. Theophyl. Oecumen. Itaque non videtur ambigendum, quin επληρωσεν sit germana Lucae scriptura.

[2]) S. Chrys. Hom. XII in Act. ad. h. l Ὁρᾳς, inquit, ὁτι τουτο εγκαλειται, ὁτι ποιησας αυτα ἱερα χρηματα, τοτε ελαβε; Μη γαρ ουκ ηδυνασο, φησι, και μετα το πωλησαι αυτα (sic) ὡς ιδιοις αποχρησασθαι; μη γαρ εκωλυθης; δια τι μετα το ὑποσχεσθαι λαμβανεις; h. e. « *Viden', hoc in crimen vocari, quod cum illas pecunias sacras fecisset, de illis subripiat? Annon*, inquit, *poteras illis venditis, ut propriis uti? num prohibitus es? cur subripis, postquam promisisti?* Et S. Aug. Serm. 27 de verbis Apostoli : *Dum*, inquit, *ex eo quod promiserat partem subtraxit, sacrilegii damnatur et fraudis. Sacrilegii, quod Deum in pollicitatione fefellerit; fraudis, quod integris muneribus portionem quamdam putaverit subtrahendam.* « S. Hieron. Ep 8 ad Demetr. (apud Corn. a Lapide) : *Ananias*, inquit, *et Saphira... post votum abstulerunt quasi sua et non eius cui semel ea voverant, partem sibi iam alienae substantiae reservantes* » S. Gregorius Lib. I. Ep. 33 ad Venantium (apud Corn. a Lapid.) « *Ananias*, inquit, *pecunias Deo voverat, quas postea, victus persuasione Diaboli, subtraxit.* »

potestate, sed quod consensisset... Neque enim Satanas cor Ananiae implere potuisset, nisi ille per consensum cor suum aperuisset pravae suggestioni Satanae, qua repleretur. »

mentiri te Spiritui Sancto). Pro Dativo graece est Accusativus: ψευσασθαι σε το πνευμα το ἁγιον. Res eòdem redit. Sed sciendum est, verbum ψευδομαι occurrere etiam iunctum nudo Accusativo, ut (apud LXX) Nehem. VI : 8. Isa. LVII : 11. Conferri potest, quamquam hoc sensu, quod sciam, non usurpatur, Nostratium *beliegen*. Locutionem ψευσασθαι το πνευμα το ἁγιον Cornelius a Lapide interpretatur ita, ut sit *negare Spiritui Sancto rem illi promissam et voto obligatam*, sive *fidem illi datam fallere*. Lintrensis vero opinatur, Ananiam ideo hic dici *mentiri Spiritui Sancto*, quia Apostolis, Spiritu Dei repletis, Apostolis in quibus Spiritus Sanctus residebat, mentiebatur, significans se non pluris agrum vendidisse quam tanti, quantum ipse adferebat. Quam interpretationem firmare potuisset auctoritate S. Cyrilli Hierosolymitani (Catech. XVI : 8), qui eo sensu praesentem locum intellexit. « Non adfuerat, *inquit*, Petrus Ananiae et Saphirae eum sua bona vendebant, sed per Spiritum aderat. *Quare*, inquit, *implevit Satanas cor tuum, ut mentireris Spiritui Sancto*[1]. »

4. *Nonne manens tibi manebat, et venumdatum in tua erat potestate*)? Sensus est : praedium illud si mansisset invenditum, nonne pleno dominio manebat tuum? et postquam divenditum fuit, nonne divenditi pretium tuum fuit totum, ut de eo pro libitu statuere potuisses? — Significatur ergo, Ananiam, nemine compellente, praedium suum divendisse, illiusque pretium Deo consecrasse. — Participia μενον et πραθεν referuntur ad vocem χωριον,

---

[1] Ου συμπαρην Πετρος Ανανιᾳ και Σαπφειρῃ πωλουσι τα κτηματα, αλλα δια του Πνευματος παρην. Δια τι, φησιν, ὁ Σατανας επληρωσε την καρδιαν σου ψευσασθαι σε το πνευμα το ἁγιον.

quae proxime antecesserat, eaque hic mente supplenda est. Πραθεν χωριον, *venditum praedium*, per Metonymiam hic notat *venditi pretium*. Interpres noster quum χωριον reddidisset per vocem *ager*, pro *venumdatum* scribere debuisset *venumdatus*.

Quare posuisti in corde tuo hanc rem?) Graece τι, quod valet τι ην ότι, *quid causae erat cur*. Est *cur* increpantis. Locutio *ponere aliquid in cor suum* refert Hebraicam שׂוּם עַל לֵב, quo sensu haec adhibetur in Malach. II : 2, et Dan. I : 8. Simili phrasi Latini dicebant *inducere aliquid in animum suum*. Sensus est : quare illud scelus admisisti? — Locus hic imprimis valet ad probandam humani arbitrii libertatem.

Non es mentitus hominibus sed Deo). Locutio *mentiri Deo* sumenda hic est eodem sensu, quo supra vs. 3. Itaque sensus erit vel is : *fregisti fidem datam non hominibus sed Deo;* vel hic : *mendax fuisti non in homines sed in Deum*. Posteriorem hanc interpretationem commendat uterque Cyrillus, Hiërosolymitanus et Alexandrinus. Hiërosolymitanus quid dicat, supra (ad vs. 3) vidimus; Alexandrinus autem effatum illud Petri eodem sensu accepit. En eius verba : « *Anania*, inquit Petrus, *cur seduxit Satanas cor tuum, ut mendacio falleres Spiritum Sanctum et partem de pretio agri interverteres?* Et post pauca : *non hominibus sed Deo mentitus es*. Nam quum iste subtrahendo, quod volebat, de pretio agri, putaret se latere Apostolos utpote homines, Apostolorum princeps cum docet, illos, qui gratiam Spiritus habent, perspicue cognoscere ea quae occulte fiunt. Inquit enim : mendax fuisti non in nos sed in Spiritum Sanctum; ne putes ergo te decepisse homines; nam Deus est qui a te falsus est mendacio; *non enim hominibus mentitus es sed Deo*. Neque enim nos, inquit, a te decepti sumus sed Spiritus Sanctus[1]. »

[1]) « Ανανια γαρ, φησιν, ἱνα τι ηπατησεν ὁ Σατανας την καρδιαν σου ψευσασθαι το ἁγιον πνευμα και νοσφισασθαι σε απο της τιμης του χωριου; Και μετ' ολιγα· Ουκ εψευσω ανθρωποις, αλλα τῳ Θεῳ.

Effato Petri illo, quod modo audivimus, plerique antiquorum Patrum, tam Graeci quam Latini, usi sunt, ut docet Petavius (de Trinit. Lib. II, Cap. XIII : 1), ad probandam Spiritus Sancti divinitatem. Rectissime; nam hic pro uno eodemque habentur, *mentiri Deo*, et *mentiri Spiritui Sancto*. Auctoribus, quos in hanc rem citant Petavius et Suicerus (in Thesauro, ad vocem πνευμα), iungendus est uterque Cyrillus.

5. *Audiens*, etc.). Ακουων (Particip. Imperf.), h. e. *quum audiret haec Petri verba*. Sensus est : ad haec Petri verba *humi prolapsus* (πεσων) Ananias, *exspiravit*, repentina morte divinitus perculsus. Graecum εξεψυξε elliptice dictum est pro εξεψυξε τον βιον, ut plene dixit Sophocles (notante Valcken. ad h. l.) : απεψυξε βιον, in Aiac. 1050, ubi Scholiastes, quem Johnsonius edidit, nonnulla collegit, quae in eumdem sensum et plene dicuntur et per Ellipsin pro *mortuus est*. Ετελευτησε, και ετελευτησε τον βιον· και, κατεστρεψε, και κατεστρεψε τον βιον· και, απεψυξε, και απεψυξε τον βιον.

Et factus est timor magnus, etc.). Exemplum hoc divinae iustitiae in Ananiam editum *magno terrore* salubriter affecit animos omnium, qui ea de re audiebant. — In versiculo sequenti innui videtur, accidisse quod hic narratur in publico fidelium conventu.

Επειδη γαρ εκεινος ῳηθη λανθανειν ὡς ανθρωπους τους αποστολους ὑφελομενος της του κτηματος τιμης ὁ ηθελησεν, ὁ κορυφαιος αυτον διδασκει των αποστολων, ὁτι του Πνευματος την χαριν οἱ εχοντες, παντα σαφως επιστανται τα κρυβδην γινομενα. Ουχ ἡμας γαρ, φησιν, εψευσω, αλλα το πνευμα το αγιον· μη τοινυν ανθρωπους ηπατηκεναι νομιζε. Θεος γαρ εστιν ὁ διαψευσθεις παρα σου· ουκ εψευσω γαρ ανθρωποις, αλλα τῳ Θεῳ· ουχ ἡμεις γαρ, φησιν, ὑπο σου παρεκρουσθημεν, αλλα το πνευμα το ἁγιον. » S. Cyrilli Alexandrini capitula de S. Trinitate, Cap. 25. Nuperrime opus hoc primum in lucem editum fuit (*Graece tantum*) ex Codd. Vaticanis a Cel. Card. Maio, in *Scriptorum veterum nova collectione*, Tom. VIII.

Attamen non putem, ideo *παντας τους ακουοντας*[1] intelligendos esse *omnes* huic conventui praesentes; nam si hoc Lucas sibi voluisset, quid-ni scripsisset *επι παντας τους παροντας* vel *ιδοντας*? Itaque dicendum videtur, *παντας τους ακουοντας* esse eos, ad quos huius rei fama identidem perveniebat. Hoc ergo dictum hic fuerit *per anticipationem*, quum necdum res percrebuisset.

6. *Surgentes autem iuvenes*). Graece *οἱ νεωτεροι*. Qui cum, nemine monente, e loco suo surrexerint, et tamquam certae quaedam personae (*οἱ νεωτεροι* cum Articulo) designentur, verisimile est eos fuisse tales, quibus in publicis ecclesiae conventibus definitum aliquod officium incumberet.

amoverunt eum, etc.). In versione Itala, secundum Codicem Cantabrigiensem, legitur *involverunt eum*, quo vocabulo equidem malim reddere Graecum *συνεστειλαν*. Notio *involvendi* sive veste aliqua *contegendi* voci *συνεστειλαν* subiecta legitur in Glossario Graeco N. F., ubi *συνεστειλαν* redditur per *συνεκαλυψαν*. « Haec circa defunctos cura, inquit Valckenarius (ad h. l.), graece exprimitur verbis *περιστελλειν*, *συστελλειν*, *συγκοιμιζειν*. » Legitur ita, ut ex Grotio monet Kuinoel (ad h. l.), apud Euripid. Troad. vs. 376 : *οὓς δ' Αρης ἑλοι, ου παιδες ειδον, ου δαμαρτος εν χεροιν πεπλοις συνεσταλησαν*; h. e. *quos Mars abstulit, non liberi viderunt, neque coniugis manibus vestibus involuti sunt.* Cf. etiam Suicerum in Thesauro ad voc. *συστελλω*. Quod sequitur, *και εξενεγκαντες εθαψαν*, reddiderim : *et extulerunt eum atque sepeliverunt;* ubi notandum est, Graecum *εκφερειν* ut et Latinum *efferre* ita usupari in re funebri. Affatim exemplorum dat Wetstenius ad h. l.

---

[1] Var. lect. Post *ακουοντας* non legitur *ταυτα* in ABC variisque Minusculis, nec in Verss. antiqq. Syriaca et Vulgata. Dubitari potest mea quidem sententia, an vox *ταυτα* sit in textum recipienda.

7. Verba ista : ὡς ὡρων τριων διαστημα, pro parenthesi habeuda sunt. Eodem modo in Evangelio suo Lucas scripsit (Cap. IX : 28) : εγενετο μετα τους λογους τουτους, ὡσει ἡμεραι οκτω, και παραλαβων. Ex quo loco etiam colligitur, vocem διαστημα (*spatium, intervallum*) esse in Nominativo, qui adeo *absolute* positus dicendus est. Cf. Gr. pag. 182, *adnot*. Simili modo Lucianus dixit : ου γαρ ἑωρακα, πολυς ηδη χρονος, αυτον. Sensus est : accidit autem, post trium ferme horarum spatium, ut uxor ipsius, etc. In εγενετο *absolute* posito, sequente και, oratio hebraizat; scriberent enim Hebraei : וַיְהִי... וַתָּבֹא אִשְׁתּוֹ

8. *Dixit autem*, etc.). Graecum απεκριθη (Aor. 1 passiv. cum significatione reflexiva vide Gr. § 40, 2) interpres noster scite reddidit per *dixit*. Confer nostra ad Cap. III : 12. Particula ει nonnumquam, ut hoc loco, idem valet quod ποτερον, *an, num*, inservitque interrogationi obliquae. Legesis Zeunium ad Viger. Cap. VIII, Sect. VI, IV. Τοσουτου est Genitivus *pretii*. Petrus pecuniae summam expresserit, Lucas autem, quòd pretium scire lectorum nihil interesset, interrogationem Petri contraliit, scribendo : *tanti-ne* (*voor zoo veel*) *agrum vendidistis?* Mulier respondet : *Sic est* (ναι)! *tanti* vendidimus.

9—10. *Quid utique convenit vobis tentare*, etc.). Sensus est : *quare* (τι ὁτι, vide supra, p. 123) inter vos consensistis de eo ut tentaretis Spiritum Domini? — Vox συμφωνειν, cuius Aor. passiv. hic legitur, *proprie* notat *consonare*, adhibetur autem *tropice* de personis ad aliquid faciendum conspirantibus. De Syntaxi Verbi Passivi cum Dativo (συνεφωνηθη ὑμιν) loco Praepositionis ὑπο cum Genitivo, vide Gr. pag. 221. Πειρασαι est Infinitivus *scopi*. Vide supra ad Cap. IV : 28. *Tentare Spiritum Domini* alii ita explicant, ut sit *experimentum capere, utrum Spiritus Sanctus, qui erat in Apostolis, fraudem ipsorum nosset, nec-ne*. Alii vero

verba Petri ita interpretantur ut significent : *experiri utrum Deus fraudem ipsorum puniturus esset, atque adeo Deum quodammodo provocare*. Ita Petrum hoc loco intellexisse mihi videtur Salmeronius. Locutio *tentare* hoc sensu occurrit Malach. III : 15.

Ecce pedes eorum, etc.). Haec cum Petrus diceret, iuvenes (οἱ νεωτεροι vs. 6) a sepeliendo Ananiam reduces, ante fores erant; id quod Petrus aut animadverterit, aut divinitus noverit. Denunciatur hisce verbis Saphirae repentina mors, divinitus infligenda. Sensus est : *reversi sunt qui maritum tuum sepelierunt, idem tibi facturi*. Ad quae Petri verba illico collapsa humi mulier, exspirat, ingressique iuvenes mortuam efferunt, sepeliuntque iuxta maritum suum. Eaque re sacro quodam timore nec eo vulgari affecti sunt tum fideles omnes (εφ' ὁλην την εκκλησιαν), tum etiam ii omnes, ad quos rei fama perveniebat (τους ακουοντας Particip. Imperf.).

Quae hic circa Ananiam et Saphiram gesta narrantur, olim criminatus est Porphyrius; cui antiqui Patres plures responderunt. Summa refutationis eò redit, ut dicant : Petrum non eo sensu occidisse Ananiam et Saphiram, quo sensu eum dicimus mortuos revocasse ad vitam; Petrum instantem mortem Saphirae annuntiasse, non vero ipsam intulisse; fuisse autem tam severe duos istos trangressores divinitus punitos, ad terrorem novellae ecclesiae, ut eo exemplo sanciretur publica disciplina, crescente numero fidelium. De praesenti quaestione agunt S. Hieron. Ep. VIII : S. August. contra Parmenianum, Lib. III, S. Chrys. Hom. III in Act., et S. Isidorus Pelusiota, Epistolarum Lib. I, Ep. 181. Addatur fragmentum incerti auctoris, quod occurrit in *Catena* (graeca) *in Act. Ap*, recenter edita Oxonii ab J. A. Cramer. pag. 86.

12—13. Particula δε narrationem *continuat*. Terribile illud exemplum, in Ananiam et Saphiram editum, Hiërosolymitanos passim affecerat sacro quodam horrore, cuius socia fuerit maior erga Apostolos reverentia. Ad haec (δε) *per manus* (Hebr. בְּיַד)

Apostolorum, h. e. per Apostolos multa apud populum edebantur *diversi generis* (σημεια και τερατα) miracula. Ex quo intelligitur qui factum sit, quod Lucas hic subiicit, ut Apostoli et quotquot Christo nomen dederant fideles, publicos in porticu Salomonis libere habere *solerent* (ησαν Imperf. vid. supra, p. 85) conventus, nihil sibi timentes a plebe Hiërosolymitana, ut cui in veneratione essent Apostoli. Ὁμοθυμαδον *simul, una*, ut supra Cap. I, vs. 14. *Omnes*, graece ἁπαντες (vid. supra ad Cap. II : I, p. 40), scil. Apostoli *et* ceteri fideles; nam hanc interpretationem postulare videtur id quod sequitur : *ceterorum autem*. Hi *ceteri* (οἱ λοιποι) sunt cives Hiërosolymitani *adhuc infideles*, et iidem cum iis qui mox vocantur populus (ὁ λαος) Hiërosolymitanus. Pro *coniungere* Graece hic est κολλασθαι, quod *proprie* notat *conglutinari* (a κολλα *gluten*), *metaphorice* vero *familiariter aliquo uti*. Gallice dicerem : *le peuple se tenait à une distance respectueuse à l'égard des Apôtres; αλλ' εμεγαλυνεν αυτους, sed laudibus eos efferebat*. De porticu Salomonis vide supra ad Cap. III : 11, et Constant. l'Empereur in notis ad Tractatum Talmudicum *Middoth* sive *de mensuris templi*. Lugduni Batav. 1630, p. 52.

14. Versiculum hunc pro parenthesi habeo, ad quam inducendam inserviat Particula δε, quae hic sit *transeuntis;* confer Marc. V : 15 et Act. XII : 3. Μαλλον, quod hoc loco *adverbialiter* sumendum est, valet (in dies) *magis magisque*, ut infra, Cap. IX : 22. Προσετιθεντο *adiungebantur* scil. *ecclesiae;* vide Cap. II : 41, 47. Τῳ Κυριῳ iungendum est cum πιστευοντες. Πληθη (Plural.) *copiae* virorum ac mulierum. Πληθη est *Appositio* ad πιστευοντες. Sensus est : adiungebantur autem Ecclesiae qui Christo nomen darent continuò plures, viri ac mulieres magno numero.

15. *ita ut in plateas*, etc.). Perspicue non patet, quisnam sit nexus logicus inter versiculum hunc et antegressum. Fuère qui

dicerent, verba ista, *et erant unanimiter—virorum ac mulierum,* pro parenthesi esse habenda, quod non probo. Putaverim potius, versiculum decimum quartum pro parenthesi esse habendum. Itaque versiculo 15 narratur, mea quidem sententia, *effectus* illius existimationis, quam sibi Apostoli, ut vs. 13 dicitur, apud populum paraverant. Sentio enim, eos, qui hic dicuntur infirmos suos in plateis exposuisse, non iam Christianos sed adhuc infideles fuisse. Quae versiculo decimo quarto leguntur, Lucas interponere voluerit, ut obiter notaret, quamquam Iudaei Hiërosolymitani non auderent familiariter uti Apostolis (κολλᾶσθαι αυτοις, vs. 13), attamen magis ac magis in dies multitudinem credentium accrevisse.

Particula ὥστε construitur cum Infinitivo ad indicandum rei *effectum* aut *eventum*. Vide Gr. pag. 337. *Adnot.* 1. Praepositio κατα reddenda hic est *per*, valetque Nostratium *langs*. Significatur ea Praepositione, fuisse passim *per plateas*, in plateis, expositos aegrotantes. Pro *eiicere* graece est εκφερειν, *exportare*. Per voces aequipollentes κλιναι et κραββατοι designantur *varii generis* lectuli. Genitivus ερχομενου Πετρου pendet ab ἡ σκια. Dictio κᾀν (= και εαν) valet *certe, saltem;* est autem elliptica; plenam orationem puta esse hanc : ut Petrus si in transeundo non consisteret, expositis per plateas infirmis manus suas impositurus, at certe umbra praetereuntis aliquem illorum obumbraret[1]. Vim dictionis κᾀν Belgice, opinor, expresseris, si dicas : *opdat*, AL WAS 'T OOK MAAR *zijne schaduw,* etc. Etiam reliqui Apostoli miracula patrabant (cf. vs. 12); cur ergo hoc loco Petrus memoratur solus? Crediderim

[1]) Post verba : κᾀν ἡ σκια επισκιαση τινι αυτων, legitur in Cod. E : και ρυσθωσιν απο πασης ασθενειας ἧς ειχον, quam lectionem exhibet etiam Itala; exhibet et Vulgata nostra, si demas voces ἧς ειχον. In codice D post vocem αυτων legitur : απηλλασσοντο γαρ απο πασης ασθενειας, ὡς (sic) ειχεν ἕκαστος αυτων, *liberabantur enim ab omni infirmitate, prout habebat unusquisque eorum.* Glossema redolere mihi videtur utraque illa lectio. Neutram Tischendorfius in textum recepit.

per hoc innui, Petrum inter Apostolos patratis miraculis praecelluisse, idque vulgo innotuisse.

16. *Concurrebat autem*, etc.). Fama miraculorum, quae continuo ab Apostolis patrabantur, brevi pervenerat ad loca metropoli vicina. Quo factum est, ut *etiam occurreret* (συνηρχετο δε και) *Hierosolymam* (εις Ιερουσαλημ) *vicinarum civitatum* (των περιξ πολεων : est περιξ i. q. περι. De usu Adverbii loco Adiectivi vide Zeunium ad Viger. Cap. VII, Sect. II : 1) *magna vis hominum, qui secum adducebant* (φεροντες refertur ad το πληθος, sed constructio est *ad sensum*, ut vocant, ut infra Cap. XV : 12, et saepe alibi; vide Gr. p. 384, α.) *variis morbis affectos, tales quoque qui ab impuris spiritibus vexabantur, qui quidem* (οἵτινες) *sanabantur ad unum omnes* (ἅπαντες. Vide supra p. 20). De daemoniacis dicturi sumus, quando interpretabimur Evangelium sancti Matthaei. Sufficiat obiter hic adnotasse, Lucam hoc loco, quemadmodum et in suo Evangelio (Cap. IV : 40, 41), aperte distinguere aegrotantes a daemoniacis. Ideo autem etiam daemoniaci non secus ac aegrotantes dicuntur *sanati, curati* (ἐθεραπευοντο), quia daemoniaci morbo etiam corporali plerumque laborabant, ut ex Evangelica historia notum est.

17—18. *Exsurgens autem princeps sacerdotum*, etc.). Summi sacerdotis officio hoc tempore fungebatur Caiaphas; is ergo erit qui hic dicitur ὁ αρχιερευς. *Et omnes qui cum illo erant* (και παντες οἱ συν αυτῳ), h. e. qui ab illo stabant, scilicet *qui erant, sicut summus sacerdos, e secta Sadducaeorum;* quam interpretationem suadet *appositio* illa : ἡ ουσα αἵρεσις των Σαδδουκαιων. Dicitur ἡ ουσα αἵρεσις pro οἱ οντες εκ της αἱρεσεως. Verba recte interpretatur Syrus : ܕܐܝܬܝܗܘܢ ܗܘܘ ܡܢ ܡܠܦܢܘܬܐ ܕܙܕܘܩܝܐ h. e. *qui erant ex doctrina Sadducaeorum.*

Spiritum nullum esse docebant Sadducaei; Apostoli autem continuo malos spiritus eiiciebant; ad haec, resurrectionem ex mortuis

praedicabant, quam illi negabant. Ergo in novellae religionis praedicatores odio exarserunt potissimum Sadducaei. Quod dicitur αναστας, referendum hoc est tam ad ὁ αρχιερευς quam ad παντες οἱ συν αυτῳ. Putem autem, vocem αναστας in praesenti loco ad erectionem non *corporis* sed *animi* esse referendam; ut scilicet significetur, summum pontificem ceterosque Sadducaeos, Synedrii assessores, zelo suae sectae (επλησθησαν ζηλου) *excitatos*, doctrinae Christianae progressus haud amplius tulisse. — De locutione συν τινι ειναι videsis Vigerum, Cap. IX, Sect. V, X. Detruduntur Apostoli non in *carcerem privatum* velut *examinandi*, sed in *publicum* (τηρησις δημοσια), quasi manifesti cuiusdam sceleris *rei*.

19. *Angelus autem Domini*). Non iam unus aut alter ex Apostolis, sed universi omnes (επι τους αποστολους) comprehensi fuerant et in carcerem detrusi. Itaque desperata videri poterat res evangelica; verum (δε) Apostolis suis dexter adest Deus. Angelus aliquis sequenti nocte (δια της νυκτος, *pendant la nuit*), reseratis carceris foribus, eos inde educit. Ad rem hic monet Cornelius a Lapide : « Disce hic, *inquit*, in rebus arctis maxime suis adesse Deum, tumque suam potentiam, etiam per miraculum, in iis tuendis ostendere; itaque nemini tunc desperandum, sed potius accendam spem in Deum, eiusque opem maxima fiducia invocandam esse, uti hic fecisse Apostolos, non est dubium. »

20. *Ite, et stantes loquimini*, etc.). Graece σταθεντες h. e. et *vos sistentes*. Est Particip. Aor. Pass. cum significatione *Media*. Cf. Gr. pag. 274. Commendari hoc verbo videtur praecipua quaedam animi constantia et firmitudo. Certe adduci non possum ut credam, vocabulum hoc redundare, ut quidam volunt. *In templo*, puta in variis Templi porticibus. *Omnia verba vitae huius*; graece : της ζωης ταυτης. *Vita* autem hic intelligitur *salus*, ut conficitur ex loco parallelo, Cap. XIII : 26. De *salute aeterna* vox ζωη dicitur

etiam Matth. VII : 14; XVIII : 8; XIX : 16, 17; Ioh. vs. 24. Articulus et Prouomen Demonstrativum (της... ταυτης) demonstrant *vitam* illam sive *salutem,* cuius praedicatio causa fuerat, cur Apostoli hesterno die in carcerem detruderentur. Apostoli ergo ab Angelo iubentur doctrinae, quae ducit ad vitam et salutem aeternam, *partes omnes* (παντα τα ρηματα) Hiërosolymitanis constanter tradere publice in templo. Mandatum autem hoc cum accepissent Apostoli (ακουσαντες δε), prompte illud exsequuntur, non ignari malorum quae sibi imminerent, sed divinae providentiae rem totam committentes. Itaque primo mane templum ingressi, populum, matutinae precationis causa identidem eò confluentem, ex more docent.

Miraculosam fuisse Apostolorum hanc e carcere liberationem, certissime constat inter omnes, qui fidem non negant Lucae historiographo. Qui vero eam liberationem modo aliquo, naturae legibus consentaneo, explicare conati sunt, ridiculos sese praebuêre interpretes. « Nonnulli scilicet explanatores, referente Kuinoelio (ad h. l.), cogitarunt de fulgure, cuius vi aperta esset carceris ianua; alii statuerunt, terrae motu fores effractas fuisse; et qui has sententias defendunt, colloquium Angeli, cum Apostolis institutum, explicandum esse censent de cogitationibus in Apostolorum mentibus subortis. Alii, cum viderent, ob ea quae vs. 23 leguntur, de terrae motu aut fulgure non commode cogitari posse, coniecerunt, ipsum custodem carceris, vel alium novae societatis asseclam, assentiente carceris praefecto, et pecunia forte corrupto, custodibus somno indulgentibus, Apostolos liberasse. » Sed iam satis ad ridendum. Fuêre etiam, qui ea quae hic narrantur ad mythos populares amandarent, quasi Lucas historiographus, in inquirenda rerum veritate imprimis diligens (vid. Evang. S. Lucae, cap. I : 3), pro rebus vere gestis fabulas nobis tradidisset[1]. Etiam horum commentum delebit dies.

[1]) « *Der historische Bestand*, inquit Meyer, *der Art und Weise dieser Befreiung ist nicht zu ermitteln. Lukas berichtet das Factum in seiner mythischen Ausschmuckung.* » Meyer, *Apostelgeschichte*, ad h. l.

21. *Adveniens autem*, etc.). Παραγενομενος δε (Particip. Aor. 2 Med.). Eodem die cum *cum advenisset* Caiaphas cum suis Sadduceis (και οἱ συν αυτῳ. vide supra ad vs. 17) in concilii locum, eò convocarunt Synedrium (το συνεδριον). — Quod sequitur, και πασαν την γερουσιαν των ὑιων Ισραηλ, quid notet, certo, mea quidem sententia, dici nequit. Schleusnerus (in Thes. Vet. T. ad h. v.) dicit, vocem γερουσια apud Fl. Josephum passim usurpari de *Synedrio magno*. Hoc si verum est, dicerem, Particulam και hic habere vim epexegeticam, ut valeat *et quidem*, quemadmodum et I Cor. III : 5; XV : 38; puta Belgice dici : *zij beriepen het Sanhedrin* (το συνεδριον), *en dat wel geheel den Israëlietischen Senaat* (την γερουσιαν). Itaque Lucas voluerit diserte hic significare, Caiapham, Synedrii praesidem, ob eam rem Senatum coëgisse *quam frequentissimum*. — *Et miserunt*, scil. ministros (ὑπηρετας, cf. vs. 22), qui Apostolos e carcere educerent ad iudicium. Nimirum adhuc ignorabant, quid ea nocte accidisset.

22—23. Reversi ad Synedrium ministri renunciant, se carcerem quidem reperisse clausum *quam tutissime* (επι παση ασφαλεια, *met alle zekerheid*) et custodes ante fores (προ των θυρων) adstantes ; quum autem fores aperuissent (ανοιξαντες δε) ingressique essent, neminem illic a se fuisse inventum.

24. Accepta huius rei notitia perplexos reddit *magistratum Templi* (ὁ στρατηγος) et *principes sacerdotum*. Διηπορουν περι αυτων, *disputando inquirebant de illis* (scil. sermonibus), *quidnam hoc posset esse*, τι αν γενοιτο τουτο), h. e. quanam tandem ratione Apostoli evadere e carcere potuissent. Atque hoc sensu Interpres noster vocem διηπορουν accepisse videtur; nam certe *ambigere* in usu loquendi etiam dicitur pro *disputare cum aliquo, controvertere, quaerere*. Vid. Facciol. ad h. v. De voce διαπορῶ haec scribit Raphelius (ad h. l.) : Διαπορῶ, inquit, notat interdum

dubitans quaero et investigo, ut apud Polybium (p. 472) : Διο και περι μεν τουτων σκεπτεσθαι και διαπορειν αλλος ἁρμοσει καιρος, μαλλον του νυν ενεστωτος, hoc est : *Itaque ista considerandi et investigandi erit alius convenientior, quam hic nunc sit, locus.* Ita Stephanus *in Thesauro* citat : διαπορουμεν περι αυτης, *de ea quaerimus, in quaestionem venit.* Sic etiam infra accipitur Act. X : 17. Verbum γινομαι passim dici pro ειμι, certum est. Cf. Act. XX : 18; Rom. III : 4; XII : 16. 2 Cor. I : 18, 19; VII : 14. Interpres noster non videtur post γενοιτο legisse vocem τουτο. Versioni suae : *ambigebant de illis quidnam fieret,* quem sensum subiecerit, non perspicue patet. Alii praesentem locum ita reddunt : *ambigebant de illis* (scil. Apostolis), *quònam hoc evasurum esset*, vel *quid tandem hoc sibi vellet*, ut idem hic dicatur quod supra (Cap. II : 12) : τι αν θελοι τουτο ειναι; me rem acu tetigisse, dicere non ausim. De *magistratu Templi* (ὁ στρατηγος του ἱερου) vide supra ad Cap. IV : 1, pag. 99. Qui hic dicuntur οἱ αρχιερεις, intelligendi videntur *sacerdotes principes* viginti quatuor classium sacerdotum. Causam non perspicio, cur hi soli et ille στρατηγος hic memorentur, quum res a ministris ad universum Synedrium relata, etiam reliqua eiusdem membra afficere debuerit.

25-26. Interea dum consultabant, advenit (παραγενομενος, Aor.) nescio quis (τις), annuncians, viros illos, quos heri in carcerem coniecerant, nunc stare in Templo, et populum docere. Ὁτι est hic *recitativum*, ut vocant; h. e. inservit ad inducendam recitationem verborum alterius. Participia ἑστωτες et διδασκοντες, iuncta verbo Substantivo εισιν, designant *actum* tamquam *continuum.* Vide Gr. pag. 380. — *Sine vi*, Graece : ου μετα βιας, *niet met geweld, zonder geweld te gebruiken.* Ratio fuit, quia timebant populum, ac metuebant, ne si quis tumultus fuisset exortus, ab eo lapidarentur. Voces ἱνα μη λιθασθωσιν pendent non ab εφοβουντο γαρ τον λαον, quae pro parenthesi habenda sunt, sed ab antegressis : ου μετα βιας. Vid. Gr. pag. 506, *adnot.* 3.

27—28. *Et cum adduxissent*). Sic recte interpres noster. Est enim αγαγοντες Particip. Aor. 2 ab αγω, cum reduplicatione. Videsis Henr. Steph. in Thesauro ad voc. αγω, et Buttmann § 85. Anm. 7. Adductos Apostolos ministri statuerunt *in medio consessu* (εν τῳ συνεδριῳ). *Praecipiendo praecepimus*, graece παραγγελιᾳ παρηγγειλαμεν[1], h. e. *praecepto praecepimus;* de qua loquendi ratione emphatica vide quae notavimus supra ad Cap. IV : 17. Sensus est : Nonne severe vobis praecepimus (Cap. IV : 18)? Παραγγελλειν est *denunciare* alicui ut quid faciat, *edicere, praecipere*. Μη διδασκειν επι τῳ ονοματι τουτῳ, *non docere* (populum) *super* (i. e. *de*) *hoc nomine*, i. e. de persona Iesu Nazareni. Confer quae notavimus ad Cap. IV : 12, pag. 105, et de Praepositione επι ibidem ad vs. 17, pag. 109. — Per totam Hiërosolymam, inquiunt, praedicando sparsistis doctrinam vestram de Iesu Nazareno, quem exhibetis tamquam virum sanctum, innocentem (cf. Cap. III : 15—16), et vultis in nos coniicere crimen, quod hominem istum iniuste occiderimus, vultis plebem concitare, nosque eius furori exponere. — Vox αἱμα dicitur etiam *de caede*, ut quae plerumque non sine sanguinis effusione patratur; et porro, per Metonymiam, αἱμα dicitur et *de culpa et poena caedis*, sive de reatu contracto ex sanguine iniuste effuso, ut Matth. XXVII : 25; atque hoc sensu vox αἱμα in praesenti loco sumenda est. Phrasin autem επαγειν αἱμα vel, cum reduplicatione, επαγαγειν αἱμα τινος επι τινα eo sensu LXX adhibent (notante Wolfio in Cur. ad h. l.), ut idem sit ac *caedis aliquem reum peragere, caedis culpam in aliquem coniicere*. Vide Levit. XXII : 16. « Cum oportuisset primum interrogare, quomodo egressi estis, illi, quasi nihil factum esset, interrogant, di-

[1]) Var. lect. In plerisque Codd. legitur : ου παραγγελιᾳ παρηγγειλαμεν ὑμιν, *nonne praecepto praecepimus vobis*. Sed illa vox ου non legitur in AB, eamque nec Interpres noster legit; at praesens sermo ea voce, ut mihi videtur, recte carere non potest; nam, ea demta, nulla hic erit interrogatio; atqui dicitur : *interrogavit* (επηρωτησε) eos summus sacerdos.

centes : Nonne praecipiendo praecepimus vobis ne loquamini?... Vide quam essent Deo inimici. Haeccine humana erant, dic mihi, quae circa illos facta sunt? Quis illos eduxit ianuis clausis? Quomodo exierant, custodibus ante fores stantibus? Vere furentium et ebriorum verba sunt[1]. »

29. *Respondens autem Petrus et* (reliqui) *Apostoli dixerunt*, etc.). Sensus est : respondisse Petrum suo et omnium Apostolorum nomine. Scilicet datum a Petro responsum ceteri Apostoli omnes aut nutu aut voce approbaverint tamquam suum. *Obedire oportet Deo magis*, etc. Sensus aurei huius effati est : obediendum esse Deo et non hominibus, quando non potest his et illi simul obediri. Masculo hoc non minus quam modesto responso Petrus Synedrium docet, officium praedicandi Evangelii sibi divinitus fuisse iniunctum; idque ulterius declarat in sequentibus.

30. *Deus patrum nostrorum suscitavit Iesum*, etc.). Vide supra ad Cap. III : 13. Ad vocem *suscitare* (εγειρειν) quod attinet, adhibetur illa quidem pro *facere prodire*, *mittere*, v. g. prophetam (cf. Matth. XI : 11; XXIV : 11, 24. Luc. VII : 16), sed dicitur etiam εγειρειν (elliptice pro εγειρειν εκ νεκρων, ut est supra Cap. III : 15; IV : 10, et XIII : 30) de *revocando in vitam*. Atque hoc sensu vocem εγειρειν in praesenti loco sumsit S. Ioh. Chrysostomus; eamque interpretationem commendant cum antithesis in sententia relativa : *quem vos interemistis*, tum etiam hoc, quod, nulla mentione facta de Iesu resurrectione, eiusdem *exaltationem*

---

[1]) Δεον ερωτησαι πρωτον, πως εξηλθετε· οἱ δε, ὡς ουδενος γενομενου, ερωτωσι λεγοντες· ουχι παραγγελιᾳ παρηγγειλαμεν ὑμιν μη λαλειν;... Ὅρα πως ησαν θεομαχοι. Ταυτα ανθρωπινα, ειπε μοι, τα επ' αυτων γενομενα; τις αυτους εξηγαγε των θυρων κεκλεισμενων; πως εξηλθον των φυλακων προ των θυρων ἑστωτων; οντως μαινομενων και μεθυοντων τα ρηματα. S. Chrys. Hom. XIII in Act. Ap.

Petrus mox commemorat. Emphasis est in illo ὑμεις : *quem* vos *in cruce suspensum violenter trucidastis*, *hunc* Deus a morte *ad vitam revocavit*. Verbum Medium διαχειρισασθαι τινα in usu valet *interficere aliquem*. Επι ξυλου, *aan een hout*.

31. *Hunc principem*, etc.). In Graeco alia est verborum Syntaxis; nam inter Accusativos τουτον et αρχηγον και σωτηρα interponitur ὁ Θεος. Scilicet τουτον est hic Accusativus *Subiecti*, αρχηγον vero et σωτηρα sunt Accusativi *Praedicati*. Vox αρχηγος autem quum alibi sine casu non occurrat (cf. Act. III : 15; Hebr. II : 10; XII : 2), Hendiaden agnoscendam esse putem in locutione αρχηγον και σωτηρα, ut hoc dictum sit pro αρχηγον της σωτηριας, *auctorem salutis*, quo nomine Iesum vocat Apostolus in Ep. ad Hebr. Cap. II : 10. Τῃ δεξιᾳ scil. χειρι est Dativus *Instrumenti*. Vide supra ad Cap. II : 33. Δουναι est Infinitivus *scopi*[1]; vertas : *ut daret*, scil. Deus, qui Iesum ὑψωσεν. Cf. infra Cap. XI : 18. Ergo sensus verborum hic sit : Hunc Iesum Deus in salutis auctorem (h. e. ut Iesus sit obtemperantibus sibi auctor salutis. Cf. Ep. ad Hebr. Cap. V : 9) sua potentia in coelum evexit, ut per eum (*per eius merita*) daret Israëlitis poenitentiam, et poenitentibus remissionem peccatorum. — Non Israëlitis solis, *sed omnibus obtemperantibus sibi*, ut docet Apostolus (Ep. ad Hebr. Cap. V : vs. 9), *Christus factus est causa salutis aeternae;* et vero infra (Cap. XI : 18) videbimus, *etiam Gentilibus Deum dedisse poenitentiam ad vitam;* sed ex prudenti quadam oeconomia Petrus de Gentilibus hic tacuerit.

« Petrus, quod hic notat Corn. a Lapide, prae aliis donis Christi et Christianismi, proponit iudicibus remissionem peccato-

---

[1]) S. Chrys. (Hom. XIII in Act. Ap.): Ειπων δε, ὁτι ὑψωσε, λεγει και επι τινι· επι τῳ δουναι μετανοιαν τῳ Ισραηλ, και αφεσιν ἁμαρτιων... h. e. « Ubi dixisset (Petrus) *exaltavit*, addidit etiam qua de causa : *ad dandam poenitentiam Israëli et remissionem peccatorum.*

rum, quia eis obiiciebat peccatum gravissimum, quod scilicet Christum occidissent. Ne ergo eius veniam desperent, asserit, Deum per Christum omnia omnino peccata, etiam hoc Christicidii, eis, si poeniteant et credant in Christum, condonaturum. »

32. *et nos sumus testes horum verborum,* etc.). Graece των ρηματων τουτων, quod ex more loquendi Hebraeorum, qui דְּבָרִים (*verba*) vocabant *res,* hic vertendum est : *istarum rerum.* Intelliguntur autem Iesu resurrectio et in coelum adscensio, quarum rerum Apostoli testes fuerant oculati. *Et Spiritus Sanctus,* Graece, και το πνευμα δε το άγιον, quod vertendum est : *et praeterea Spiritus Sanctus.* De isthac vi Particulae δε vide Hoogevenium ad Viger. Cap. VIII, Sect. VIII, XXVII. Itaque sensus est : Earum rerum testes sumus non tantum nos, sed et Spiritus Sanctus, quem Deus dedit iis *omnibus*[1] qui in admittenda fide Christi Deo obediunt. — Veritatem eorum, quae Apostoli praedicabant ut testes, contestabatur Spiritus Sanctus per varia charismata, ut puta donum linguarum, donum prophetiae, donum miracula edendi, quae charismata Apostolis aliisque fidelibus collata fuisse, res manifesta erat. Cf. Ep. ad Hebr. Cap. II : 3, 4.

33. Ad hanc Petri orationem debuisset Synedristas Christicidii sui poenitere; sed isti contra (δε) animos obfirmant, adeo ut, audito eo Petri responso, ira dirumperentur, et iam *statuerent* (εβουλευοντο) Apostolos occidere. — Hoc sensu βουλευομαι legitur infra Cap. XXVII : 39. Ad διεπριοντο quod attinet, pro quo alibi (infra Cap. VII : 54) plene legitur διεπριοντο ταις καρδιαις αυτων, illud proprie valet *dissecabantur serra.* « Simplex verbum πριω,

[1]) VAR. LECT. Vulgata nostra habet OMNIBUS *obedientibus sibi;* sed vox *omnibus*, quantum video, in nullo codice graeco legitur. Abest etiam a Verss. Antiqq. Itala, Syriaca, Aethiopica, nec lecta fuit ab Irenaeo, Chrysostoom, Theophylacto Oecumenio. Glossema mihi videtur.

vel πριζω, quod hic notat Valckenarius, nil aliud proprie significat, nisi *stridorem edo dentibus;* atque, aeque ac πριζω, a *stridore dentium* confictum videtur. Ob similitudinem, quae intercedit inter *dentes* et *serram*, instrumentum illud dentatum dicitur saepe πριον, et πριω saepe notat *stridorem edo serra*, et *seco*. Hinc facta ad animum translatio. » Conferri potest Nostratium *van spijt bersten.*

34. *Surgens autem quidam in consilio Pharisaeus*, etc.). Impium consilium occidendi Apostolos executioni mandassent Synedristae, sed (δε) eorum aliquis ab hoc eos revocat. Αναστας δε (Aor.) *surrexit autem quidam* (τις) *in consessu*, puta, e loco in quo sedebat, ut *stans* collegas suos alloqueretur. — *Pharisaeus* est Appositio ad vocem τις, ut si Belgice dicas : *doch een zeker iemand stond op in den Raad, een Phariseër;* nam inter assessores Synedrii etiam Sadducaei erant. Dativus ονοματι est Dativus *relationis*. Vide supra ad Cap. IV : 36. Nomen hoc *Gamaliël* (גַּמְלִיאֵל *retributio Dei*) iam occurrit Numer. 1 : 10. *Legisdoctor*, νομοδιδασκαλος, i. q. γραμματευς, *scriba*. Vide quae notavimus de membris Synedrii supra ad Cap. IV : 5. Τιμιος παντι τῳ λαῳ, h. e. vir talis, ut in magno pretio haberetur ab universo populo. « Et ideo, quod hic notat Fromondus, summus Pontifex et concilium suasu eius tam facile sententiam de occidendis Apostolis mutaverunt, ne iram plebis magis in se concitarent, ubi plebs intellexisset, contra sententiam Gamaliëlis Apostolos interfectos fuisse. » Hic *iussit*, h. e. suggessit Synedrii praesidi, ut is iuberet Apostolos paulisper e concilio secedere (εξω ποιησαι, *naar buiten te doen*). Βραχυ τι (*voor eene korte wijl*) est Accusativus adverbialiter positus. Vide Matthiä, § 425; et Bernhardy, pag. 441, a fine.

35. *Attendite vobis*). Sensus est : Ne praecipitetis sententiam,

neque temere quid decernatis, sed maturius considerate, quid facturi sitis (τι μελλετε πρασσειν) hisce hominibus, ne postea inconsiderati consilii vos frustra poeniteat. — Verba επι τοις ανθρωποις τουτοις videntur mihi construenda non cum προσεχετε ἑαυτοις, quod durius sit, sed cum sequentibus : τι μελλετε πρασσειν : ut adeo verborum ordo hic sit : προσεχετε ἑαυτοις, τι μελλετε πρασσειν επι τοις ανθρωποις τουτοις. Itaque agnosco in verbis Lucae hoc loco Traiectionem quamdam, qualis occurrit etiam infra Cap. XIX : 4. Locutionis πρασσειν τι επι τινι exempla affert Kuinoel (ad h. l.). Fieri tamen utcumque potest, ut verba επι τοις ανθρωποις τουτοις construenda sint cum προσεχετε ἑαυτοις, tum vero graeca reddenda forent ita : *attendite vobis quod attinet ad homines istos, quid facturi sitis.*

36. Mens Gamaliëlis videtur explicanda esse hac oratione : « Si necem inferatis viris istis, fieri facile potest, ut contra vos tumultus oriatur in urbe, cum Hiërosolymitani passim magni illos faciant. Itaque ne temere quid de hominibus istis statuatis. Consultius, opinor, fuerit in illos non saevire; eoque magis quod recentia exempla docuerunt, auctore sectae e medio sublato, sectatores brevi evanescere. Nam (γαρ) ante hos dies exstitit Theodas, etc. *Ante hos dies*, προ τουτων των ἡμερων, h. e. *non ita pridem.* Ανεστη, *exortus est* Theodas. *Dicens se esse aliquem.* Interpres noster non legit vocem μεγαν, quae et in multis Codicibus non legitur. Locutio ειναι τινα apud Graecos nonnumquam valet tantumdem ac Nostratium : IEMAND *van belang* ZIJN. Exempla dat Wetstenius ad h. l. Graeca hoc loco Belgice liberius reddideris : *die zich voor wat groots*, vel, *voor een groot man uitgaf.* — Προσεκλιθη, quod hic legendum arbitramur[1], est Aor. I Passiv. cum notione,

[1]) VAR. LECT. Pro προσεκληθη legitur προσεκλιθη in AB multisque Minusculis. Ceterum variat lectio in Codicibus; nam et προσεκολληθη

ut videtur, Media. Vide supra ad Cap. IV : 8. » Προσκλινεσθαι τινι, ait Valckenarius (ad h. l.), proprie notat *amanter in alicuius sinum se reiicere*, vel *inclinare se in aliquem;* figurate vero, *inclinata voluntate se ad aliquem applicare;* ita de discipulis praeceptorem magni facientibus, aut de sectatoribus hunc illumve sectae ducem probantibus, ut hic Lucas. » Locutioni ῷ προσεκλιθη plane respondet Germanicum : *welchem sich anlehnte.* Ὁς ανηρεθη (Vulg. *qui occisus est*) fere valet Nostratium : *die uit den weg werd geruimd.* Παντες ὁσοι επειθοντο αυτῳ, *omnes quotquot obediebant illi.* Γενεσθαι εις ουδεν est *in nihilum redigi, evanescere.*

Flavius Iosephus (Antiqq. XX : 5) Theudam quemdam memorat a Cuspio Phado occisum ob excitatum in Iudaea tumultum. Sed hoc accidit imperante Claudio, annis quatuordecim vel quindecim post hanc Gamaliëlis orationem. Hic ergo Theudam Flavii non potuit commemorare. Atqui neque Lucas, scriptor θεοπνευστος, falli potuit in referendo verba Gamaliëlis; nec causae satis est, cur putemus, Flavium Iosephum in temporis notatione hic errasse. Itaque nihil superest nisi ut statuamus, Origenem (contra Celsum I : 6) aliosque secuti, duos fuisse Theudas, quorum ille, quem Iosephus memorat, recentior, hic vero de quo loquitur Gamaliël, a Iosepho non memoratus, antiquior fuerit. Et vero Iosephum et Gamaliëlem non de una eademque re mentionem facere, certum mihi videtur ex comparatione eorum, quae ab hoc et ab illo de Theudae cuiusdam factione narrantur. Nam in factione cuius meminit Gamaliël, solus Theudas dicitur occisus, eoque e medio sublato, sectatores eius paulisper fuisse *dissolutos* (διελυθησαν), et tandem *evanuisse* (και εγενοντο εις ουδεν); Iosephus autem narrat,

---

occurrit, et προσεκολληθησαν, et προσεκλειθησαν, et προσετεθη, et (in Catena Crameri, vid. supra p. 127) προσετεθησαν, quae omnia videntur esse totidem interpretamenta vocabuli προσεκλιθη, quod in libris sacris Novi Testamenti non nisi semel occurrit, et difficilioris intellectus est. Genuinam lectionem putem esse προσεκλιθη.

et Theudam suum fuisse capite obtruncatum, *et* ex eius sequacibus eodem tempore occisos fuisse multos, multosque vivos captos. En eius verba. « *Φαδου δε της Ιουδαιας επιτροπευοντος, γοης τις ανηρ, Θευδας ονοματι, πειθει τον οχλον αναλαβοντα τας κτησεις ἑπεσθαι προς τον Ιορδανην ποταμον αυτῳ· προφητης γαρ ελεγεν ειναι, και προσταγματι τον ποταμον σχισας, διοδον εφη παρεξειν αυτοις ραδιαν· και ταυτα λεγων πολλους ηπατησεν. Ου μην ειασεν αυτους της αφροσυνης ονασθαι Φαδος, αλλ' εξεπεμψεν ιλην ἱππεων επ' αυτους, ἡτις πολλους ανειλε και εζωγρησεν εξ αυτων· αυτον τε τον Θευδαν ζωγρησαντες, αποτεμνουσι την κεφαλην και κομιζουσιν εις Ἱεροσολυμα.* » *h. e.* Phado autem Iudaeam procurante, praestigiator quidam, nomine Theudas, ingenti hominum multitudini persuasit, ut, asportatis opibus, ducem se ad Iordanem usque fluvium sequerentur. Quippe se prophetam esse aiebat, diremtisque imperio suo aquis fluminis, facilem se transitum ipsis praestiturum dicebat, et huiusmodi sermonibus plurimos decepit. Non tamen passus est Phadus quidquam ex sua vesania consequi; sed emisit adversus eos equitum turmam, quae, ex improviso illos adorta, multos occidit, multosque vivos comprehendit. Ipse etiam Theudas ab iisdem captus est, eiusque caput praecidunt, et Hiërosolymam deportant. » Flav. Ioseph. Antiqq. Lib. XX, Cap. V : 1.

37. *Post hunc exstitit Iudas Galilaeus*). Seditionem hanc Flavius Iosephus memorat *Antiqq.* Lib. XVIII. Cap. I : 1, et iterum *de Bello Iudaico,* Lib. II. Cap. VIII : 1. Ad meliorem verborum Gamaliëlis intelligentiam, operae pretium duco, utrumque illum Flavii locum hic afferre. Et in priori quidem loco haec leguntur : *Ιουδας δε Γαυλονιτης ανηρ, εκ πολεως ονομα Γαμαλα, Σαδδουκον Φαρισαιον προσλαμβανομενος, ηπειγετο επι αποστασει, την τε αποτιμησιν ουδεν αλλο η αντικρυς δουλειαν επιφερειν λεγοντες, και της ελευθεριας επ' αντιληψει παρακαλουντες το εθνος. h. e.* « Iudas vero Gaulonites, ortus ex oppido Gamalis, Sadduco Pharisaeo sibi ad-

iuncto, populum ad defectionem concitabat, (ambo) dicentes, censum cum nihil secum afferre quam manifestam servitutem, et universam gentem ad libertatem vindicandam cohortantes. » In posteriore vero loco haec referuntur : Επι τουτου (Κωπονιου) τις ανηρ Γαλιλαιος, Ιουδας ονομα, εις αποστασιν ενηγε τους επιχωριους, κακιζων, ει φορον τε Ρωμαιοις τελειν ὑπομενουσι, και μετα τον Θεον οισουσι θνητους δεσποτας. *h. e.* Eo (Coponio) provinciam administrante, vir quidam Galilaeus, cui nomen erat Iudas, ad defectionem indigenas excitabat, ignavos dicens, si Romanis tributum pendere sustinerent, et post Deum mortales dominos agnoscerent.

Observandum est, Iudam, de quo hic agitur, a Iosepho in priore quidem loco dici *Gauloniten*, in posteriore vero *Galilaeum;* nempe oriundus erat ex Gaulonitide; quo vero tempore seditionem illam excitabat, iam fixum tum in Galilaea domicilium habuerit. Accidit illa seditio εν ταις ἡμεραις της απογραφης (Vulg. *in diebus professionis*) h. e. *tempore census;* qui census an idem sit cum eo, quem Lucas memorat in suo Evangelio (Cap. II : 1, 2), alibi inquiremus. Illud απεστησε λαον ἱκανον οπισω αὐτου *praegnanter* dictum est pro : *avertit populum a* legitimo suo principe ita *ut se sequeretur.* De istiusmodi Breviloquentia sive *Syntaxi praegnante,* ut vocatur, videsis Gr. pag. 539. γ.

38—39. *Et nunc itaque*, etc.). Concludit Gamaliel : *et* iam, *ad rem praesentem quod attinet* (και τα νυν. Vide supra pag. 114), ab hominibus istis *discedite,* Graece αποστητε *desistite* (manus ab iis abstinete), et sinite illos (και εασατε αυτους scil. απελθειν) abire, missos illos facite. Hoc sensu, ait Valckenarius (ad h. l.), verbum εαω frequentant optimi scriptores.

consilium hoc aut opus). ἡ βουλη αὑτη η το εργον τουτο, *ce plan, ou cet œuvre;* duplici vocabulo nominat Apostolorum institutum. Itaque Particula disiunctiva η hic non disiungit res diversas,

sed tantum diversa vocabula, quibus una eademque res nominatur.

ne forte, etc.). Graece μηποτε, quod pendet a σκεπτεον, vel βλεπετε, vel προσεχετε ἑαυτοις, vel simili aliquo verbo subintelligendo. Cf. Luc. XXI : 34, Hebr. III : 12, item Devarium ad Particulam μηποτε. Itaque Gamaliël admonitionem suam claudit dicendo : Attendite vobis, ne forte non tantum contra istos homines, sed *et* (και) contra Deum ipsum pugnare reperiamini. Επεισθησαν (Aor. 1 Passiv. cum notione Media. Vide Gr. p. 274. 2, δε αυτῳ, *illi autem* (επεισθησαν, persuaderi sibi patiebantur) *obtemperabant illi.*

Gamaliëlis sententia, si pro generali aliqua regula agendi haberetur, quam nociva foret rei cum religiosae tum civili, vel me non monente, unusquisque satis intelligit. Sed tamen, quod Salmeronius hic monuit (Tract. XXII in Act.), Gamaliëlis illud consilium in causa illa et tempore illo, et optimum fuit et sanctum. Praedicabatur enim Messias a Prophetis promissus iam venisse; probabatur signis, et vita inculpata, et Scripturis; item illum mortuum et interfectum a Iudaeis fuisse, et resurrexisse, quod mille argumentis ac signis perspicuum erat, ut non possent resistere adversarii. Quare opportunum et prudens fuit consilium illud, nec sine nutu Dei, nec sine fructu excogitatum, atque pronunciatum. »

40. Gamaliëlis sententiam eatenus sequuntur Synedristae, ut nunc quidem Apostolos non occidant. Intactos tamen eos dimittere nolunt, ne videlicet contra innocentes saeviisse viderentur. Itaque flagellis Apostolos caedi iubent, experturi, an corporis cruciatu admoniti saperent, qui repetitis minis non paruerant.

Graeca pressius reddi possent hoc modo : *cumque Apostolos convocassent* (προσκαλεσαμενοι), eisdem, *postquam flagellassent* (δειραντες) eos, *denunciarunt* (παρηγγειλαν), ut posthac tacerent de persona Iesu (vid. supra ad vs. 28), atque ita *dimiserunt* (απελυσαν) illos.

41. Quia Apostoli dimittebantur, *igitur* (ουν) abierunt. Verba οἱ μεν ουν reddi possunt : *illi quidem igitur;* est autem ibi μεν solitarium. Sententia, per particulam δε subiicienda, talis est : *neglexerunt autem* (δε) *impium illud Synedrii mandatum;* quae ipsa sententia, mutata orationis conformatione, versiculo 42 exprimitur. Voces απο προσωπου referunt Hebraismum מִפְּנֵי. Sensus est : Apostoli a Synedrio digressi sunt, laetabundi, quòd dignati fuissent (κατηξιωθησαν) hoc honore, ut propter (ὑπερ de causa *ob quam*, ut Act. XXI : 13; Rom. XV : 8; Philipp. I : 29) Iesum contumelia afficerentur. Elegans est hic οξυμωρον. Sunt enim sibi contraria αξιουσθαι et ατιμαζεσθαι.

42. *Omni autem die*). Graece πασαν τε ἡμεραν (*alle dagen*), *quotidie*. Est hic *Traiectio;* nam verba sic construenda sunt : ουτε επαυσαντο πασαν ἡμεραν εν τῳ ἱερῳ και κατ᾽ οικον διδασκοντες, κ. τ. λ. De *Traiectione* videsis Gr. pag. 524, et de Participiis, hic iunctis verbo Finito, ibid. pag. 569. De locutione κατ᾽ οικον dictum est supra ad Cap. II : 46. Sensus est : Neque ullo die intermittebant, publice in templo, et privatim in domibus praedicare Iesum Messiam.

CAPUT SEXTUM.

Argumentum. Capta occasione ex quadam querela Hellenistarum adversus Christianos ex Hebraeis, Apostoli Diaconos instituunt, vs. 1—6. Pergit res Christiana magnos quotidie facere Hierosolymae progressus, multis non ex plebeiis tantum, verum etiam ex sacerdotibus Iudaeorum, fidem Christi amplectentibus, vs. 7. Quam magna dicendi vi adversus contradicentes quosdam Iudaeos defendit diaconorum unus, Stephanus; cui, quum ei resistere non possent, blasphemiae crimen impingunt, eumque, compositis adversus illum falsis testibus, ad Synedrium pertrahunt, vs. 8—15.

1. *In diebus autem illis*, etc.). Respicitur tempus, quod indicatum fuit versiculo ultimo antegressi Capitis. Ergo sensus est : Per id tempus, quum Apostoli, e carcere liberati, continuè, nullo

intermisso die, publice privatimque Evangelium Hiërosolymae praedicarent, et numerus Christianorum (των μαθητων) quotidie accresceret, cet. Graeca: πληθυνοντων των μαθητων, Interpres noster recte reddidit: *crescente numero discipulorum;* nam quamquam Verbum πληθυνω *active* fere significat, attamen et *neutraliter* nonnunquam capitur, ut factum est hic. Cf. Henr. Steph. in Thes. ad v. πληθυνω.

factum est murmur Graecorum adversus Hebraeos). Quum hic agatur de novellis Christianis, et Ἑλληνισται, h. e. *Graecizantes*, opponantur *Hebraeis*, quumque Gentiles non legantur in Ecclesiam adhuc admissi, Hellenistas intelligimus Iudaeo-christianos, sive origine Iudaeos, sive proselytos, qui extra Palaestinam nati educatique, patrio sermone uterentur Graeco. Hebraei autem, qui hic dicuntur, sunt Iudaeo-christiani in Palaestina nati educatique, quique adeo lingua patria utebantur Hebraica, hoc est, Aramaica Palaestinensi, quae in Scripturis Novi Testamenti Hebraica vocari solet.

eò quòd despicerentur, etc.). Declaratur, quidnam rei exstiterit causa illius mumurationis sive conquestus Hellenistarum. Et causa fuit, quia (ὁτι) eorum viduae in *ministerio quotidiano* (in quotidiana suppeditatione rerum victui necessariarum) *despiciebantur,* puta, non tam liberaliter tractabantur quam viduae Hebraeorum. Παραθεωρειν proprie notat *res iuxta se positas considerare,* uti fit in comparando. Eos, qui praeerant distributionibus illis quotidianis, coniicio fuisse Iudaeo-Christianos, origine Palaestinenses, qui, ut tales, minoris aestimarent Iudaeo-Christianos alicubi extra terram sanctam εν διασπορῃ natos. Hi ergo, discrimine facto inter Hellenistarum et Hebraeorum viduas, in distributione illa quotidiana his prae illis faverint. Et pronum est iudicare, distributores illos non erga viduas tantum, sed universe erga Hellenistas omnes minus aequos ministros sese praebuisse; sed quòd *etiam erga viduas* ita agerent, inde demum causa murmuris enata fuerit. Murmur autem

non directò petebat *distributores*, sed erat *in Hebraeos* (προς τους Ἑβραιους).

2—3. Quum *autem* (δε) aegre ferrent hanc inter fratres simultatem *duodecim* Apostoli (οἱ δωδεκα *de twaalven*), *ad se convocarunt* (προσκαλεσαμενοι in Aor.) *multitudinem discipulorum* (το πληθος των μαθητων *de* geheele *Christen-menigte*), et dixerunt : *Non est aequum*, Graece ουκ αρεστον εστιν, h. e. *non est placitum*, q. d. *placere, probari nequit;* ponitur *absolute*. Sensus est : Non convenit, ut nos, utpote missi ad docendum, relicta (aliquo modo) (καταλειψαντας in Aor.) Evangelii praedicatione, *ministremus mensis*. Graece : διακονειν τραπεζαις (*om tafels te bedienen*)*;* quod quo sensu capiendum sit, ex contexta oratione facile colligitur. Negant Apostoli convenire, ut ipsi per se illo dispensatorum officio fungantur; sed tamen volunt, ut amplius locus ne detur istiusmodi querelis. *Igitur* (ουν), fratres, inquiunt, eligite vobis (επισκεψασθε Aor. Med. proprie valet Germanicum *ersehet euch*) ex vestro numero (ἐξ ὑμων) viros spectatae probitatis (μαρτυρουμενους, *bene testatos*) septem, plenos, quantum ex signis externis colligi poterit, Spiritu Sancto et sapientia, quos, ubi electi fuerint, *super hoc opus*, Graece επι της χρειας ταυτης, *huic officio*, sive *huic negotio*, praeficiemus (καταστησομεν). Interpres noster pro Futuro Indicativi καταστησομεν, legisse videtur in Coniunctivo καταστησωμεν, *ut hos constituamus*. Vocem χρεια dici *de munere, officio, negotio*, cui aliquis praeficitur, variis adductis exemplis probat Wetstenius ad h. l.

4. *Nos vero*, etc.). Nos vero temporali huic ministerio minime incumbentes, orationi (τῃ προσευχῃ), et ministerio verbi (τῃ διακονιᾳ του λογου), h. e. praedicationi Evangelii *assiduam operam dabimus*, Graece προσκαρτερησομεν, de qua voce videsis quae notavimus supra ad Cap. I : 14. Quum dicatur τῃ προσευχῃ cum

Articulo, et προσευχῃ haec iungatur praedicationi Evangelii, vox προσευχη hic sumenda videtur de cultu religioso eoque publico, cuius pars praecipua erat eucharisticum sacrificium.

5. Apostolorum hic sermo (vs. 2—4) *placuit coram* omni multitudine, ενωπιον παντος του πληθους, quod refert Hebraicum לִפְנֵי vel בְּעֵינֵי. Graeci dicerent : ηρεσιν ὁ λογος παντι τῳ πληθει. Et *elegerunt sibi* (εξελεξαντο Aor. Med.) *Stephanum*, virum theologica illa virtute quae fides vocatur, et abundanti Spiritus Sancti gratia imprimis conspicuum, *et Philippum*, et *Prochorum*, et ceteros. De Philippo iterum sermo est infra, Cap. VIII. De reliquis diaconis quinque Scriptura sacra nihil porro refert. Quae antiqui auctores de natalibus et rebus gestis septem horum diaconorum memoriae prodidère, legi possunt apud Historiae Ecclesiasticae scriptores. De Nicolao et Nicolaïtis ipsi dicturi sumus ad Apoc. II : 6. Erat Nicolaüs, quod hic notat Lucas, *advena* sive *proselytus* (προσηλυτος) Antiochenus, h. e. Antiochiae ex parentibus gentilibus natus gentilis, sed Mosaicam religionem deinceps professus. Vide supra ad Cap II : 11.

6. *Hos statuerunt*, etc.). Apostolis iubentibus, Hiërosolymitani fideles electionem instituerant. Et jam electos a se viros constituunt in conspectu Apostolorum; qui, Deum ante precati (προσευξαμενοι), manus consecrantes illis imponunt.

Institutos ab Apostolis diaconos non *mensarum* tantum ministerium accepisse, verum etiam tamquam sacros Ecclesiae ministros publico cultui divino fuisse addictos, luculenter probant Perronius, *Tract. de Ordine* Cap. II, Prop. 2, et Liebermannus, *Demonstrat. cathol.* P. 1. Cap. 1. Art. IV. § 1.

7. *Et verbum Domini crescebat*, etc.). Rei Christianae historiam Lucas *continuat* (και). Magis magisque, inquit, propagaba-

tur (ηυξανε) Evangelica doctrina (ὁ λογος του Θεου), plurimisque quotidie Hiërosolymae Religionem Christianam amplectentibus, valde ibi multiplicabatur fidelium numerus; nec solum e plebeiis multi, verum etiam ex sacerdotibus *magna turba* obediebat doctrinae Evangelicae (τῃ πιστει), Christoque nomen dabat.

8. *Stephanus autem*, etc.). *Transitio* fit (δε) ad historiam Stephani. Stephanus autem (δε), inquit, vir inter septem diaconos praecellens[1], plenus omnigena Dei gratia (χαριτος[2]), *et maxime* (και, vide ad I : 14) illa, quae sita est in praecipua quadam Christiani animi fortitudine, magna varii generis miracula (τερατα και σημεια) edebat apud populum. Ceterum vide quae monuimus ad Cap. IV : 33.

9—10. De Philippo diacono Lucas refert (infra Cap. VIII : 5), illum etiam in praedicando Evangelio operam suam collocasse. Pronum autem est iudicare, idipsum pariter factum fuisse et a reliquis diaconis; atque adeo nec Stephanum diaconum absque praedicatione doctrinae Christianae sua illa edidisse miracula. Illius ergo aliqua concio, publice habita, occasio exstiterit eorum quae hic a Luca narrantur. Accidit autem, inquit, ut *Stephano insurgerent disputantes* (συζητουντες ανεστησαν. Cf. Gr. pag. 575. β.) *Iudaei quidam de Synagoga quae appellatur Libertinorum*, Graece : εκ της συναγωγης της λεγομενης Λιβερτινων. Vocis Λιβερτινοι veram interpretationem iam S. Chrysostomus indicavit. Λιβερτινοι δε,

---

1) S. Chrys. Hom. XV in Act. « Ὁρα, inquit, πως και εν τοις ἑπτα ην τις προκριτος και τα πρωτεια ειχεν. Ει γαρ και ἡ χειροτονια κοινη, αλλ᾽ ὁμως οὑτος επεσπασατο χαριν πλειονα. *h. e.* « Vide, quomodo inter septem illos unus praecellens esset, ac primas teneret. Etsi enim ordinatio communis esset, attamen hic majorem gratiam attraxit. »

2) Var. lect. Sic legitur (χαριτος) in ABD multisque Minusculis, in Verss. Antiqq. Syr. Ital. (*plenus gratia et fide*), Coptic. Vulg. Armen., et apud plures Patres. Lectionem χαριτος alteri (πιστεως) equidem praetulerim.

inquit (Hom. XV in Act.), οἱ Ρωμαιων απελευθεροι· ουτω καλουνται. h. e. *Libertini Romanorum liberti erant; sic vocantur.* — *Libertus* is est qui aliquo pacto se ex servitute in libertatem vindicavit. *Libertinus* et *Libertus*, notante Facciolati (in Lexic.), significatione idem sunt, sed differunt usu loquendi; nam *libertus* ad patronum refertur, *libertinus* ad conditionem, et designat statum eius, qui antea servus, nunc liber est. Itaque Graece scribens Lucas Latino usus est vocabulo. *Synagoga quae appellatur Libertinorum*, ex multis quae Hiërosolymae erant synagogis, intelligenda videtur synagoga aliqua, quam suo forte sumptu sibi struxerint Iudaei, qui sub Pompeio captivi Romam ducti et in servitutem redacti, deinde vero manumissi in patriam redierant; quae synagoga nunc illorum posteris inservierit. Huiusmodi *libertinorum Romanorum* disertam mentionem faciunt Suetonius in vita Tiberii Cap. 36, Tacitus Annal. II : 85, et Philo, in libro *de Legatione ad Caium*, p. 1014 (apud Kuin.).

Fuêre qui coniicerent, pro Λιβερτινων legendum esse Λιβυστινων, h. e. *ex Libya ortorum;* sed huic coniecturae locus esse nequit, quum, nulla varietate lectionis, codices MSS. et versiones antiquae constanter exhibeant lectionem Λιβερτινων. Alias hac in re coniecturas legesis apud Winerum (Biblisches Realwörterbuch, ad voc. *Libertiner*).

et Cyrenensium, et Alexandrinorum, et eorum qui, etc.). Genitivi Κυρεναιων και Αλεξανδρεων και των pendent a voce τινες, quae antegreditur. Articulus ante Κυρεναιων et Αλεξανδρεων abesse poterat, ut etiam a scriptoribus bene graecis omittitur in enumerationibus, si iam semel aut bis positus fuit. Sic Plato dixit : το τε δικαιον και το αδικον και καλον και αισχρον και αγαθον και κακον. Vid. Matthiä § 268. Anm. 1. — *Cyrenenses* intelliguntur Iudaei ex Cyrene, Libyae superioris metropoli, oriundi; *Alexandrini*, oriundi ex Alexandria. Ingens Iudaeorum multitudo ibi sedem fixerat, teste Philone in Flacc. p. 971 apud Kuin.) : ουκ αποδεουσι μυριαδων

εκατον Ιουδαιοι κατοικουντες την Αλεξανδρειαν και την χωραν απο του προς Λιβυην καταβαθμου μεχρι των ὁριων Αιθιωπιας, h. e. *non minus quam decies centena millia Iudaeorum habitant Alexandriam totamque regionem, quanta patet a descensu Libyae usque ad Aethiopiae fines.* Porro οἱ απο Κιλικιας και Ασιας sunt Iudaei *oriundi ex Cilicia, et ex Asia*, scilicet *proconsulari*, quae complectebatur Mysiam, Lydiam, Cariam et Phrygiam. Iam vero, sicut illorum Λιβερτινων propria quaedam erat synagoga, ita etiam iis, qui porro memorantur, synagoga Hiërosolymae fuerit singulis propria, eaque inservierit peregrinis illis Iudaeis, qui religiosi cultus causa domicilium suum Hiërosolymas transtulissent, aut ad festa maiora celebranda, aut denique ad sacra studia peragenda ibi ad tempus commorarentur. Istiusmodi scholares forte erant maximam partem hi, qui hic dicuntur *disputantes Stephano insurrexisse;* quod iteratis vicibus, nunc ab his, nunc ab illis factum fuisse, credibile est.

10. *et non poterant resistere sapientiae, et Spiritui, qui loquebatur*). Graece est ᾧ ελαλει, *quo loquebatur;* atque ita in Codd. MSS. constanter legitur. Interpres noster tamen pro ᾧ videtur legisse ὁ. Sensus Vulgatae est : Non poterant resistere Spiritui Sancto, qui in Stephano, tamquam in organo quodam, loquebatur, secundum illud Salvatoris (Matth. X : 20) : *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Sed si hoc sibi voluisset Lucas, scripsisset, opinor, ὁ ελαλει εν αυτῳ. — Αντιστηναι, notante Fabro (in Agonist. Lib. I, Cap. XII), dicebantur etiam *pugiles, qui contra adversarios invicti stabant.* Atque hoc sensu, sed metaphorice, vox αντιστηναι hic, ut et Ephes. VI : 13 et Iacob. IV : 7, sumenda est. Itaque ουκ ισχυον αντιστηναι est *non poterant resistere ita, ut non succumberent* sapientiae et Spiritui Sancto, quo (ᾧ *Dativus Instrumenti* loquebatur. — *Sapientiam* hic intelligo charisma illud, de quo Paulus

(1 Cor. XII : 8) : *alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae* (λογος σοφιας); et coniicio, admittendam hic esse Hendiaden, ut dictum sit τῃ σοφιᾳ και τῳ Πνευματι pro τῃ σοφιᾳ του Πνευματος; quo pacto facile etiam causa detur, cur Relativum ᾧ Numero ponatur Singulari. Ad Genus autem Relativi quod attinet, dici potest, grammatice quidem illud referri ad πνευματι, logice autem referendum esse ad σοφιᾳ. Belgice : *zij konden niet wederstaan* (αντιστηναι) *aan de wijsheid des Geestes, waarmede hij sprak.*

11. *Tunc summiserunt viros,* etc. Quum a disputatione discessissent impares, impii homines, dolorem suum ulturi, ad maledicentiam confugiunt. Vox ὑποβαλλειν a Graecis dicebatur etiam de instruendo *falsum testem contra aliquem;* hoc sensu occurrit apud Appianum (Bell. Civ. I, p. 663) : ὑπεβληθησαν κατηγοροι. Latini eadem significatione usurpabant Verba *subornare*, et *submittere*. Sic Livius (Lib. 38. 43) scripsit : *Ad invidiam ei faciendam, legatos Ambracienses subornatos criminibus in senatum introduxit.* Suetonius autem (in vita Ner. Cap. 28) : *Acten libertam*, inquit, *paulum abfuit, quin iusto sibi matrimonio coniungeret, submissis consularibus viris, qui regio genere ortam deierarent.* Itaque scite Interpres noster vocem Graecam ὑπεβαλον hic reddidit. Ῥηματα βλασφημα, *verba impia, contumeliosa* contra Mosen et Deum. In Graeco est oratio *directa*, quae introducitur per ὁτι *recitativum.*

12. *Commoverunt itaque*, etc.). Graece συνεκινησαν τε (*commoveruntque*), nulla lectionis varietate. Subornati testes isti rem suam peragerent, ubi Stephanus ad Synedrium raptus esset accusandus. Subornatores interea simili calumnia *et* plebem *et* assessores Synedrii (τους πρεσβυτερους και τους γραμματεις. Vid. supra p. 101) *commovebant* (συνεκινησαν), adversus Stephanum *concitabant*, turbas ciebant, *factoque ex improviso in eum impetu* (επισ-

ταντες Aor. Vide ad Cap. IV : 1), ipsum *corripuerunt* (συνηρπασαν), et adduxerunt ad Synedrium.

13. Raptum ad tribunal Stephanum subornatores isti nunc accusaverint, productis subornatis a se testibus. *Et statuerunt* (εστησαν), i. e. *proposuerunt* (ut supra Cap. I : 23) quos ante subornaverant falsos testes, qui dixerunt : Homo iste non cessat verba facere contra locum sanctum (*i. e.* Templum, cf. XXI : 28; XXV : 8), et Legem, nempe Mosaicam. De Participio λαλων, iuncto verbo Finito παυεται, vide Gr. pag. 369. 1.

14. *Audivimus enim*, etc.). Praemissa *duo* accusationis capita *confirmant* (γαρ), distinctius eadem exponendo. *Nam audivimus*, inquiunt, *eum dicentem*, *quod* (ὅτι) *Iesus*, *Nazarenus iste* (ὁ Ναζωραιος οὗτος, contemtim!) *destructurus est locum hunc* (τον τοπον τουτον, scil. Templum[1]), *et immutaturus mores* (τα εθη), h. e. *leges, quas Moses nobis tradidit.* Talia autem dicere de Templo et de Lege Mosaica, erat hoc, ex carnalium Iudaeorum sententia, *contra Mosen et contra Deum verba facere contumeliosa* (vs. 11).

Atqui verum erat, Iesum Christum, Deum-hominem, destructurum esse Templum (Matth. XXIV : 1, 2; Luc. XIX : 41—44), et Mosaicam legem abrogaturum (Gal. V : 2. Hebr. VII : 12, 18; VIII : 7); cur ergo testes illi dicuntur *falsi testes?* Ad propositam quaestionem recte, ut mihi quidem videtur, respondit Estius. « Verum quidem erat, *inquit*, Iesum destructurum esse locum illum, et mutaturum traditiones; sed tamen erant falsi testes, quia testabantur Stephanum dixisse quae non dixerat, et per quae scie-

---

[1]) Synedrium considere solebat in ea Templi parte, quam vocabant לְשְׁכַּת הַגָּזִית, ut patet ex Mishnae Tract. *Middoth.* IV. לשכת הגזית. שם היתה סנהדרין גדולה של ישראל יושבת. Hoc est : *In conclavi caesi lapidis consessus magnus Israëlis sedebat.* Ex quo intelligitur causa, ob quam testes isti, coram Synedrio stantes, dixerint locum hunc (τον τοπον τουτον).

bant commovendos Iudaeos, ut in Stephanum insurgerent eumque morti traderent. Nec Stephanus, nec Apostoli haec praedicabant, quamvis vera; quia non erat opportunum, nec expediens talia praedicare, nec vero necessarium. Non opportunum nec expediens propter Iudaeos, quorum multi crediderint in Christum ad praedicationem Apostolorum, non credituri, si haec fuissent eis ingesta. Non necessarium adhuc pro illo tempore, quia sine dispendio salutis eorum poterant haec taceri ad tempus, modo spem salutis non in ceremoniis Mosaicis, sed in Christo collocarent. Ac multo minus erat necessarium illis annuntiare, quod Iesus locum illum esset destructurus. Et constat ex Actis Apostolorum, Apostolos talia non praedicasse. » Estius in loc. diffic. ad h. l.

15. *Et intuentes eum omnes*, etc.). *Et cum*, accusatione audita, iudices, *assessores Synedrii omnes* (ἁπαντες οἱ καθεζομενοι εν τῳ συνεδριῳ), intentis oculis accusatum intuerentur (ατενισαντες. Vide supra ad Cap. I : 10), videbant vultum eius talem esse, qualis esse solet angelorum vultus, quando hi, speciem induti humanam, apparent. « *Abundantia cordis*, inquit S. Hilarius Arelatensis (Hom. de S. Stephano, apud Corn. a Lapide ad. h. l.), *transierat in decus corporis, et in faciei pulchritudinem candor splendorque animi exundabant, ac abscondita pectoris ornamenta speculum frontis irradiabant, atque cum haberet in se Spiritum Sanctum, os prae se gestabat angelicum.* » Sed angelicus ille decor, qui sanctissimo viro divinitus inerat, induratos istorum animos nihil movet.

—

—

CAPUT SEPTIMUM.

Argumentum. A summo sacerdote, Synedrii praeside, interrogatus Stephanus, an crimen obiectum agnosceret, fuse is causam suam perorat, vs. 1—50. Ad finem tamen orationem suam perducere nequit; nam quum Synedristas ceterosque qui aderant vehementius obiurgare coepisset, isti amplius non sustinent dicentem, sed obturantes aures suas insanisque vociferationibus clamantes, certatim omnes impetum in eum faciunt, eiectumque extra civitatem lapidibus obruunt. Qui dum undique percutitur, genua ponit, et ad Magistri sui exemplum, Deum pro interfectoribus suis magno affectu precatus, exspirat, vs. 51—59.

1. Tum (δε) Caiaphas, summus sacerdos (ὁ αρχιερευς), praeses Synedrii, Stephanum interrogat: *Num haec*, inquit, *ita se habent?* h. e. vera-ne sunt, quae tibi obiiciuntur? Particula ει[1] adhibita hic est in interrogatione *directa*, ut supra I : 6, et infra XIX : 2. — Sequitur iam oratio Stephani; in qua quodnam fuerit dicentis *propositum*, dicturi sumus ad calcem huius capitis.

2. *Viri fratres, et Patres*). Blanda compellatione praesentes omnes alloquitur, iudices suos, assessores Synedrii, *Patres*, reliquos vero *fratres* vocans. *Deus gloriae* (ὁ Θεος της δοξης), ut Psalm. XXIX : 3 (Vulg. XXVIII) אֵל הַכָּבוֹד *Deus gloriae* sive *maiestatis*, Deus gloriosissimus. Ωφθη Aor. 1 Pass. *conspectus fuit* τῳ πατρι pro ὑπο του πατρος. Vide supra ad Cap. II : 3. *Cum esset in Mesopotamia*, scilicet in *Ur Chaldaeorum* (אוּר כַּשְׂדִּים Genes. XII : 28, 31), quae urbs sita erat in Mesopotamia boreali[2], et tum (Cf. vs. 4) a כַּשְׂדִּים sive Chaldaeis incolebatur.

---

[1]) Var. lect. Vox αρα post ει non legitur in ABC variisque Minusculis; nec Interpres noster eam legisse videtur. Est fortisan interrogativae Particulae ει glossema, quod deinde in textum irrepserit.

[2]) Constat hoc ex Ammiano Marcellino, XXV : 8, (al. 26), qui, referente Gesenio (in Thes. Ling. Heb. ad voc. אוּר), reditum Romani exercitus sub Ioviano post mortem Iuliani describens, castelli Persici *Ur* mentionem facit, Nisibin inter et Tigrim siti (apud d'Anvillium 60°, 12 long., 36°, 4 latit.), quod Abrahami locum natalem fuisse ideo verisimile est, quia Urâ in Palaestinam profecturi, facile et absque longiori circuitu Carras (חָרָן Vulg. *Charan*) transire poterant, id quod Abrahami familiam fecisse legimus Genes. XI :

Exi de terra tua (de Ur Chaldaeorum, ut dicitur versiculo sequenti), *et de cognatione tua* (de ton parentage), et veni in *terram, quamcumque (αν) monstravero tibi.*

In libro Geneseos (Cap. XII : 1—5) narratur, Abrahamum, *cum moraretur in Charan,* iubente Deo inde exivisse, et *venisse in terram Chanaan.* Contra, Stephanus memorat, Abrahamum, *cum esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charan* (vs. 2), relicta, iubente Deo, Mesopotamia, *venisse in Charan,* ibidemque aliquandiu habitasse; hinc vero, novo Dei iussu, venisse in terram Chanaau (vs. 4). Et suut qui dicant, Stephanum lapsu memoriae a veritate hic aberrasse; nam, inquiunt, in libro Geneseos sermo non est nisi de una tantummodo Dei hac in re iussione; Stephanus autem rem duplicat. — Sed absit ut cum his sentiamus. Scilicet divinae scripturae veteris Testamenti non secus ac Stephanus rem duplicant, quamquam iussionem migrandi ex Charane memorant disertius (Genes. XII : 1—5) quam eam, qua Abraham iussus fuit exire ex Ur Chaldaeorum sive ex Mesopotamia; sed tamen et posteriorem hanc peregrinationem ab Abrahamo, b ente Deo, susceptam commemorant. Nam Genes. XV : 7 legitur Deus ad Abrahamum dixisse : *Ego Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldaeorum;* et Nehem. IX : 7 : haec habentur : *Tu ipse, Domine Deus, qui elegisti Abram; et eduxisti eum de igne*[1] *Chaldaeorum,* מֵאוּר כַּשְׂדִּים h. e. ex *Ur Chaldaeorum;* et Iosue (Cap. XXIV : 2, 3) ad Israëlitas : *haec,* inquit, *dicit Dominus Deus Israël : Trans fluvium* (i. e. trans Euphratem, in Mesopotamia) *habitaverunt patres vestri ab initio, Thare Pater Abraham et Nachor, servieruntque diis alienis. Tuli ergo patrem vestrum Abraham de Me-*

31. Atque hanc de situ urbis *Ur* sententiam, a Bocharto (Phaleg. I : 10; II : 6) propositam, secuti sunt recentiorum plurimi, ut idem Gesenius refert (ibid.).

[1]) Vox אוּר Hebraice *ignem* notat; sed cum dicitur אוּר כַּשְׂדִּים, vox אוּר non est habenda pro voce linguae Hebraicae, sed Assyriacae, quae cum Persica et Indica cognata fuit; indeque eius nominis significatio repetenda est. Cf. Gesen. in Thes. ad h. v.

sopotamiae finibus (Hebr. מֵעֵבֶר הַנָּהָר de regione Trans-euphratensi), etc. Atqui recitata ex Iosue Dei verba referenda esse ad migrationem quam Abraham, monente Deo, suscepit ex loco suo natali, h. e. ex Ur Chaldaeorum, adeoque hic innui mandatum divinum, distinctum ab eo, quo monitus fuit ut ex Charane proficisceretur in terram Chanaan, hoc, ut mihi quidem videtur, satis certo inde conficitur, quod vocatus hic dicitur Abraham cum adhuc esset idolatra.

Accedit et hoc; scilicet nisi admittatur divinum aliquod e Chaldaea egrediendi mandatum, sufficientem dari non posse rationem, ob quam una cum Abrahamo tota Thare familia, relicto loco natali, longo itinere Charanem iverit, quod in Genesi narratur (Gen. XI : 31) : *Tulit,* ait Scriptura, *Thare Abram filium suum et Lot filium Aran, filium filii sui, et Sarai nurum suam, uxorem Abram filii sui, et eduxit eos de Ur Chaldaeorum.*

Etiam Philo docet, Abrahamum bis a Deo vocatum fuisse, primum cum in Ur Chaldaeorum, et deinde cum Charane moraretur; ex quo colligimus, hanc Iudaeorum ea in re tunc vulgarem fuisse sententiam. « *Δευτεραν δ'εις αποικιαν*, inquit, de Abrahamo loquens[1], *παλιν στελλεται, λογιῳ παλιν πεισθεις ὁ αστειος, ουκετι εκ πολεως εις πολιν, αλλ' εις χωραν ερημην, εν ᾑ πλαζομενος διετελει.* *h. e.* « Divino denuo admonitus oraculo, denuo vir bonus mittitur in secundam migrationem, non iam ex una civitate in aliam (*ex Ur Chaldaeorum in Charanem*), sed in regionem desertam, in qua vagus permanebat. » Kimchi[2] dubitanter ea de re loquitur; ait enim : ואפשר שבא אליו הדבור פעם אחרת בחרן *h. e.* « Fieri etiam potest, ut divinum mandatum illi obtigerit altera vice in Charane. »

---

[1]) In libro *de Abraham*, pag. 362 (edit. Turnebi et Hoeschelii, Paris. 1640).

[2]) In Commentario suo in Genesin (in Parasham לֶךְ לְךָ, statim in principio) ex Cod. MS. Regiae Bibliothecae Parisiensis nuperrime (Presburgae, 1842) primum edito (Hebraice tantum).

4. *Tunc*, secundum divinum praeceptum (vs. 3), egressus (ἐξελθών) ex Ur Chaldaeorum, *habitavit in Charan.* Indeque, mortuo patre eius Thare, Deus illum transtulit in terram hanc (*terram Chanaan*), quam vos nunc incolitis.

Stephanum hic denuo memoria lapsum esse, acatholici interpretes nonnulli affirmant. Nam, inquiunt, natus est Abraham, cum Pater eius Thare annum ageret septuagesimum (Gen. XI : 26), et vixit Thare omnino annos ducentos et quinque (ibid. vs. 32); Abraham autem, cum egrederetur e Charane, natus erat annos septuaginta quinque (Gen. XII : 4); conficitur ergo, Thare post filii sui ex Charane egressum, per sexaginta insuper annos vitam produxisse, et consequenter, Abrahamum e Charane exivisse sexaginta annis *ante mortem* patris sui. Atqui Stephanus dicit, Abrahamum inde exivisse *post mortem* demum patris. Ergo.

Ad haec reponimus : nullam esse obiectionem, nisi certo probetur, Abrahamum fuisse Thare primogenitum, natumque anno patris septuagesimo. At vero multum abest, ut hoc pro certo statui possit; aliud enim argumentum ad hoc probandum afferri nequit, nisi quod Scriptura (Gen. XI : 26) dixit : *vixit Thare septuaginta annis, et genuit Abram, et Nachor, et Aran;* ubi Abram inter filios primo loco ponitur. Atqui in libro I Paralipomenon (Cap. I : 28) legitur : *Filii autem Abraham, Isaac et Ismahel;* attamen certissimum est Ismaëlem Isaaco fuisse natu majorem. Sic iterum in I Paralipomenon, capite quarto et sequentibus, recensio progeniei filiorum Iacobi ita instituitur, ut initium ducatur a Iuda, qui tamen ordine nascendi fuit quartus. Atque idem observare est in illa recensione tribuum Israëliticarum, quae legitur Apocal. Cap. VII : 5—9. Ergo quod in recensione filiorum Thare, primo loco Abraham ponitur, inde certo confici nequit, eum fuisse promogenitum, adeoque natum anno patris sui septuagesimo. Itaque potuit Abraham natus esse anno Thare centesimo trigesimo, ut legitur in Pentateucho Samaritano; quo po-

sito, omnia sibi constant. Philo (*de migratione Abrahami*, p. 419 in edit. supra cit.) tamquam rem notissimam refert, Abrahamum non nisi post mortem patris e Charane exivisse. Ουδενα τοινυν, inquit, των εντετυχηκοτων τοις νομοις αγνοειν εικος, ότι προτερον μεν εκ της Χαλδαικης αναστας γης Αβρααμ ωκησεν εις Χαρραν· τελευτησαντος δε αυτῳ του πατρος εκειθι, κἀκ ταυτης μετανισταται, *h. e.* « Neminem porro eorum qui legerunt sacras leges facile latebit, Abrahamum primum e Chaldaeorum terra demigrantem habitasse Charane; defuncto vero ibi ipsius patre, hinc quoque fuisse profectum. » Solutionem praesentis difficultatis suggessit nobis S. Augustinus. « Fieri potuit, inquit (*Quaest.* 25 *in Genes.*), ut posterior sit generatus Abraham, sed merito excellentiae, qua in Scripturis valde commendatur, prior fuerit nominatus. »

5. *Et non dedit illi* (Abrahae) *in ea* terra aliquam *haereditatem* (κληρονομιαν), i. e. possessionem, ne tantillam quidem quantum est spatium, quod planta pedis calcatur; sed (Graece και *et*) promisit, daturum se esse illi possidendam terram hanc, et semini eius, quamquam prolem non habebat (ουκ οντος αυτῳ τεκνου).

Tacite hic commendatur fides quam habuit Abraham Deo, promittenti terram Chanaan possidendam a posteris eius, quo tempore is ne latum quidem pedem in ea obtinebat, et spes nulla erat suscitandae prolis, quum ipse provectioris esset aetatis, et Sara uxor sterilis. *Qui*, inquit Apostolus (Rom. IV : 18, 19), *contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, secundum quod dictum est ei : Sic erit semen tuum. Et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum iam fere centum esset annorum, et emortuam vulvam Sarae.*

Vox κληρονομια proprie notat *haereditatem, patrimonium;* sed LXX Graeca illa voce vertere solent Hebraicam אֲחֻזָּה h. e. *possessio;* eoque sensu vox κληρονομια etiam hic sumitur. — Per locutionem βημα ποδος, quae hic legitur, Septuaginta interpretes

reddiderunt phrasin Hebraicam מִדְרַךְ כַּף־רָגֶל (*locum plantae pedis*), quae occurrit Deuteron. II : 5, ubi Interpres noster, periphrasi usus, vertit, *quantum potest unius pedis calcare vestigium.* — In dictione *αυτῳ... και τῳ σπερματι αυτου μετ' αυτον*, *illi... et semini eius post ipsum*, Particula *και* vim habet non *coniunctivam*, sed *exegeticam*, valetque *nempe* vel *scilicet*, ut Luc. V : 35, Rom. VIII : 23 (*και ἡμεις αυτοι*). Et vero quando Abrahae divinitus primum promissa fuit possessio terrae Chanaan, promissa haec fuit possidenda non ab ipso sed a posteris eius : *Apparuit Dominus Abram*, dicit Scriptura (Gen. XII : 7), *et dixit ei : Semini tuo dabo terram hanc.* Et quando tertia vice (Gen. XV : 18) promissio haec illi obtigit, pariter dictum ei fuit : *Semini tuo dabo terram hanc.* Si ergo, quum secunda vice (Gen. XIII : 15) ei promitteretur possidenda terra Chanaan, illi dicitur : *omnem terram, quam conspicis, tibi dabo et semini tuo* (לְךָ אֶתְּנֶנָּה וּלְזַרְעֲךָ), Particula (*et*) dicenda est habere ibi vim exegeticam, valereque *nempe* vel *scilicet*, ut I Sam. XXVIII : 3. — *Ουκ οντος αυτῳ τεκνου*, *quamquam prolem non habebat.* De resolvendo Participio in Verbum Finitum videsis Gr. pag. 382. — Stephano neganti, Abrahamum ne latum quidem pedem ex promissa terra obtinuisse, Apostolus concinit, dum Patriarchae fidem laudibus extollens, ait (ad Hebr. XI : 9) : *Fide demoratus est in terra repromissionis, tamquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac et Jacob, cohaeredibus repromissionis eiusdem.*

6—7. Relato quodam Dei ad Abrahamum effato, explicatius loquitur hoc et sequenti versiculo de promissione terrae Chanaan a posteris Abrahami possidendae. Particula *δε* hic valet *nempe*, ut Rom. IX : 30. Cf. Hartung. I Th. p. 167. b. Effatum illud Dei a Stephano hic refertur, adhibita oratione *directa*, quae introducitur per *ὅτι recitativum*. Graeca liberius ita reddideris : *nempe* (*δε*) *locutus est Deus sic : Posteri eius* (*το σπερμα αυτου*) *in aliena*

terra ad modum peregrinorum versabuntur (εσται παροικον) *et alieni illi* (οἱ αλλοτριοι, quod sumendum est ex antegresso εν γῃ αλλοτριᾳ) *inter quos degent, servituti eos subiicient* (δουλωσουσιν αυτο), *et male eos tractabunt* (κακωσουσιν) *per annos quadringentos; verùm gentem, cuicumque servierint* (ᾧ εαν δουλευσουσι), *puniturus sum ego* (κρινῶ εγω), *dixit Dominus; et deinde* (μετα ταυτα) *egressuri sunt ex isto servitutis loco, et colent me in loco, hoc* (εν τῳ τοπῳ τουτῳ), ubi nunc ego tecum loquor. — Anni hi 400 referendi sunt ad habitationem εν γῃ αλλοτριᾳ.

Παροικος a Graecis dicebatur *accola*, *is qui iuxta* vel *apud aliquem habitat.* Sed LXX ea voce usi sunt pro Hebraica גֵּר, *peregrinus, advena.* — Γη αλλοτρια est Aegyptus, ut novimus ex oraculi eventu. Pro αν saepe est εαν post Pronomen Relativum.

Effatum divinum, quod hic a Stephano, ad sensum tamen potius quam ad litteram, recitatur, sumptum est partim ex Genes. XVII : 7, 8, partim vero ex Genes. XV : 13, 14. Praedicitur autem illo oraculo, futurum esse ut Hebraicae gentis in Aegypto exilium per quadringentos annos duraret; eamque praedictionem eventu comprobatam fuisse, docemur ex verbis Mosis (Exod. XII : 40) : *Habitatio autem filiorum Israël*, inquit, *qua manserunt in Aegypto*[1], *fuit 430 annorum.* Nam quod in oraculo dictum non

[1]) In versione Septuaginta-virali legitur : εν γῃ Αιγυπτῳ και εν γῃ Χαναaν, *in Aegypto et in terra Chanaan;* atque hanc lectionem exhibet etiam textus Samaritanus. Sed ex ingenti Codicum MSS. numero a Kennicotto et de Rossi collatorum non nisi unus occurrit, in quo hic legitur בארץ כנען ובארץ מצרים h.e. *in terra Chanaan et in terra Aegypti.* Porro neque versiones antiquissimae, Chaldaica, inquam, Syriaca, Vulgata, et Arabica, illud *in terra Chanaan* exhibent.

Ad haec, in antiquissimis Graecae versionis exemplaribus voces : εν γῃ Χαναaν, non videntur lectae; nam, quod Koppius notavit (in Sylloge commentt. edita a Pottio et Ruperti, vol. 2, p. 260), Theophilus Antiochenus, etsi hanc versionem sequebatur, pluribus tamen locis scribit, Israëlitas per 400 annos in Aegypto degisse. Addo, ea verba nec a S. Ioanne Chrysostomo lecta videri; nam ad verba Act. Ap. VII : 19 dicit : Ὁρα, ότι ουδε εν τοις τοσουτοις ετεσιν αυτους αυξει, αλλ' ότε εμελλεν εγγιζειν το τελος·

est *per* 430 *annos*, sed, ut fit in oraculis, numero rotundo, *quadringentis annis*, id quidem assertioni nostrae non adversatur.

Sed, quominus statui possit, exilium Israëlitarum Aegyptiacum per 430 annos durasse, duo obstare dicunt: *unum* hoc, quod Apostolus dicere videtur (Gal. III : 17), inter promissionem Abrahae factam et Legem datam non nisi 430 annos effluxisse, quod profecto ponit, exilium Aegyptiacum temporis fuisse longe minoris quam 430 annorum; *alterum* est, quod haec sententia pugnet cum genealogia Mosis. Nam, inquiunt, inter eos qui, relicta terra Chanaan, egressi sunt in Aegyptum, fuit Caathus (Genes. XLVI : 8, 11); Caathus autem fuit pater Amrami (Exod. VI : 18), qui Amram genuit Mosen (ibid. vs. 20). Atqui Caathus vixit omnino annos 130 (ibid. vs. 18), et Amram 137 (ibid. vs. 20); Moses autem, quo tempore educturus esset populum suum ex Aegypto, natus erat annos 80 (ibid. Cap. VII : 7); hi anni si computentur efficiunt annos 347; sed quum ab his detrahendi sint tum anni, quos natus iam erat Caathus cum iret in Aegyptum, tum etiam anni illi, quos Amram, superstite patre Caatho, et Moses, superstite patre Amramo, vixisse existimandi sunt, manifesto patet, multum abesse, ut dici possit Aegyptiacum exilium per 430 annos durasse.

Sed ad verba quidem Apostoli quod attinet, responderi potest[1], cum Pauli locum non esse necesssario restringendum ad solum Abrahamum, sed satis commode referri posse ad totum Promis-

---

καιτοι ηδη τετταρακοσια ετη ην παρελθοντα, και πλειονα, εν Αιγυπτῳ. h. e. « *Vide, quomodo non in tot annis auxit eos, sed cum finis appropinquavit; etsi iam quadringenti anni, imo plures, praeteriissent in Aegypto.* »

Denique, in effato divino Genes. XV : 13—17, quemadmodum et in eiusdem recitatione a Stephano hic facta, diserte distinguitur *terra aliena*, i. e. Aegyptus, a terra Chanaan, idque ita ut contexta oratio prohibeat quominus putemus, *etiam* terram Chanaan ibi designari tamquam locum, ubi gens Hebraica praedicatur exul futura illo 400 annorum spatio.

Quae cum ita sint, tamquam genuina Mosis scriptura habenda est ea, quam Vulgata nostra exhibet.

[1]) Vid. Perizonii Aegypt. Orig. investig. Cap. XX.

sionis illius tempus sive periodum; quia nempe primum quidem ea facta est Abrahamo, qui ideirco, tamquam praecipuus, solus a Paulo nominatus fuerit; sed deinde repetita fuit et Isaaco et Iacobo; ut adeo sensus Apostoli sit : promissionem Dei non factam esse irritam per Legem, quae 430 annis post promissionem illam, seu post finitam iam promissionis illius periodum, lata fuit.

Ad illud vero argumentum quod ducitur ex genealogia Mosis, respondetur, satis certo statui posse, Amramum, patrem Mosis, non fuisse unum eumdemque cum Amramo Caathi filio, sed fuisse unum ex Caathi abnepotibus, qui pariter Amram vocatus fuerit. Hoc autem sic efficitur : cum essent Israëlitae in Sinaitico deserto, Caathi familia constabat maribus 8600, ut dicitur Num. III : 27. Atqui Caathi filii commemorantur quatuor hi : Amram, Sesaär, Hebron et Oziël (ibid. vs. 19); inter quos si dividantur mares illi 8600, Amramo tribuendi sunt mares 2150. Ex quo consequitur, si Amram ille idem sit qui Amram pater Mosis et Aaronis[1], progeniem Amrami intra 85 annos ad 2150 mares excrevisse. Nam Moses, qui fratre suo Aarone iunior erat tribus annis, Aegypto egressus est annos natus octoginta (Exod. VII : 7); et illa Caathi familiae recensio locum habuit anno secundo post egressum ex Aegypto (Numer. I : 1). Iam vero quis credat fieri posse, ut unius viri progenies intra 85 annos adeo excrescat, ut, non computata prole feminea, sola proles virilis numerum efficiat capitum 2150? Itaque omnino videtur dicendum, Amramum illum patrem Mosis, non esse habendum pro uno eodemque cum Amramo illo uno ex quatuor Caathi filiis, sed pro aliquo ex Caathi abnepotibus, qui pariter Amram nominatus fuerit[2].

---

[1]) Amrami filii non plures leguntur quam Moses et Aaron (Exod. VI : 20). Filii autem Mosis leguntur tantum duo, Gersom et Eliezer (Exod. II : 22); Aaronis autem tantum quatuor (Exod. II : 23); Nadab, Abiu, Eleazar, et Ithamar; quorum duo priores perierunt sine liberis ex se relictis (Num. III : 4).

[2]) Itaque in hoc (Num. XXVI : 58) : *Caath genuit Amram* (patrem Mosis), vox *genuit* latiori sensu sumenda est. Sic Matth. I : 8 dicitur : *Ioram genuit*

8. *Et dedit illi testamentum circumcisionis*, etc.). Foedus Deum inter et Abrahamum eiusque posteros initum, ut describitur Genes. XVII : 4—10, tale erat : Tu, Abrahame, et posteri tui, non idola, sed me coletis tamquam Deum vestrum, et ego vicissim faciam te excrescere in gentem numerosissimam, et dabo posteris vestris terram Chanaan in possessionem. — Tamquam signum foederis istius cum Abrahamo eiusque posteris initi, Deus circumcisionem illi iniunxit : *Hoc est*, inquit (ibid. vs. 10, 11), *pactum meum, quod observabitis inter me et vos et semen tuum post te : circumcidetur ex vobis omne masculinum; et circumcidetis carnem praeputii vestri, ut sit in signum foederis inter me et vos*. Erat ergo circumcisio signum, quo significaretur, initum esse foedus illud, quod diximus, Deum inter et Abrahamum eiusque posteros; eoque signo foederati protestabantur, se colere unum verum Deum. Attamen circumcisio non tantummodo signum erat illius foederis, sed erat et pars eiusdem; scilicet vi initi foederis obstringebant se Abraham eiusque posteri ad profitendum unum verum Deum, et ad circumcisionem suae carnis, in signum

---

Oziam; atqui Ioram non Oziam, sed Ochoziam, Ochozias autem Ioram, Ioas Amaziam, et demum Amazias genuit Oziam; quod ex historia Regum manifestum est. Cf. Maldon. ad Matth. I : 8. Quod ibidem (Num. XXVI : 59) Iochabed Amrami uxor, mater Mosis, vocatur *filia Levi*, non potest hinc inferri, eam fuisse proxime a Levi genitam; quum ita scribi potuerit ad significandum, eam esse oriundam ex stirpe Levi, et ad connotandum, Mosen ortum esse ex utroque parente Leviticae stirpis. Quod vero citato loco de Iochabed dicitur אֲשֶׁר יָלְדָה אֹתָהּ לְלֵוִי בְּמִצְרָיִם, id quidem quem sensum habeat, nemo, mea quidem sententia, certo dixerit. LXX verterunt : ἣ ετεκε τουτους τῷ Λευι εν Αιγυπτῳ. Itaque videntur legisse non ילדה אֹתָהּ sed ילדה אֹתָם quod tamen foret : ετεκε αυτους. Chaldaeus interpres, Onkelos, verba Hebraica Chaldaice nobis annumerat : דאיתילידת יתה ללוי במצרים, quae sunt aeque obscura ac Hebraica. Syrus interpres vertit : ܕܐܬܝܠܕܬ ܠܠܘܝ ܒܡܨܪܝܢ h. e. *quae nata est τῷ Levi in Aegypto*. Vulgata : *quae nata est ei in Aegypto;* ergo consonantes ילדה legit non יָלְדָה sed יֻלְּדָה. Vulgatae verba explicari possent in hunc sensum : *quae nata erat ex stirpe Levi in Aegypto.*

eius professionis externum. Atque hinc, ni fallor, ratio petenda est, ob quam circumcisio nunc *pactum* sive *foedus* (בְּרִית), nunc vero *signum foederis* (אוֹת בְּרִית) nominatur (Gen. XVII : 10, 11, 13, 14).

Promissio illa, de qua superioribus versiculis (5—7) sermo fuit, Abrahae obtigit ante initum foedus illud, de quo modò diximus. Hoc ergo foedus Stephanus iam commemorare voluerit, dicendo : *et dedit illi testamentum circumcisionis;* in quibus verbis mihi videtur agnoscenda esse breviloquentia quaedam, ut nempe *testamentum* sive *foedus circumcisionis* (διαθηκην περιτομης) dictum sit pro *foedus, cuius signum consistebat in circumcisione*. Stephanus autem dixerit DEDIT *Deus illi foedus*, quia nempe Deus eius foederis *auctor exstiterat*. Nam *ad rem* quod attinet, idem hic esse putem *dedit ei foedus*, ac *percussit*, *iniit cum eo foedus*. Itaque Genitivum περιτομης pro Genitivo *Appositionis* habeo. Articulus abesse poterat a vocibus διαθηκην περιτομης. Vide Gr. § 18. 1.

et sic). Gr. και οὑτως. Obscurum est, ut mihi quidem videtur, quid sibi velit Stephanus per illud και οὑτως. Forsitan mens eius haec est : et post initum illud foedus, Deo praestante quod promiserat (confer Cap. XVII : 2—21), nempe filium ab Abrahamo ex Sara uxore sterili et nonagenaria genitum iri, *Abraham genuit Isaac*.

Pergit Stephanus : *et circumcidit eum* (Isaacum) *die octavo*, ut ei fuerat praeceptum (ibid. vs. 12); *et Isaac* genuit *Iacobum*, *et Iacob* genuit duodecim filios suos, qui sunt nostrae gentis *Patriarchae;* i. e. Israëliticarum *tribuum auctores*, illi a quibus Israëliticae tribus duodecim *originem ducunt*. In composito hoc vocabulo πατριαρχης, vox πατρια significatione non differt a φυλη, quod de *tribu* dicitur.

9. *Et Patriarchae*, etc.). Et Iacobi filii, qui hic per Prolepsin

Patriarchae vocantur, *aemulantes* (ζηλωσαντες Aor.) h. e. zelo invidioso concitati (cf. Gen. XXXIX), Iosephum *vendiderunt in Aegyptum* (αποδοντο εις Αιγυπτον) *abducendum*. « Αποδιδοσθαι Medium, inquit Valckenarius (ad h. l.), apud Atticos usurpatur *vendendi* significatu, numquam Activum αποδιδοναι. Quaevis autem verba, quibus inest *vendendi* significatus, non ab Atticis tantum, sed a quibusvis Graecis veteribus, accedente Praepositione εις, sic adhibita fuerunt, ut hic αποδοσθαι adhibetur Lucae; ut, quum dicitur πωλειν οινον εις Ιταλιαν, *vinum vendere in Italiam depor-tandum*. » Prosequitur Stephanus, paucis verbis historiam Iosephi enarrans : *Et erat Deus cum eo*, etc.; qua loquendi ratione Hebraica (Genes. XXXIX : 21 : וַיְהִי יְהוָה אֶת־יוֹסֵף) significatur, Deum adesse alicui protectorem, auxiliatorem.

10. *Et eripuit eum ex omnibus tribulationibus*, etc.). Legatur Geneseos caput quadragesimum primum. Εξειλατο Aor. 2 Med. — *Gratiam et sapientiam* (χαριν και σοφιαν) per Hendiaden dictum puta pro χαριν σοφιας, idque sic sumito, ut Genitivus σοφιας habeatur pro Genitivo *Subiecti*, et cogitetur *favor, quem sua Iosepho praestitit sapientia*; ut adeo sensus sit : effecit Deus, ut Ioseph, collata illi sapientia, gratiosus esset apud Pharaonem. Si transpositis vocabulis scriptum esset σοφιαν και χαριν, Hendiaden nequaquam hic agnoscerem. *Et constituit eum*, scil. Pharao. Ἡγουμενος *praefectus, gubernator*, ab ἡγεομαι, quod est ex classe Verborum, quae vocantur *Deponentia Media*, de quibus videsis Gr. § 59, 7, et Kuhnerum, § 245.

11. Ex ciborum illa penuria oriebatur θλιψις μεγαλη, *gravis afflictio;* neque inveniebant, inquit, patres nostri quod ederent. Χορτασμα a Graecis fere non dicebatur (Vid. Valckenarium ad h. l.) nisi de *pabulo iumentorum*, et χορταζειν de *pascendo pecus pabulo;* sed in novo Testamento Graeco χορταζειν saepissime di-

citur de *saturando hominem*, et χορτασμα hoc loco de *alimentis hominum* adhibitum est.

12—13. In verbis his : ακουσας οντα σιτα, notanda est Syntaxis Verbi ακουειν cum Participio *Obiecti*. Dici quoque poterat ακουσας ειναι σιτα, quemadmodum I Cor. XI : 18 dicitur : ακουω σχισματα εν ὑμιν ὑπαρχειν. Vide Gr. § 46. *Misit patres nostros* (filios Iacobi) *primum*, Graece πρωτον, Adverbialiter : *pour la première fois; και εν τῳ δευτερῳ*, scil. χρονῳ, *et secunda vice*, ut Angli : *at the second time;* sensus est : cumque altera vice essent in Aegypto, Ioseph fratribus suis *se cognoscendum praebuit*, graece ανεγνωρισθη, cui Aor. Pass. hic tribuenda videtur notio *Media*. Cf. Gr. § 39, 5, et § 40, 2. Quod si malles voci ανεγνωρισθη Passivam tribuere notionem, vertendum foret : *agnitus fuit a fratribus suis*, et sumendum dictum esse τοις αδελφοις αὐτου pro ὑπο των αδελφων αὐτου, quod fieri potest. Addit Stephanus : eoque tempore, quaenam esset Iosephi familia (το γενος), Pharaoni innotuit. Vide Genes. LXV : 16, sqq.

14. Ioseph autem, missis nuntiis (αποστειλας, scil. αγγελους[1]), nempe fratribus suis (Genes. XLV : 17, sqq.), accersivit in Aegyptum Iacobum patrem suum, totamque cognationem suam, septuaginta quinque personis (ψυχαις) constantem; gr. εν ἑβδομηκοντα πεντε ψυχαις, puta συνισταμενην, quamquam mallem negare, revera ellipticam hic esse orationem, quam affirmare; sed enim difficile dictu est, quae tandem notio hoc loco subiicienda sit Praepositioni εν.

In libro Geneseos (Cap. XLVI : 27) legimus : *omnes animae domus Iacob, quae ingressae sunt in Aegyptum, fuere septuaginta*. In versione autem Septuaginta-virali legimus fuisse *septuaginta quinque*. Nimirum recensitis a Mose (Gen. XLVI : 8—27)

[1]) Videsis Lamberti Bos Ellipses Gr. edit. Schaefer. Lipsiae 1808, p. 13.

Iacobi posteris graeci illi interpretes (ex I Paralip. VII) addiderunt quinque Iosephi nepotes : Machir, Galaäd, Sutalaäm, Taäm, et Edom; quo facto, in subducenda (vs. 27) summa pro *septuaginta* scribendum ipsis erat *septuaginta-quinque*. Quam recensendi rationem, utpote ex LXX virali versione cognitam, et vulgo receptam, nec falsam, Stephanus hoc loco secutus est.

Ut habeatur numerus personarum septuaginta, quae secundum codicem Hebraicum dicuntur cum Iacobo INGRESSAE *in Aegyptum*, computandi sunt etiam Ioseph, qui iam dudum erat in Aegypto, et Iosephi filii Manasses et Ephraïm, qui ibidem erant nati. Simili aliqua ratione, qua hi tres a Mose computati sunt inter ingressos in Aegyptum, etiam Iosephi illi nepotes quinque inter eos computari posse, putandum est. Ceterum, LXX Interpretes textum Hebraicum sequuntur Deuteron. X : 22, ibique habent : *εν ἑβδομηκοντα ψυχαις κατεβησαν οἱ πατερες σου εις Αιγυπτον*, h. e. *in septuaginta animabus descenderunt patres tui in Aegyptum*.

15—16. *Et descendit*, etc.). De usu quodam Verborum *adscendere* (עָלָה) et *descendere* (יָרַד), Hebraeis peculiari, vide supra, pag. 81. *Et patres nostri*, scil. Patriarchae, Iacobi filii; *et translati sunt*, h. e. corpora duodecim Patriarcharum ex Aegypto translata sunt in Sichem. Quod hic dicitur *translati sunt et positi*, non est hoc necessario referendum *etiam* ad Iacobum, sed commode referri potest ad *solos Iacobi filios*. Horum ergo corpora hic a Stephano dicuntur ex Aegypto translata in Sichem, et posita sive sepulta in agro Sichemitico illo ab Hemoris filiis emto. Ex libro Iosuë (Cap. XXVI : 32) discimus, Iosephi ossa in agro illo Sichemetico sepulta fuisse; ceterorum vero undecim patriarcharum ossa ubinam condita fuerint, in libris veteris Testamenti non commemoratur, sed fuisse ea pariter Sichemi in eodem illo agro sepulta, a Stephano hic discimus. Refert quidem Flavius Iosephus, Iosephum ceterosque Iacobi filios in Hebron fuisse sepul-

tos[1], sed in hoc consentientes non habet doctores Talmudicos[2]; et testis nobis est S. Hieronymus, fuisse sua aetate Sichemi monstrata duodecim Patriarcharum sepulcra[3], quod memorat etiam Syncellus[4].

Sed hic Stephano obiiciunt, quod scilicet emtionem, de qua nunc sermo est, Abrahamo tribuerit, cum Iacobo esset adscribenda secundum narrationem libri Geneseos Cap. XXXIII : 19, 20, ubi legimus : *emitque* (Iacob) *partem agri, in qua fixerat tabernacula, a filiis Hemor patris Sichem, centum agnis. Et erecto ibi altari, invocavit super illud fortissimum Deum Israël.*

Verum emtio, quam Stephanus hic memorat, non est illa, de qua sermo est citato loco Geneseos, quod ex adiectis rei circumstantiis conficitur. Nam 1°, Iacob ibi dicitur *emisse partem agri in qua fixit sua tentoria, et altare erexit;* Stephanus autem loquitur de *emto aliquo loco sepulcrali*. Porro 2°, in Genesi venditores sunt *filii Hemoris, patris Sichem;* Stephanus autem venditores nominat *filios Hemoris, filii Sichem*[5]. Tandem 3°, in Genesi emptionis pre-

---

1) Flav. Ioseph. Antiqq. Iud. Lib. II, Cap. VIII : 2. « Τελευτῶσι δ' αὐτου, inquit, και οἱ αδελφοι... Και τουτων μεν τα σωματα κομισαντες μετα χρονον αυτων οἱ απογονοι και οἱ παιδες εθαψαν εν Χεβρωνι. *h. e.* « Moviuntur vero et fratres eius (Iosephi)... Et illorum quidem corpora posteri eorum et filii post tempus aliquod deportantes, in Hebrone sepeliverunt. »

2) Conferantur Wetstenius ad h. l., et Lightfoot in *Horis Hebraicis* ad h. l.

3) S. Hieronymus (Ep. 86, apud Kuinoel), Paulam matrem eorum monumenta prope Sichemum vidisse, testatur : « *Venit Sichemum*, inquit, *atque inde divertens duodecim vidit Patriarcharum sepulcra.* »

4) Apud Wetstenium ad h. l. « Τα οστᾶ Ιωσηφ, inquit, εθαψαν εν Σικιμοις... φασι δε ότι και των λοιπων πατριαρχων. *h. e.* « Ossa Iosephi sepelierunt in Sichem;... dicunt autem, etiam reliquorum Patriarcharum ossa ibidem fuisse sepulta. »

5) Graece est : παρα των υἱων Εμμορ του Συχεμ, quod per Ellipsin vocis υἱος dictum est pro παρα των υἱων Εμμορ του υἱου του Συχεμ, ut est in Vulgata : *a filiis Hemor, filii Sichem*. Ellipsis haec frequentissima est. Qui dicunt, admittendam hic esse ellipsin vocis του πατρος, ut vertendum sit : *a filiis Hemor, patris Sichem*, hi rem affirmant quam nullo exemplo ex Graecitate sacra possunt probare. Dici autem nequit, ex Genesi (XXXIII : 19) colligi, Hemorem fuisse patrem Sichemi, non

tium erant *agni centum*[1]; illius autem emptionis, quam Stephanus memorat, pretium fuit *summa quaedam argenti*. Ex quibus conficitur, Stephanum non voluisse memorare emptionem illam a Iacobo factam, adeoque nec Abrahae adscripsisse rem, quae tribuenda esset Iacobo.

Sed neque illa emtio hic a Stephano memoratur, quam ab Abrahamo factam fuisse refert Moses (Gen. XXIII : 16—20, et XLIX : 29, 30); patet hoc, si rem, ut a Stephano narratur, conferas cum narratione Mosaica.

Itaque videtur dicendum, referri hic a Stephano emptionem aliquam, de qua in Scriptura veteris Testamenti mentio quidem non fit, sed quam ipse noverit traditione, sicut pariter traditione noverit, duodecim Patriarcharum ossa ex Aegypto translata fuisse in Sichem, ibique sepulta; nam etiam haec res in Scripturis non memoratur. Ergo et *filii Hemor*, quos Stephanus memorat, dicendi sunt filii Hemoris alterius ab eo, de quo sermo est in libro Geneseos. Cap. XXXIII : 19, 20.

---

vero eiusdem filium; nam hoc ipsum in quaestione hic versatur, an scilicet Stephanus loquatur de eo Hemore, de quo sermo est in citato loco Geneseos.

[1]) Hebraice est vox קְשִׂיטָה, quae non eodem significatu ab antiquis accipitur. LXX Interpretes et noster vocem קְשִׂיטָה hoc loco, ut et in duobus reliquis in quibus occurrit locis (Iosue XXIV : 32, et Iob. XLII : 11), reddiderunt per vocem *ἀμνός*, *agnus*, *ovis*. Cum his facit etiam Interpres Chaldaeus, ut notatum est a Kimchio, dicente (in suo Comment. in Genes. supra p. 119 citato, ad Cap. XXXIII : vs. 19) : ודעת אינקלוס כבשות שתרגם חורפן גם כן כבשות חצאן חורפן דעאן h. e. « Ex sententia Onkelosi sunt *oves*. nam vocem קְשִׂיטָה reddit per חורפן (*oves*); et sic alibi כִּבְשׂוֹת הַצּוֹן (h. e. *oves gregis*) reddit per חורפן דעאן. Sed alii per vocem קשיטה indicari dicebant nummum quemdam argenteum. Docet hoc Rabbi Parchon, Lexicographus Saec. XII. Nam ad vocem קשיטה scribit : יש אומרים כבשה ויש אומרים מעא כסף h. e. Vox קשיטה quibusdam est *agnus* aliis autem est *nummus* argenteus. Apud Arabes *nummus* ita nominabatur, referente R. Akiba (apud Kimchium cit. loc.), qui dicit : כשהלכתי לערביא שמעתי שהיו קורין למעה קשיטה h. e. « *Cum ad Arabes venissem, audivi eos nummum* קְשִׂיטָה *vocare.*

17. *Cum autem appropinquaret*). Particulam καθως *de tempore* dictam intellexerunt Interpretes, et noster, et auctor antiquae versionis Italae, et Syrus; eoque significatu καθως legitur etiam 2 Maccab. I : 31. Sunt qui καθως hic velint reddere *quemadmodum;* non probo; quia non legitur οὑτως in Apodosi, et negari nequit, καθως etiam de *tempore* dici, licet raro. *Tempus promissionis*, Gr. ὁ χρονος της επαγγελιας, quod per breviloquentiam dictum est pro *tempus adimplendae promissionis*. Respicitur promissio (vs. 6, 7) Abrahamo facta de posteris eius post quadringentos annos educendis ex Aegypto in terram Chanaan; *quam* promissionem *Deus Abrahae confessus erat*, Graece ὡμολογησεν, h. e. *promiserat*[1]; qua significatione ὁμολογειν occurrit Matth. XIV : 7, et apud Dionys. Halic. Lib. III (in Bielii Thes. ad h. v.) : Τυρρηνοι δε, inquit, συμμαχιαν αποστελειν ὁμολογησαν, *Tyrrheni autem se auxilia missuros esse polliciti sunt.*

crevit populus... quoadusque surrexit alius rex, etc.). Confer Exod. I : 5, 8. Mens Stephani est dicere, eo demum tempore gentem Israëliticam maxime increvisse et multiplicatam fuisse, quando instabat divinitus praedictum tempus in promissam terram abeundi; illudque populi incrementum continuasse[2] *ad id usque tempus* (αχρις οὗ), quo *surrexit alius rex in Aegypto*, Graece : επ' Αιγυπτον, hoc est, interprete Flavio Iosepho (Antiqq. II : 9, 1 : της βασιλειας εις αλλον οικον μετεληλυθυιας), quo regnum Aegyptiacum ad aliam familiam devenit; *qui*, ortus ex alia familia rex, *non sciebat Ioseph*, graece ουκ ηδει, h. e. qui *non cognoscebat* Iosephum eiusque in Aegyptum merita. Rex ille ἑτερος (*alienus*) quisnam fuerit, certo dici nequit. Secundum Marshami

---

[1]) Pro ὡμολογησεν est in nonnullis Codd. ωμοσεν.

[2]) Exod. Cap. I : 12 legitur : *quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur et crescebant.* Sed cum his non pugnat id quod hic dicitur a Stephano, quum is non affirmet, cessasse illud Israëliticae gentis incrementum, quo tempore haec ab Aegyptiis coepit opprimi.

Canonem rex ille fuit *Tanitarum* primus, *Salatis* nomine. Vide Marshami *Canonem Chronicum*, ad Saec. VIII, p. 107, in edit. Lipsiensi 1676.

19. *Hic circumveniens genus nostrum*, etc.). Verbum Deponens Medium *κατασοφιζομαι τινα* proprie notat *sapientem*, h. e. *callidum me praesto contra aliquem;* et mox *dolose ago*, *malis artibus utor contra aliquem*. Occurrit etiam apud LXX (Exod. I : 10), ubi respondet Hebraico הִתְחַכֵּם; nec profanis incognitum fuit verbum hoc; exempla quaedam collegit Wetstenius (ad h. l.). Notum est, Infinitivum in Genitivo casu cum Articulo in Graecitate tam sacra quam profana usurpari ad *scopum* sive *finem actionis* indicandum. Vide Gr. pag. 385, β. Verum eadem verbi Infiniti Syntaxis in utroque Testamento et in Graecitate serioris aevi adhibetur etiam ad *effectum* aut *consequentiam actionis* indicandum, ita ut Infinitivus resolvendus sit in Verbum Finitum per *adeo ut*, aut per Gerundium in *do*. Exempla sunto : Genes. XXXI : 20; XXXIV : 17. Exod. II : 18; VII : 14; VIII : 29. Iosue XXIII : 15. Act. III : 12. Ad hanc autem Syntaxin referendum esse putem quod hic dicitur *του ποιειν εκθετα τα βρεφη αὑτων*. Sequitur : *Εις το μη ζωογονεισθαι*, scil. *τα βρεφη*. Sensus est : *Hic malis artibus* (vid. Exod. I : 10—17) *adversus gentem nostram usus* (*κατασοφισαμενος*) *vexavit maiores nostros*, *adeo ut exponerent* (adigerentur exponere) *infantes suos* (*αὑτων*), *ita ut hi in vita non conservarentur*. De *εις το* ante Infinitivum valente *ita ut*, vide Gr. pag. 359, 6.

20. *et fuit gratus Deo*). Graece est : *και ην αστειος τῳ Θεῳ*, h. e. *eratque puer formosissimus*. Pari modo urbs Ninive (Ionae III : 11) dicitur עִיר גְּדוֹלָה לֵאלֹהִים *urbs magna Deo*, h. e. *urbs amplissima*. Nimirum Hebraei ad indicandum, esse aliquid in suo genere praestantissimum, nonnumquam hoc ita exprimunt ut

dicant, rem esse talem aut *Deo* (τῳ Θεῳ, לֵאלֹהִים) i. e. Deo iudice, aut *coram Deo*, ut Genes. X : 9 Nemrod dicitur *robustus venator coram Domino* (גִּבּוֹר־צַיִד לִפְנֵי אֱלֹהִים) i. e. robustissimus. Αστειος a Dativo vocis *αστυ*, *urbs*, derivatum primo quidem est *urbanus*, mox vero *formosus*, quo sensu vocabulum hoc legitur Iudith XI : 23. Suidas : αστειος· ευπρωσοπος, χαριεις, καλος.

21. In dictione : εκτεθεντα δε αυτον[1] ανειλετο αυτον, alterum αυτον redundat : expositum infantem sustulit filia Pharaonis, eumque sibi educavit (educandum curavit) εις ὑιον, h. e. *in eum finem ut* illi esset pro filio. Vid. Exod. II : 3—11.

22. Grandior factus Moses eruditus est, puta, curante filia Pharaonis, *omni sapientia Aegyptiorum*, Graece παση σοφιᾳ, qui Dativus est *Instrumenti*. Aegyptiorum scientia potissimum erat astronomica, physica et medica. Hebraeorum religionem et linguam et suae gentis historiam Moses a piis genitoribus fuerit edoctus, quum Pharaonis filiae traditus sit post demum quam adolevisset.

et erat potens in verbis et in operibus suis). Stephanus adhuc loquitur de Mose versante in aula Pharaonis, ut ex contexta oratione colligitur. Itaque *potens in operibus suis* eo dici videtur, quòd adhibitus negotiis maioris momenti tam civilibus quam militaribus, fortem virum ubique se praestiterit. Neque enim est cur putemus, Mosem, iam tum quum in aula Pharaonis versaretur, miracula patrasse. Refert Flavius Iosephus (Antiqq. Lib. II, Cap. 10), Mosem bellicam expeditionem suscepisse adversus Aethiopes,

---

[1]) In ABCD multisque Minusculis est in Genitivo Absoluto εκτεθεντος δε αυτου, quod legisse videtur etiam Interpres noster : sed auctor antiquae Italae quin legerit : εκτεθεντα δε αυτον, extra dubium est ; vertit enim : *Expositum autem eum — sustulit eum.*

congressumque eum iis, victoriam reportasse. — Quod autem Moses hic laudatur tamquam *potens in verbis*, id non pugnat cum Exod. IV : 10, ubi *impeditioris et tardioris linguae* fuisse dicitur, quum hoc non impediat, quominus aliquis vi et gravitate et copia dicendi plurimum valeat.

23. *Cum autem impleretur ei,* etc.). Vide Exod. II : 11. Αυτῳ est Dativus *Commodi*. Verbum πληρουσθαι hic sumendum est eo significatu, quo supra (Cap. II : 1) eiusdem Compositum συμπληρουσθαι. Itaque sensus est : *quum adesset illi* (vitae) *tempus quadraginta annorum; h. e.* quum natus esset annos quadraginta. Etiam hoc (vid. supra p. 170), quum nuspiam in Scripturis veteris Testamenti referatur, Stephanus ex maiorum suorum traditione didicerit. Locutio ανεβη επι την καρδιαν αυτου refert Hebraicam עָלְתָה עַל לִבִּי, quae eodem sensu legitur Ierem. XXXII : 35. Sensus est : *Venit ei in mentem,* Deo cor eius movente (vid. infra ad vs. 25), *ut*, relicta aula Pharaonis, *prospiceret* (επισκεψασθαι), *opem ferret*, *popularibus suis* (τους αδελφους αὐτου), *Israëlitis*. — Quod hic breviter a Stephano dicitur, idem illud explicatius dictum esse putem ab Apostolo in Epistola ad Hebraeos (Cap. XI : 24—26) his verbis : *Fide Moyses grandis factus*, *negavit se esse filium filiae Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem*; *maiores divitias aestimans thesauro Aegyptiorum, improperium Christi; aspiciebat enim in remunerationem.* Quibus verbis Apostolus innuit, Mosem aulam Pharaonis consortiumque Aegyptiorum non ad breve tempus, sed in perpetuum reliquisse, ut deinceps inter populares suos vitam ageret. Itaque non putem, verbo επισκεψασθαι hoc loco subiiciendam esse notionem *visitandi*, quae videatur connotare, mentem Mosis fuisse, post visitatos populares suos, redire ad aulam Pharaonis. Existimo autem, επισκεψασθαι reddendum hic esse : *ut succurreret,* quo sensu verbum hoc legitur, exempli

gratia, Luc. I : 78; VII : 16; Iacob. I : 27, et in versione Septuaginta-virali Exod. IV : 31 et Ruth. I : 6. — Phavorinus : επισκεπτομαι· το προμηθευομαι και κηδομαι τινος.

24. *Et cum vidisset quemdam iniuriam patientem*, etc.). Vide Exod. II : 11, 12. Pro certo ponit Stephanus, rem, quam hic memorat, auditoribus suis esse notam; quare omittit dicere, illum *αδικουμενον* fuisse Israëlitam, et *τον αδικουντα* fuisse virum quemdam Aegyptium. Aegyptius ille *verberabat* (מַכֶּה Exod. II : 11) Israëlitam; quam iniuriam tamquam sibi illatam Moses *ultus est* (*ημυνατο*).—Verbum Medium *αμυνομαι* hoc sensu interdum *absolute* poni, exempla probant ab Henrico Stephano (in Thes. ad h. v.) allata. *Εποιησεν εκδικησιν*, *vindicationem fecit*, *τῳ καταπονουμενῳ* fratri suo *iniuriam passo* (Dativus Commodi), *occidendo* (*παταξας*) *illum virum Aegyptium* (*τον Αιγυπτιον*). Verbum *πατασσειν* in Graecis Scripturis veteris et novi Testamenti plerumque quidem dicitur de *feriendo* et *caedendo*, sed et nonnumquam *de occidendo* i. e. *interficiendo*, ut 2 Paralip. XXXIII : 24 et Matth. XXVI : 31; ad quem modum Hebraicum הִכָּה et hoc et illo significatu occurrit.

25. *Existimabat autem*, etc.). Ex antegressa narratione (vs. 23 et 24), quemadmodum et ex verbis Exod. II : 11 colligimus, Hebraeis iam innotuisse quis esset Moses, antequam Aegyptius ille ab eo occideretur. Appropinquabat autem tempus, quo secundum Dei effatum (supra vs. 6, 7) gens Hebraeorum e servitute esset liberanda; quae quidem res neminem ex Israëlitis latuerit. Itaque Moses, edito illo facinore, *existimabat populares suos intelligere, Deum, per ipsius ministerium* (*δια χειρος αυτου* = בְּיָדוֹ *iam iam daturum* (*διδωσιν* in Praesenti de eo, quod brevi futurum est) *illis esse salutem* (*σωτηριαν*, i. e. liberationem servitutis, qua opprimebantur), *sed illi hoc non intellexerunt*. Notat hic Estius :

« Hinc ostenditur, *inquit*, Mosen non sine voluntate divina, sibi cognita, sumpsisse sibi potestatem vindicandi populum suum de oppressione Aegyptiorum. Nam quamvis id Hebraei non intelligerent, ipse tamen iam tum intelligebat; ideoque caedes Aegyptii licite et cum potestate ab eo facta videtur[1]. » Cum Estio facit Lorinus (in Act. Ap. ad h. l.), qui ad hunc versiculum haec scribit: « Verba haec, *inquit*, dicuntur a Stephano propter sequentem historiam, in qua deprehenditur pervicacia et ingratitudo Hebraeorum adversus liberatorem suum, deputantium Aegyptii occisionem furibundo Mosis zelo, non amori erga gentem suam, et a Deo acceptae auctoritati. » Praeiverat S. Augustinus, qui haec Stephani verba considerans, ita scripserat (Quaest. sup. Exod. Quaest. 2): « Videtur, *inquit*, per hoc testimonium Moses iam divinitus admonitus, quod Scriptura eo loco (Exod. Cap. II) tacet, iuste facinus illud audere potuisse. » Nec huic sententiae obstat quod (Exod. Cap. II : 12) Moses illud facinus attentaturus dicitur *huc atque illuc circumspexisse*, ut videret, an sine teste rem patrare posset; nam, ut monet Frassenius (Disquisit. in Pentateuch. ad h. l.), non erat haec cura indicium operis male facti, sed hominis prudenter agentis; cum enim videret, tempus nondum esse opportunum ut fieret publica in Aegyptios, Hebraeorum tyrannos, animadversio, quod licite facere potuit, caute voluit; ne Aegyptii hoc factum audientes, crudelius in Hebraeos saevirent, neve ipse periculum capitis incurreret.

26. *Sequenti vero die*, etc.). Ωφθη αυτοις μαχομενοις pro ὑπο αυτων (scil. αδελφων) μαχομενων, ut supra Cap. II : 3 : *il fut vu par deux de ses frères, qui se battaient.* Confer Exod. Cap. II : 13, 14; rem, utpote notam, Stephanus non distinctius enarrat. Verba Latina : *et reconciliabat eos in pace*, quid sibi velint, satis

[1]) Vid. Estium in loc. difficil. ad h. l.

patet; sed Graeca : *και συνηλασεν*[1] *αυτους εις ειρηνην*, vertenda sunt : *et compellebat eos* (rationibus persuasoriis) *ad pacem*, dicens : Viri! fratres vos estis; *quare* (*ινα τι*) iniuriam facitis alter alteri? (*waarom mishandelt gij elkander?*) Locutio *ινα τι* dicitur per Ellipsin, idque in constructione Praesentis Temporis pro *ινα τι γενηται*, *quid ut fiat*, in constructione verò Praeteriti pro *ινα τι γενοιτο*, *quid ut fieret*. Vide Gr. pag. 169, *adnot*. 4.

27—28. *Qui autem iniuriam faciebat proximo*, etc.). Graece : *ὁ δε αδικων*, *is autem qui popularem suum male tractabat* (h. e. verberabat. Conf. Exod. II : 13), istius iniuriae illator, Mosem pacificatorem *a se repulit* (*απωσατο*. Aor. I Med. *απωσαμην* pro Atticorum *απεωσαμην* ab *απωθεομαι*, quod est ex *απο* et *ωθεω*, pello), *dicens : Quis te constituit*, etc. Vide Gr. pag. 76 ad v. *ωθεω*.

29. *Fugit autem Moyses in verbo isto*, etc.). Graece *εν τῳ λογῳ τουτῳ*, *propter hoc verbum* (*hanc rem*). Praepositio *εν* in hac locutione dicta est veluti *de fundamento*, *quo quid nititur*, atque hinc notionem habet *causae ob quam quid fit*. Vide Gr. p. 417. Confer Nostratium : *op dit zeggen*, quando valet : *om dit zeggen*, Sed fieri potest, ut vox *λογος* hic dicta sit *de re* seu *facto*, ad imitationem Hebraicae דָּבָר, quae et *verbum* notat et *rem*. Neque enim Moses fugisse videtur propter istius Israëlitae incrimiuationem; sed quòd divulgata res etiam Regi innotuerat, ipseque ita venerat in vitae discrimen. Cf. Exod. II: 14, 14. Itaque, relicta Aegypto, factus est *παροικος*, *inquilinus*, in terra Madian.

Παροικος proprie est *accola*, *in vicinia alicuius habitans*, sed mox, ut hic, *inquilinus*. Madian (מִדְיָן) regio quaedam erat Arabiae Petreae. *Ubi generavit filios duos*. Cf. Exod. II : 15—23.

[1]) Pro *συνηλασεν* legitur *συνηλλασεν reconciliavit* in BCD multisque Minusculis.

30. *Et expletis annis quadraginta*). Scil. ex quo tempore secesserat ex Aegypto. Mosen per quadraginta annorum spatium in Madian fuisse commoratum, Stephanus, ut nonnulla alia (vide supra ad vs. 16) traditione noverit. Ωφθη αυτῳ, *visus est ab ipso*, pro ὑπ' αυτου, ut supra vs. 2. — *In deserto montis Sina*, h. e. in deserto, in quo situs est mons Sinai. In libro Exodi (Cap. III : 1) legimus, apparitionem, quae hic memoratur, Mosi obtigisse prope montem Horeb; sed nulla est in his repugnantia. Nam, quod Kuinoëlius hic notat, mons ille duplex cacumen habebat, quorum unum dicebatur *Horeb*, alterum *Sinai*. Et affert Petrum de la Valle P. 1 epist. 11 haec scribentem : *Duo sunt montes in uno loco, Horeb et Sinai, qui ambo nascuntur, ut ita dicam, radice una, et dividuntur postea iugis, quo altius adscenditur*. — Εν πυρι φλογος βατου est *in igne flammante rubi;* nimirum Substantivum φλογος Adiectivi locum hic tenet, ut saepe alibi. Vide Gr. pag. 241. 2. Et, quod attinet ad rem, quae hic (vs. 30-35) narratur, confer Exod. III : 2—11. Is qui Mosi apparuisse dicitur, a Stephano hoc loco αγγελος, et in nonnullis Codd. αγγελος Κυριου, mox vero (vs. seq.) *Dominus* (Κυριος) vocatur; pari modo in libro Exodi idem et מַלְאַךְ יְהוָה *Angelus Iehovae*, et יְהוָה *Iehovah* appellatur; quod hic observasse sufficiat; rem explicabimus infra, ad vs. 38.

31—32. *Moyses autem videns, admiratus est visum*, etc.). *Videbat Moyses*, ut narratur Exod. III : 2, *quod rubus arderet, nec tamen combureretur*. Itaque rem oculis suis oblatam (το ὁραμα) mirabatur; cumque propius accederet, ut distinctius perlustraret (κατανοησαι Infinitivus *Finis*, ut Matth. II : 2), quid hoc esset rei, *facta est ad eum vox Domini* (φωνη Κυριου), *dicens : Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham*, etc. Ad hanc vocem *tremefactus* (εντρομος γενομενος) Moses, non audebat in visum *intueri* (κατανοησαι). — Verbum κατανοησαι dicitur non tantum de *mentis*

consideratione, verum etiam de *oculorum lustratione*, ut, v. g. Luc. XII : 24, 27. Exempla rei collegerunt Kuinoëlius (ad h. l.), et Boisius, in libello cui titulus : *Veteris Interpretis* (id est auctoris nostrae Vulgatae) *cum Beza aliisque recentioribus collatio in quatuor Evangeliis, et Apostolorum Actis; in qua, annon saepius absque iusta satis causa hi ab illo discesserint, disquiritur* (ad h.l.).

33. Praecipitur Mosi, ut exuat *calceamentum*, gr. *ὑποδημα subligaculum*, quod est Singularis Collectivus; conferri potest Nostratium *schoeisel*. Finis huius praecepti erat reverentia Deo exhibenda, ut sequitur : *locus enim in quo stas, terra sancta est;* quia nempe Dei praesentia tunc sanctificabatur.

34. *Videns vidi*, etc.). Graece *ιδων ειδον*, atque ita LXX reddiderant (Exod. III : 7) Hebraica רָאֹה רָאִיתִי, quae Verbi Finiti cum Infinito Syntaxis hic eam emphasin habet, ut verba reddenda sint : *etiam atque etiam vidi*. Vide Gr. pag. 379. 10. *Descendi liberare* (εξελεσθαι Infinitiv. Aor. Med. ab εξαιρεω) i. e. *ut mihi liberem populum meum*. Est Infinitivus *Finis*, ut supra vs. 31. — Verba ista : *και νυν δευρο, αποστελῶ σε*, respondent Hebraicis (Exod. III : 10) : וְעַתָּה לְכָה וְאֶשְׁלָחֲךָ, quae Latine valent : *itaque age, mittam te*, etc.

35. *Hunc Moysen — hunc Deus — hic eduxit*, etc.). Emphaticam ibi reddunt orationem (35—39) Demonstrativi Pronominis repetitio eiusdemque in fronte sententiarum positio. Sensus est : Eumdem illum Mosem, *quem negaverunt* (*ὀν ηρνησαντο*), i. e. quem tunc (vs. 27) agnoscere nolebant patres vestri tamquam principem et iudicem sibi constitutum, ipsum hunc Deus tamquam principem et liberatorem misit *per* (εν χειρι[1]) Angelum, qui apparuit illi in

[1]) VAR. LECT. Pro εν χειρι legitur συν χειρι in ACDE variisque Minusculis, et in Verss. Itala, et Vulgata. Sed lectionem εν χειρι postulare vi-

rubo. — Locutio εν χειρι refert Hebraicam בְּיַד *per manum*, h. e. *per*. Οφθεντος αυτῳ pro ὑπ' αυτου. Vide supra ad vs. 26. — Dicit Stephanus, Numero usus Plurali, *quem negaverunt*, etc.; unde colligimus, ea, quae ab uno illo (vs. 27) dicebantur, dicta fuisse ex mente plurimorum.

Docente S. Chrysostomo, angelus qui a Stephano hic dicitur *Mosi apparuisse in rubo*, non erat creatus quidam spiritus coelestis, sed is qui ab Isaïa (Cap. IX : 6) vocatur *magni consilii angelus*[1], sive *Dei Filius*[2]. Atque in hac sententia sunt etiam Irenaeus[3], Basilius[4], Ambrosius[5], alii.

---

detur contexta oratio; cf. vs. 30. Itaque malim legere εν χειρι, eoque magis, quòd lectio συν χειρι nullum praebere videtur sensum; neque enim, quod sciam, locutio συν χειρι valere potest *cum potestate*, aut *cum auxilio*.

[1]) Ενταυθα δεικνυσιν, ὁτι ὁ οφθεις αυτῳ αγγελος, ην ὁ μεγαλης βουλης αγγελος. h. e. « *Hic ostendit* (scilicet, quum Angelus ille dicat : Ego sum Deus patrum tuorum, etc.), *angelum qui apparuit ei, fuisse magni consilii Angelum.* » S. Chrys. Hom. XVI in Act. Ap. — Μεγαλης βουλης αγγελος vocatur Messias (l. c.) secundum Versionem Septuagintaviralem, quam S. Chrysostomus hic ob oculos habuit. In Hebraico autem pro μεγαλης βουλης αγγελος legitur יוֹעֵץ quae vox in Vulgata redditur *consiliarius*. Sed Dei Filius diserte *angelus* vocatur a Malachia (Cap. III : 1): *Ecce ego mitto angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator* (הָאָדוֹן) *quem vos quaeritis. et angelus testamenti* (מַלְאַךְ הַבְּרִית), *quem vos vultis*. Hic angelus viam parans, sive praecursor, distinguitur a Dominatore הָאָדוֹן cui viam parat, quique idem *angelus foederis* מַלְאַךְ הַבְּרִית vocatur.

[2]) Τον υἱον του Θεου αγγελον καλει. h. e. « *Filium Dei vocat angelum.* » Ibid.

[3]) Contr. Haer. Lib. IV, Cap. 26. « Ipse est (*Dei Filius*), qui dicit Moysi : Videns vidi vexationem populi mei, qui est in Aegypto, et descendi, ut eruam eos. »

[4]) Ενθα και αγγελος και Θεος ὁ αυτος προσηγορευεται, ὁ μονογενης εστι δηλουμενος, εμφανιζων ἑαυτον κατα γενεαν τοις ανθρωποις, και το θελημα του Πατρος τοις ἁγιοις αυτου διαγελλων· ὡστε και επι του Μωσεως, οντα, ἑαυτον ονομασας, ουκ αλλος τις παρα τον Θεον λογον, τον εν αρχῃ οντα προς τον Θεον νοηθειη. h. e. « Ubicumque et angelus et Deus idem appellatur, Unigenitus significatur, qui seipsum per generationes hominibus manifestum faciebat, et voluntatem Patris sanctis suis denuntiabat. Itaque et qui cum Mose colloquens (in rubo) eum se nominavit *qui est*, non alius quispiam intelligendus est, quam Deus Verbum, qui in principio erat apud Deum. » S Basil. 2 *contra Eunom.*

[5]) Lib. 4 de Fide Cap. 5. « Non

Et cum his sentire censendi sunt Patres orthodoxi illi, qui docuerunt, Filium Dei esse eum, qui in vetere Testamento identidem Patribus in conspectum ac colloquium venit[1].

Ergo, quod quidem attinet ad eam apparitionem[2] quam Stephanus hic memorat, eos, quos modo citavimus Patres non paucos secuti, ita sentimus, ut nobis videatur dicendum esse, Mosi in rubo apparuisse non creatum aliquem spiritum angelicum, sed ipsum Dei Filium, aspectabili aliqua specie indutum. Et vero hoc Moses ipse perspicue nos docet; nam cum moriturus benediceret tribubus Israël, Iosephi tribui apprecatus est *benedictionem illius, qui ei apparuerat in rubo*. Deuteron. XXXIII : 16.

Atque ita sentire videtur etiam Ecclesia; nam in Officio ecclesiastico, quod tempore Adventus recitandum praecipit, Dei Verbo has preces adhibet : *O Adonai, et dux domus Israël, qui Moysi in igne flammae rubi apparuisti, et ei in Sina*

Pater in rubo, non Pater in eremo, sed Filius Moysi locutus est. Denique de ipso Stephanus dixit : *Hic est qui fuit in ecclesia in eremo cum Angelo.* Hic est ergo qui legem dedit, ipse qui locutus est Moysi dicens : *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob.* »

1) Petavius (de Trinit. Lib. VIII, Cap. 2) inter hos recenset Patres illos, qui ex Antiochena Synodo ad Paulum Samosatenum epistolam synodicam scripserunt; item Athanasium, utrumque Cyrillum, Hiërosolymitanum et Alexandrinum, Hilarium, Papam Leonem Magnum, alios.

S. Augustinus in hac quaestione dubitanter loquitur, ut docet Calmet, ad Exod. III : 2.

2) Praesens quaestio latius patet, quam ut integra hic a nobis tractari possit. Disputandum enim foret inter alia de eo, utrum sub antiquo Foedere promiscue ac sine ullo discrimine personae divinae omnes aspectabili aliqua, vel sensibili specie semet aliquando conspiciendas praebuerint, an, sola excepta persona Patris, reliquae duae, an vero sola persona Filii.

Qua de re quid Patres senserint, docte, pro more suo, exponit Petavius (de Trinit. Lib. VIII, Cap. 2). Ceterum, ut Arianorum error vitetur, illud in hac quaestione profitendum est, nempe Filium, et Spiritum Sanctum, per se ac natura sua non minus invisibiles esse, quam Patrem; quod vero ad externam speciem et extrinsecus circumfusam imaginem attinet, tam Patris Personam, quam Filii et Spiritus Sancti, sub illa cerni et apparere posse. Hoc negabant praesules Ariani congregati in conciliabulo Sirmii habito biennio post illam Synodum, quam ibidem praesules orthodoxi habuerant. Cf. Petav. in Animadv. ad Epiphanium.

legem dedisti, veni ad redimendum nos in brachio extento.

36. *Hic eduxit illos*, etc.). Scil. Israëlitas ex Aegypto, *usque ad introitum terrae Chanaan* (Deuteron. XXXII : 49—52); nam haec ut mente suppleantur, series orationis postulat. Eò, inquit, eduxit illos, *editis* (ποιησας) *portentis et signis prodigiosis* (h. e. varii generis miraculis) *in Aegypto* (Vid. Exod. VII—XII), *in mari rubro* (Vid. Exod. XIV; Iudith V; Sap. XIX), *et in deserto* (Vid. Exod. XV, XVI, XVII) *per quadraginta annos.*

37. De hoc Mosis vaticinio, quod ad Iesum Messiam referendum est, vide, quae notavimus supra ad Cap. III : 22.

38. Sensus huius commatis est : Mosis hic, vir is est, qui *in concione illa* (εν τῃ εκκλησιᾳ) Israëlitarum *in deserto* Sinai (εν τῃ ερημῳ), promulgandae Legis causa advocata, *versabatur* (ὁ γενομενος) *cum angelo illo* (μετα του αγγελου), qui in monte Sinai ad ipsum loquebatur, et cum maioribus nostris; hoc est : qui mediatorem agebat inter angelum illum legislatorem et majores nostros (Vid. Exod. XX : 18—21); hic is est, qui ab angelo illo legislatore accepit praecepta divina, ut ea nobis traderet.

Intelligitur hic εκκλησια (ecclesia) sive *convocatio* illa, Exodi capite XIX memorata, qua gens Israëlitica in deserto ad radices montis Sinai congregata fuit. — Γινεσθαι μετα τινος est *versari cum aliquo*, ut infra Cap. XIX : 20 et XX : 18; sed postulat subiecta materia, ut ea phrasis hic sumatur de officio *mediatoris*. Λογια ζωντα, *verba* (praecepta) *viva*, per Metonymiam *causae* pro *effectu*, dictum videtur pro : *verba vitalia* seu *vivifica* (ζωοποιουντα), quo modo Ioh. VI : 51 *panis vivus* (ὁ αρτος ὁ ζῶν) est *panis vivificus*. *Praecepta illa* autem intelligenda sunt esse *vivifica*, secundum illud effatum Dei (Levit. XVIII : 5) : *Custodite leges meas atque iudicia, quae faciens homo*, VIVET *in eis;* de quo effato dis-

putaturi sumus in interpretatione epistolae ad Romanos, ad Cap. X : 5.

Angelum illum, qui ad Mosen hic locutus dicitur, ipsum Dei Filium fuisse docent Ambrosius[1] aliique[2]; atque haec sententia firmum habet in Scripturis fundamentum. Nam ipse Moses testatur (Exod. XIX et sqq.), Iehovam sibi in monte Sinai esse locutum. Et confirmatur ea sententia ex verbis Apostoli (ad Hebr. XII : 25): *Videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recusantes eum, qui super terram loquebatur : multo magis nos, qui de coelis loquentem nobis avertimus;* ubi is qui de *coelis loquitur* est Iesus Christus, ut contexta oratio docet. Atqui is *qui de coelis loquitur* ab Apostolo dicitur esse idem cum eo qui in legislatione Sinaitica *super terram loquebatur*. Cf. etiam I Cor. X : 9. Epist. Iudae vs. 5. Denique, haec et Ecclesiae videtur esse sententia, ut colligi potest ex liturgica illa precatione, quam supra (p. 140) recitavimus.

Nec obstat quod *loquens ille* (ὁ λαλων) cum Mose in monte Sina hic a Stephano *angelus* vocatur; nam hoc nomen in Scriptura Sacra etiam Dei Filio tribuitur[3].

39. *Cui noluerunt obedire*, etc.). Sensus est : Quamquam tantus vir erat Moses, et patribus nostris de divina eius missione, visis miraculis ab eodem patratis, compertum erat, tamen noluerunt

---

1) Vide supra p. 139.

2) S. Cyrillus Hierosolym. Catech. X : 4. Quibus iure addideris Patres illos, qui docuerunt, Filium Dei esse eum, qui in vetere Testamento identidem Patribus in conspectum ac colloquium venit. Vide supra p. 180. Not. 1. Cui sententiae non contradicit Apostolus, dum ad Hebraeos scribens (Cap. I : 2) ait : *novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio*. Nam Filium Dei intelligit *incarnatum*; per hunc autem, ut talem, Deus hominibus antea locutus non fuerat.

3) Malach. III, 1. מַלְאַךְ הַבְּרִית Vulg. *Angelus Testamenti*, Zachar. III : 1. מַלְאַךְ יְהֹוָה *Angelus Iehovae*, qui mox (vs. 2) *Iehovah* vocatur. In Scriptura Hebraica is qui Mosi in rubo apparuit primum quidem מַלְאַךְ יְהֹוָה *Angelus Iehovae*, deinceps vero nunc *Iehovah*, nunc *Elohim* vocatur.

illi obsequi, *sed repulerunt eum* (απωσαντο. Vide supra ad vs. 27), cum dicerent (Num. XIV : 4) : *Constituamus nobis ducem, et revertamur in Aegyptum.* Cf. etiam Nehem. IX : 16, 17.

40. *et aversi sunt cordibus suis in Aegyptum,* etc.). Aliud Israëlitarum crimen Stephanus hic memorat, crimen, inquam, idololatriae, quod Exod. XXXII : 1—7, et Nehem. IX : 18 describitur. Ex quibus locis etiam colligitur, Israëlitas eo tempore voluisse iter suum per desertum continuare, minime vero tunc animo agitasse reditum in Aegyptum. Itaque verba : εστραφησαν ταις καρδιαις αὐτων εις Αιγυπτον, non significant *desiderium redeundi in Aegyptum,* sed *reditum ad idololatriam,* quam exercuerant in Aegypto commorantes, ut conficitur ex Levit. XVII : 6, 7 (Vide Lorinum ad h. l.), et Ezech. XX : 7, 8, 24; XXIII : 8. — Aor. 2 Pass. εστραφησαν hic videtur obtinere vim Medii. Cf. Gr. pag. 266. 5. Ταις καρδιαις est Dativus *modi;* Belgice diceres : *zij keerden zich met hunne harten naar Egypte.*

dicentes ad Aaron : Fac nobis deos, qui praecedant nos, etc.). h. e. qui sint nobis duces per desertum. Verba populi : ποιησον — γεγονεν αυτῳ, sicut hic recitantur, ita leguntur in versione Septuaginta-virali (Exod. XXXII : 1). In Hebraico scriptum est in forma Pluralis Numeri : אֱלֹהִים אֲשֶׁר יֵלְכוּ לְפָנֵינוּ, quibus verbis respondent Graeca : θεους, οἱ προπορευσονται ἡμων. Attamen ex hac forma Pluralis non consequitur, Israëlitas *plura* simulacra deorum ab Aarone postulasse. Nam hic unius tantum vituli simulacrum illis conflasse legitur Exod. XXXII : 4, idque pariter colligitur ex Nehem. IX : 18, et ex verbis Stephani, infra vs. 41. Itaque dicendum videtur, in Hebraico pro Singulari scriptum esse Pluralem, quem vocant, *maiestaticum,* sicut de *uno* illo vitulo conflatili mox in Plurali dicitur : אֵלֶּה אֱלֹהֶיךָ יִשְׂרָאֵל אֲשֶׁר הֶעֱלוּךָ מֵאֶרֶץ מִצְרָיִם Vulg. : *Hi sunt Dii tui, Israël, qui te eduxerunt de terra Aegypti.*

Moyses enim hic, etc.). His verbis impiae postulationis ratio (γαρ) exponitur. Sensus est : *nam ad Mosen istum* (οὑτος per contemtum dicitur) *quod attinet*, *nescimus quid illi acciderit;* diu est, ex quo a nobis in montem secessit (cf. Exod. XXXII : 1); vivat-ne, an mortuus sit, ignoramus. — Explicatius disputare de hac Israëlitarum postulatione, non est huius loci. Videsis Tostatum ad Exod. XXXII.

In verborum antecedentium structura notandus est *Nominativus absolutus*. Usitata Syntaxis requireret : τῳ γαρ Μωσει τουτῳ ουκ οιδαμεν τι γεγονεν. Exempla eius Syntaxis passim occurrunt in libris tam sacris quam profanis. Cf. Gr. pag. 180. 3. Videsis etiam quae de illa Syntaxi notavimus in nostrae *Chrestomathiae Rabbinicae et Chaldaicae* Vol. 2, Part. 1, p. 5 et sq.

41. *Et vitulum fecerunt*, etc.). Scilicet cogentes Aaronem (Exod. XXXII : 1—5), ut is vitulum ex auro conflatilem ipsis faceret. — Aureus hic vitulus repraesentabat Aegyptiorum Apim, qui bos erat vivus, sub cuius specie isti Osiridem colebant. Nec vivum tantum bovem hunc, sed et illius imaginem Aegyptii in templis colebant. Horum ergo cultum idolatricum Israëlitae imitati sunt[1]. — Ανηγαγον Aor. 2 ab αναγειν cum reduplicatione; vide supra ad Cap. V : 27. Verbum αναγειν in hac locutione refert Hebraeorum הֶעֱלָה in dictione הֶעֱלָה עוֹלוֹת *holocausta obtulit*. Τῳ ειδωλῳ non est Casus Verbi, sed *Dativus commodi*. Sensus est : Sacrificium obtulerunt in honorem simulacri. *Et laetabantur* (ευφραινοντο sine Augmento) *in* (εν) *manuum suarum operibus*, h. e. de fabricato illo idolo. De usu Pluralis Numeri (εργοις) hoc loco vide Gr. pag. 174. 2. Praepositio εν dicta hic est de eo, *in quo*

[1]) De cultu Apidis videsis Calmetum ad Exod. XXXII : 4; Witsii Aegyptiaca, Lib. II, Cap. 2; Deylingii Dissert. quae inscribitur : *De fletu super Thammuz*, in *Observationum Sacrarum*, Parte III; Seldenum, *De diis Syris* Syntagm. I, Cap. IV, et Beyeri *Additamenta* ad h. l. Seldeni.

illa laetitia veluti *fundamento* suo nitebatur, ut Luc. X : 20. Quo vero *modo* laetati sint, dicitur Exod. XXXII : 6.

42. *Convertit autem Deus,* etc.). Sensus est : Israëlitae cum per idololatriae crimen a Iehovah defecissent, ipse vicissim (δὲ), gratiae suae auxilium ab illis subtrahendo[1], *se vertit* (ἐστρεψε), atque ita, in poenam patrati peccati, *tradidit* eos in astrolatriam. — Retinenda est Verbi παραδίδωμι solennis sua *tradendi* significatio. Scilicet subtractio illa gratiae in poenam antecedentis peccati, revera quaedam Dei *actio* est. « Deus non directe, inquit S. Thomas (in Ep. ad Rom. ad Cap. I : 24), sed *indirecte* tamen *tradit* homines in peccatum, in quantum iuste subtrahit gratiam, per quam homines continebantur, ne peccarent; sicut si aliquis alicuius sustentaculum tolleret, diceretur facere casum eius. Et per hunc modum, primum peccatum est causa sequentis peccati; sequens vero est poena prioris. » Causa peccati *negativa* Deus dici potest, *positiva* dici nequit. Prius Catholicorum doctrina est[2], posterius si dixeris, cum Calvino blasphemaveris[3]. Sacra Scriptura, sui ipsa hic interpres, perspicue docet, Deum, ubi dicitur *tradere* hominem in peccatum, ibi intelligi, ut diximus, Deum esse causam peccati non *positivam*, sed *negativam*. Nam si ad Romanos (Cap. I : 24) scribens Apostolus docet, DEUM Gentiles TRADIDISSE *in desideria cordis eorum, in immunditiam;* idem in

[1]) Substractionem gratiae quidem dicimus, sed non *absolutam*. Nemo enim hominum, quamdiu hanc vitam agit, penitus gratia destituitur. Qua de re vide Perronium, Tract. *de Gratia*. Part. I, Cap. V, Prop. 3.

[2]) Cf. S. August. contra Iulian. v. 3. — De Nat. et Grat. Cap. 22. — Lib. I. Cap. 18 contra Epist. 2 Pelagii. — S. Chrys. et Theodor. in Ep. ad Rom. ad Cap. I : 24. S. Thom. ad eumdem locum, et in Summae suae 1 : 2. q. 79. Art. 3, et q. 87. Art. 2 Andr. Vega, *De Iustificatione*, Lib. XIII, Cap. XII. Con. a Lapid. in Ep. ad Rom. I : 24.

[3]) Institut. Lib. II, Cap. IV : 3 dicit, *Deum impiorum voluntates ad malum excitare, et conatus firmare*. Calvini blasphemias redarguit Stapletonius noster cum in suo opere *de Iustificatione*, Lib. II, Cap. XII sqq., tum etiam in suis *Antidotis Apostolicis* in Ep. ad Rom. ad Cap. I : 24.

sua ad Ephesios Epistola (Cap. IV : 19) de iisdem Gentilibus dicit, *semetipsos tradidisse impudicitiae*. Et ad Lystrenses (Act. XIV : 15) verba faciens Paulus, *Deus*, inquit, *in praeteritis generationibus* DIMISIT (ειασε) *omnes gentes ingredi vias suas*.

Dictum est *εστρεψεν* pro *εστρεψε ἑαυτον*. Scilicet Verbum Activum *στρεφειν* adhibitum hic est in significatione Media, ut et infra Cap. XV : 16. Qua de re videsis Hoogeveenum ad Vigeri Cap. V, Sect. I, IX, et Gr. pag. 260. 1. Infinitivus *λατρευειν* cum Verbo Finito *παρεδωκεν αυτους* cohaeret, ut Rom. I : 28 *ποιειν* cum antecedente *παρεδωκεν αυτους*. Pro *militia coeli* Graece est *ἡ στρατια του ουρανου*, *exercitus coeli*, quod ex Hebraeorum more loquendi צְבָא הַשָּׁמַיִם dicitur cum de *angelorum agminibus*, ut 3 Reg. XXII : 19, et Luc. II : 13, tum etiam, ut hoc loco, et Isaïae XXXIV : 4 de *sole*, *luna et stellis*.

43. *Sicut scriptum est in libro Prophetarum : Numquid*, etc.). Ex testimonio Prophetae Amos (Cap. V : 25—27) Stephanus iam probat, id quod modo dixerat, scilicet Israëlitas in deserto astrolatriae scelere se obstrinxisse. Dicit in *libro Prophetarum*, duodecim scilicet illorum, qui *minores* vulgo appellantur, et olim ab Hebraeis *uno volumine* comprehendi solebant.

Verba Prophetae sicut hic in Stephani oratione allegantur (vs. 42-43), ita, nulla varietate[1], leguntur in versione Septuaginta-virali; Septuaginta autem interpretes postrema eius loci verba legisse videntur alio ordine posita. Scilicet pro וּנְשָׂאתֶם אֵת סִכּוּת מַלְכְּכֶם וְאֵת כִּיּוּן צַלְמֵיכֶם כּוֹכַב אֱלֹהֵיכֶם אֲשֶׁר עֲשִׂיתֶם לָכֶם, ut nunc in codicibus legitur, ipsi ea verba legisse videntur hoc ordine : ונשאתם את סכות מלככם [2] ואת כוכב אלהיכם כיון צלמיכם אשר עשיתם לכם.

[1]) Nisi quod Stephanus addit verba *προσκυνειν αυτοις*, et quod pro *βαβυλωνος* in Hebraeo legitur דַּמָּשֶׂק *Δαμασκου*.

[2]) סִכּוּת מַלְכְּכֶם, id est *tentorium regis vestri*, h. e. falsi Dei vestri. Vocem מֶלֶךְ de diis fictitiis dici, notum est. Vide Sophon. I : 5. — LXX reddi-

Et hoc ordine verba ab Amos conscripta fuissc, facile crediderim, quum ea, ut nunc in codicibus leguntur, non perspicuum praebeant intellectum. Nam quum כִּיּוּן sit nomen proprium (*Saturni*), ut mox dicemus, nequit verbis כִּיּוּן צַלְמֵיכֶם perspicuus aliquis sensus subiici.

Vocem כִּיּוּן[1] antiqui interpretes, Chaldaeus[2], Syrus[3], et Graeci, Aquila et Symmachus[4] in suis versionibus retinuere; ex quo conconficitur, vocabulum hoc ab illis habitum fuisse pro nomine non appellativo, sed proprio. Eo autem nominc appellatum fuisse fictitium deum illum, qui a Latinis Saturnus est vocatus, Aben Ezra docet[5]. Nec vero deum fictitium alium quempiam per vocem Ῥεφαν Septuaginta intellexisse videntur; sed quum in Aegypto scriberent, adhibere voluerint notiorem ibi vocem Copticam *Rephan*, qua nempe voce Saturnus Coptice appellabatur[6].

Itaque, quod ex disputatis iam conficere licet, Amos citato loco Israëlitas arguit astrolatriae. Verum, age, quid dicat propheta, accuratius explicemus.

Numquid victimas et hostias obtulistis mihi, etc.). Graece: μη σφαγια, κ. τ. λ. Particula μη interrogat, si *negativa* esse debet responsio. Vide Gr. pag. 510. 3. B. Itaque sensus est:

---

derunt: την σκηνην του Μολοχ *tentorium Moloch*; quia nempe sua versione explicare voluerint, quisnam מֶלֶךְ *rex* sive *fictitius Deus* hic esset intelligendus. *Moloch* autem vocem Aegyptiacam esse, eaque planetam Martem fuisse appellatam, docet Kirchorus (apud Beyerum in *Additamentis ad Ioh. Seldeni de diis Syris syntagmata*, p. 255). Cf. etiam Movers, *die Phönicier*. Bonn. 1841. T. I, p. 364—65.

1) Vox כִּיּוּן si sermo sit de eiusdem etymo, esse videtur origine Semitica, puta a Rad. כון

2) וית כיון צלמיכון

3) ܟܐܘܢ ; ܨܠܡܟܘܢ Syrus pro צלמיכם videtur legisse in Singulari: צלמכם.

4) Apud S. Hieron. ad h. l. Amos.

5) Ad h. l. מלת כיון ידועה בלשון ישמעל גם פרס כי היא כיואן והוא שבתי h. e. *Vox* כיון *nota est in lingua Ismaëlitarum et Persarum; nam* כיון *est* (planeta) *ipsorum* כיואן (كيوان) *qua voce Saturnus appellatur*. Quod dicit Aben Ezra, confirmatur a Grammatico Arabe, quem citat Bochartus in Hierozoico. T. I, p. 864 (apud Movers, *die Phönicier*. T. I, p. 290).

6) Vide Movers, l. c. p. 289.

non obtulistis mihi, Israëlitae, sacrificia (σφαγια και θυσιας) per quadraginta annos in deserto, sed (vs. 43) idola vestra coluistis. — Sermo hyperbolicus est[1]; neque enim omnino defuére sacrificia Deo in deserto oblata. Vide Exod. XXIV : 5. Num. VII, IX : 4. Levit. IX. — Sacrificia ex Dei praecepto offerenda[2], offerre neglexerant, sed e contra idola coluerant, ut sequitur.

et suscepistis, etc.). Graece και ανελαβετε, κ. τ. λ. Vocula και, cui Hebraice hic respondet Particula ו, hoc loco notat *sed*, quae frequens est illius Particulae significatio. — Pro ανελαβετε Hebraice est נְשָׂאתֶם, quod non tantum de publico et solemni gestatu, sed et de alio quocumque usurpatur. Puta, Israëlitas secum in deserto clanculum[3] circumduxisse tuguriola, quae Molochi imagunculam continerent et fabrefactam stellulam, in cuius forma Saturnum colerent. Fuerint haec idolatriae instrumenta minuscula, qualia erant sacella illa Dianae argentea (Act. XIX : 24), aut Labanis icunculae (Gen. XXXI : 34), quas Rachel facile abscondere potuit subter stramenta cameli, cui insidebat. — *Figuras quas fecistis*, graece τους τυπους, quod est Appositio ad antegressa : το αστρον.... 'Ρεφαν. — Vox τυπος de *simulacris* deorum frequenter ponitur; apud Philonem (*de opificio mundi*), notante Kuinoelio (ad h. l.), τυποι et ειδωλα promiscue dicuntur. Προσκυνειν αυτοις, h. e. ut eas (figuras, τυπους) tamquam Deos *adoraretis*; προσκυνειν est Infinitivus *scopi*, ut supra p. 18.

Et transferam vos trans Babylonem). Sensus : *ideo migrare vos faciam*, etc. Praedicitur futura captivitas. — Quum haec Amosi verba a Stephano adducta sint tantum ad probandam Israëlitarum idololatriam in deserto, nihil hic opus est de eo loco Prophetae plura dicere.

---

[1]) Lyranus (apud Lorinum ad h. l.) *ideo negari* ait, *fuisse oblatas victimas aut hostias, quia valde paucae fuerant.*

[2]) Ieremiae VII : 22 non negatur praeceptum a Deo datum fuisse de offerendis ibi sacrificiis. Vide Sanctium ad h. l.

[3]) Cf. Calmet ad Amos vs. 26.

trans Babylonem) επεκεινα (= επ' εκεινα μερη) της βαβυλωνος, *ad illas ulteriores partes Babylonis;* sed in Amos (l. c.) scriptum est *trans Damascum;* nec tamen putandus est S. Stephanus hic errasse; sed, ut notat S. Hieronymus (ad h. l.), magis sensum Prophetae, quam eius verba attendit. Nam, quae Christophori Castri observatio est (ad h. l.), eadem captivitate, qua ducti sunt Israëlitae trans Damascum in Assyrios, collocati sunt trans Babylonem in civitatibus Mediae, et Persiae versus aquilonen. Nam 4 Reg. XVII : 6 dictum est : *et transtulit Israël in Assyrios, posuitque eos in Hala, et in Habor, iuxta fluvium Gozam, in civitatibus Medorum.* Et Tobias cum captivos contribules inviseret (Tob. I), *venit in Rages, civitatem Medorum.* Imo etiam inde in Persidem, et alias remotiores regiones traducti sunt, ut ait Iosephus Lib. IX Antiqq. Cap. ult., et ultra Euphratem dispersi, infinita hominum millia, ut idem ait Lib. XI : 5. Quod cum factum animadverteret Stephanus, dixit *trans Babylonem.*

Duo, ut vidimus supra (ad Cap. VI : 13, 14), erant accusationis capita; hactenus Stephanus responderat ad prius; ad posterius respondere iam pergit, nulla facta transitione, nisi qua forte sit in illa antithesi, qua idololatrico illi tentorio (σκηνη vs. 43) opponitur *tabernaculum testimonii.* Itaque Stephanus *de Templo* dicturus, rem repetit ab origine, hoc est, a Tabernaculo, quod fuit Templi exemplar, ita ut Tabernaculum recte dici possit fuisse portatile Templum[1].

44. *Tabernaculum testimonii*, etc.). Graece ή σκηνη του μαρτυριου, cui denominationi respondet Hebraica אֹהֶל הָעֵדוּת sive מִשְׁכַּן הָעֵדוּת. Tabernaculum variis nominibus appellabatur. Illius, quod Stephanus hic adhibuit, causam explicat Suidas :

---

[1]) Hinc Sap. XI : 8. Templum vocatur μιμημα σκηνης ἁγιας.

Μαρτυριου σκηνη, inquit, ὡς εχουσα τας πλακας του νομου· τον γαρ νομον εντολας εκαλουν, και μαρτυρια, και δικαιωματα. Graeci textus sensus est : *Tabernaculum testimonii erat inter*[1] *maiores nostros in deserto*, vel, si Graeca legas, dempta Praepositione εν ante τοις : *Tabernaculum testimonii habebant maiores nostri in deserto tale, sicut praeceperat ille*[2] *qui cum Mose loquebatur, ut id faceret secundum exemplar quod viderat*. Atque hunc sensum etiam verba Vulgatae admittunt. — Itaque forma Tabernaculi non ab homine excogitata fuit, sed ab ipso Deo delineata. « *Inspice*, inquiebat Deus, *et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*. Vide Exod. XXV : 8-40; Ep. ad Hebr. VIII : 5. Scilicet Deus, cum Mosi praeciperet rem faciendam, simul eius aut mentis aut corporis oculis obiecerit rei faciendae imaginem.

45. *Quod induxerunt*, etc.). Sensus est : quod Tabernaculum quum maiores nostri a proävis *accepissent* (διαδεξαμενοι), *duce Iosue* (μετα Ιησου), *intulerunt* (εισηγαγον) in *possessionem gentium*[3] (εν τη κατασχεσει των εθνων), *quas* (ὡν pro ἁ per Attractionem) Deus inde *expulit* (εξωσεν Aor. ab εξωθω), advenientibus patribus uostris; perduravitque mobile illud aedificium usque ad tempora Davidis. —

Διαδεξαμενοι scil. αυτην (σκηνην), quod Demonstrativum abesse poterat ob antecedens Relativum ἡν. Verbum διαδεχομαι si cum Accusativo rei iungitur, de iis usurpatur, qui successione accipiunt aliquid ab aliis. Notionem vocis ita definit Suidas (apud Schleusnerum in Lexic. ad h. v.) : διαδεχομαι το δια πολλων ερχομενον

[1]) Tabernaculum in deserto ita struebatur, ut in medio duodecim tribuum collocaretur, idque ita ut ad quamlibet mundi plagam dispositae essent tribus tres. Vide Num. Cap. II.

[2]) Voces : *illis Deus*, quae hoc loco in Vulgata leguntur, Codices Graeci fere nulli agnoscunt, ut nec versiones antiquae, Itala et Syriaca.

[3]) h. e. in terram promissam, adhuc a gentibus Chananiticis possessam sive occupatam.

αφ' ἑτερου εις ἑτερον επ' εμε δεχομαι. — Vox *κατασχεσις* a LXX adhibetur pro Hebraicis אֲחֻזָּה *possessio,* et מוֹרָשָׁה, נַחֲלָה *haereditas;* eoque sensu in praesenti etiam loco vox *κατασχεσις* sumenda est. Iungenda est autem cum voce *εισηγαγον*, quod Verbum *motus* constructum est cum Praepositione *εν*, quia mens loquentis una cum *motu in locum* concepit *quietem in loco* : q. d. Tabernaculum *intulerunt* et deposuerunt *in terra Chanaan*[1]. Ab *εισηγαγον εν τῃ κατασχεσει των εθνων* peudent huius commatis postrema verba : *ἑως των ἡμερων Δαβιδ.* In qua Syntaxi notanda est Brachylogia; nam sensus est : *tabernaculum intulerunt* et deposuerunt *in terra Chanaan,* ibique remansit *usque ad tempora Davidis,* quando pro Tabernaculo adificatum fuit templum. — *Tempora Davidis* intelligenda sunt omne vitae eius tempus. Scilicet *ἑως*, docente Titmanno (de Synonymis in N. T. p. 33—38 et 167) finem sive terminum indicat, sed comprehendit hunc ipsum terminum; et in hoc differt ab *αχρι*.

46. *Qui invenit gratiam*, etc.). Est haec Hebraica locutio מָצָא חֵן quae usurpatur de eo, qui *alteri acceptus, carus, dilectus est.* Talis Deo (*ενωπιον* (לִפְנֵי) *in conspectu Dei*) erat David, qui e toto Israële ab eo in regem fuit electus. *Exaltavi*, inquit, *electum de plebe mea, inveni David servum meum; oleo sancto meo unxi eum.* Psalm. 88, vs. 20, 21.

et petiit ut inveniret, etc.). Sensus est : et petivit ut sibi concederetur parare templum Deo, quem coluit Iacob. — Petitio haec intelligenda est, ut videtur, in rei faciendae *desiderio* et *voto,* quae S. Scriptura de Davide (2 Reg. VII : 2, Psalm. CXXXI :

---

[1]) Simili modo explicaveris illud Lucae XXXII : 42 : *ὁταν ελθῃς εν τῃ βασιλειᾳ σου*, h. e. *quando perveneris* et fueris *in regno tuo.* Aelianus sic dixit : *κατηλθε Πλατων εν Σικιλιᾳ*, *venit Plato* et mansit *in Sicilia.* Sic pariter Hebraei Verba *motus* construunt cum ב Praepositione. Videsis quae hac de re monuimus in Gr. pag. 444. 4.

2—5) commemorat. Verba haec : εὑρειν σκηνωμα τῳ Θεῳ Ιακωβ, referunt illa citati Psalmi : עַד אֶמְצָא מְשְׁכָּנוֹת לַאֲבִיר יַעֲקוֹב, quae LXX reddiderunt : ἑως οὑ ἑυρω σκηνωμα τῳ Θεῳ Ιακωβ. Verbum מָצָא (*invenire*) hic tantumdem valet ac Nostratium *bekomen*, si dicam : *een woonhuis te bekomen voor God* (Θεῳ Dativ. Commodi).

Petitioni Davidis Deus non accessit, sed voluit, ut ab eius filio Salomone templum sibi aedificaretur, ut sequitur : Salomo *autem* (δὲ) aedificavit illi domum. Cf. 2 Reg. VIII : 2—14; I Paralip. XXVIII : 2—7.

48. *Sed non Excelsus*, etc.). Graece ὁ ὑψιστος (עֶלְיוֹן) *Altissimus*, ut nos dicimus *de Allerhoogste*. At non Altissimus, inquit, in manufactis habitat, tamquam indigens habitationis loco. — Hunc sensum indicant cum sequens probatio (49—50), tum etiam locus parallelus Act. XVII : 24, 25. Voluerit, opinor, Stephanus hoc effato reprehendere superstitiosam, nescio quam, popularium suorum de Templo persuasionem, unàque insinuare fieri posse, ut Deus illud destrui patiatur. — Vox χειροποιητοις in neutro genere posita est : *in dingen die met handen gemaakt zijn.*

49—50. *Coelum mihi*, etc.). Fit antegressi effati probatio, ducta ex Isaïae LXVI : 1, 2, ubi Deus in hanc sententiam loquitur : *Coelum*, inquit, *est thronus meus, terra autem scabellum pedum meorum* (h. e. immensus sum, et nihil non impleo); *mihi ergo quamnam domum aedificare poteritis, aut quem locum parare, ubi sedes sit mea? Templo vestro minime indigeo; coelum, terram, maria, universa quae cernitis, ego creavi.* — Locus Isaïae a Stephano recitatur non verbotenus, sed ad sensum. Οικοδομησετε, *aedificare poteritis*. Scilicet forma Futuri interdum significat id *quod possit fieri*. Vide Gr. pag. 299. 6. Voces μοι et μου (in οικοδομησετε μοι et καταπαυσεως μου) Emphasin habent.

Citatis a Stephano verbis quomodo Haeretici abutantur, et quo-

modo illis respondendum sit, docet Stapletonius noster in suo *Promptuario catholico* (in Dominicam IX post Pentecosten), ad illa Christi verba : ***Domus mea, domus orationis vocabitur.***

51. Verisimile mihi videtur, id quod, Theophylactum[1] et Oecumenium secuti, Salmeronius[2] aliique Interpretes existimarunt, scilicet, Stephanum, quòd ex murmure et gestibus auditorum videret eos, quippe ira et odio contra se accensos, animum minime advertere ad ea quae dicebantur, ideo hic abrupisse filum susceptae defensionis, missoque placidiore sermone, ad eosdem severe corripiendos transiisse.

Dura cervice, etc.). Graece una voce σκληροτραχηλοι, ut apud Nostrates *hardnekkigen!* tales qui iugum obedientiae ferre detrectant. — Metaphora ducta est a iumentis refractariis et iugi impatientibus. ***Incircumcisis cordibus et auribus;*** Graece ***incircumcisi corde et auribus***, τῃ καρδια και τοις ωσιν, qui sunt Dativi *Relationis*. Vide Gr. pag. 216. 3. Circumcisio signum erat *etiam* commonitorium, quo nempe circumcisi monerentur, ut vitia ex animis suis veluti evellerent, Deoque aures praeberent apertas, obsequiosas. *Circumcidite*, ad Israëlitas dixit Moses (Deuter. X : 16), ***praeputium cordis vestri, et cervicem vestram ne induretis amplius.*** — Aures *incircumcisae* in Scripturis dicuntur esse eorum, qui, aures suas veluti obturantes, Deum monentem audire recusant : ***Cui loquar? et quem contestabor ut audiat? Ecce incircumcisae aures eorum, et audire non possunt : Ecce verbum Domini factum est eis in opprobrium, et non suscipient illud.*** Ierem. VI : 10.

---

[1]) Τινος ἑνεκεν μεχρι τουτου πραως δημηγορησας, ενταυθα τραχεως τῳ λογῳ κεχρηται; ὁτι ἑωρακεν αυτους μη προσεχοντας τοις λεγομενοις. Theophyl. ad h. l. Similia habet Oecumenius ad h. l.

[2]) Tract. XXV in Act. Ap.

Itaque Stephanus auditores suos hic traducit tamquam homines animo depravatos atque in Deum contumaces.

vos semper Spiritui Sancto resistitis). Catholicae Ecclesiae doctrina est[1], in praesenti naturae lapsae statu identidem fieri, ut homo interiori Dei gratiae resistat, aut, quod eòdem recidit, admittendam esse aliquam Dei gratiam mere ac vere sufficientem. Atque hoc S. Scripturae passim praedicarunt, ut, v. g. Isaïae V : 4; Ierem. VII : 13; Matth. XXII : 37. Facit etiam praesens locus ad hanc doctrinam stabiliendam, ut notat Stapletonius, cuius verba hic afferre operae pretium fuerit.

Scilicet ad illud effatum Stephani haec notaverat Calvinus : « *Resistere Spiritui dicuntur qui in Prophetis loquentem contumaciter reiiciunt. Neque enim de arcanis revelationibus hic agitur, quas Deus cuique intus inspirat, sed de externo ministerio; quod diligenter notandum est.* » Ad quae Stapletonius noster[2] : « Diligenter, *inquit*, hoc notari vult Calvinus, ut Catholicam doctrinam eludat, quam Concilium Tridentinum (Sess. VI. Cap. 5) his verbis expressit : *tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, inspirationem illam homo abiicere potest.* Haec igitur arcana revelatio, quam Deus cuique inspirat, abiici ab homine potest, et de ea loqui Stephanum clarius est, quam ut probari necesse sit. Ait enim : *Spiritui Sancto resistitis.* Opus autem Spiritus Sancti proprium est intus commonere, sive mediante praedicatione ecclesiastica, sive absque illa. Sane in solo externo ministerio nisi Spiritus Sanctus cor tangat, Spiritus Sanctus in ipso audiente nihil operatur : ubi autem nihil operatur, ei nec resistitur, nec obeditur. Quicumque igitur Spiritui Sancto resistit, non Prophetis tantum, aut praedicationibus, sed opera-

---

[1]) Constat. id v. g. ex Trident. Sess. VI. Cap. 5, et Can. IV, et ex damnata hac Iansenii propositione : *Interiori gratiae in statu naturae lapsae numquam resistitur.*

[2]) Antidota Apostolica in Act. Ap. ad h. l.

tioni alicui ipsius Spiritus Sancti resistit. Deinde haec resistentia, de qua hic Stephanus loquitur, ex cordis duritie oriebatur. *Dura*, inquit, *cervice, incircumcisis cordibus et auribus*. Atqui cordis durities circa ea proprie versatur, quibus cor movetur, tangitur, afficitur. Tales sunt inspirationes internae; quae in materia salutis et cultus divini non nisi a divino Spiritu promanant. Qui sine ullo motu divino Prophetam contemnit, non resistit proprie et directe Spiritui Sancto, utpote qui nihil eum movebat, sed resistit personae quam audit, aut rationibus fortasse quas adfert, quorum neutrum Spiritus Sanctus est. Nec hoc loco Prophetarum sed ipsius Dei causam agit Stephanus, cui Iudaeos semper restitisse affirmat; *sicut*, inquit, *patres vestri*. Quorum resistentiam describens David ait: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in deserto*, etc. Deinde, si resistere Spiritui Sancto est tantum resistere ministerio externo, ergo et obedire, vel credere Spiritui Sancto erit tantum credere, vel obedire hominibus et externae praedicationi. Contrariorum enim eadem est ratio. Hoc autem modo, nec qui credit ex fide credet, sed ex humana aliqua persuasione; nec qui resistit, ex perfidia et infidelitate illa positiva, quam vocant, resistet, sed vel aliquo vitio morali, veluti pertinacia quadam, vel certe sine ullo mortali ac novo peccato; quia non tenetur sub novo peccato id credere, ad quod credendum praesidium gratiae non habet, sine quo credere non potest. Sicut enim nemo peccat, id est, nemo novum peccatum committit in eo faciendo, quod vitare non potest; sic etiam nemo peccat, aut novum peccatum committit in eo omittendo, quod praestare non potest. Resistit igitur Spiritui Sancto, qui eius internis motibus resistit; sicut credit Spiritui Sancto, qui eius divinis motibus obsequitur, suumque assensum praebet. Quis enim dubitat, resistere Deo esse ab eo dissentire, sicuti obtemperare Deo est ei consentire? Verum quidem est, eos omnes qui resistunt Prophetis, resistere Deo, quatenus Dei personam Prophetae sus-

tinent; sed haec est resistentia adversus Deum non nisi materialis, et ex indirecto, vel ex consequenti. Nec talis resistentia ex duritia cordis semper nascitur, sed ex multis aliis causis nasci potest: ex animi stupiditate, ex negligentia, ex fastu quodam et contemptu. Quae autem resistentia ex duritia cordis nascitur, necessario aliquem motum internum ab extrinseco in corde factum praesupponit, qui motus in hoc genere rerum, quas Dei Prophetae loquuntur, non nisi a Deo esse potest. Sic resistentia Spiritui Sancto, habet pro obiecto ipsos internos motus Spiritus Sancti. » Haec Stapletonius. Quae cum recte disputata sint, ex eodem illo Stephani effato etiam hoc conficere licebit, scilicet, obduratos et obcaecatos non ita gratiae auxilio destitui, ut non possint, si velint, a peccatis resipiscere. Cf. Perronii Tract. de Gratia, Part. I, Cap. V, Proposit. 3.

Sensit Stephanus, conciones Christi, Apostolorum, et suas, ad Hiërosolymitanos habitas, tum etiam crebra miracula patrata ad confirmandam doctrinam, quam praedicabant, externum, inquam, omne hoc ministerium non fuisse sine Spiritus Sancti gratia intus operante in animis eorum, ad quorum salutem ministerium illud praebebatur. Hoc ergo sensu vir sanctus popularibus suis exprobrat quod *Spiritui Sancto resistunt semper* (αει), puta, ad Christi primum, deinde et ad Apostolorum conciones et miracula. Et addit: *sicut patres vestri, ita et vos*, q. d. agitis vos prorsus ex more maiorum vestrorum. In Graeco hic est: ὡς οἱ πατερες ὑμων και ὑμεις, ubi, quemadmodum et Matth. VI : 20; Ioh. VI : 57; X : 15; XIII : 33, και valet οὑτως. Quare Interpres noster scite vertit: *ita et*.

52. *Quem prophetarum,* etc.). Hic confirmat id quod modo dixerat de ipsis eorumque maioribus. Sensus est: Prophetas omnes aut fere omnes a Deo ad se missos olim persecuti sunt Patres vestri; *quin imo* (και, ut Ioh. V : 25) occiderunt multos

eorum qui praenunciabant adventum *Iusti* (του δικαιου), quem vos nunc Pilato Praesidi Romano prodidistis, et per eum occidistis.

Quod Stephanus hic dicit, scilicet antiquos Prophetas a popularibus suis male tractatos fuisse, id potissimum ex traditione noverit. Cf. S. Hieron. Lib. XV in Isaïam, et in Matthaei Cap. 26. — Prophetarum officium non erat tantum in praedicendo, sed etiam in docendo, exhortando, corripiendo. Nec quòd adventum Messiae praedicebant Prophetae, sed quòd crimina Israëlitarum corripiebant, popularium suorum persecutionibus obnoxii fuerunt. — Iesum Nazarenum Stephanus vocat τον δικαιον, h. e. Iustum *per excellentiam*, quem isti tamen tamquam malefactorem occiderant. Simul innuit, *Iustum* illum esse Messiam a Prophetis praedictum.

53. *Qui accepistis legem*). Pro *qui* Graece est οἵτινες, quod mihi videtur hic eam habere vim, ac si Stephanus Germanice dixisset : MENSCHEN, DIE IHR *das Gesetz empfienget*, etc. — Ελαβετε τον νομον non est Latine reddendum *recepistis*, aut *admisistis Legem* (τον νομον, scil. *Mosaicam*), sed *accepistis Legem*, quo sensu aliis verbis tu diceres : *data vobis est Lex*.

in dispositione angelorum). Graece : εις διαταγας αγγελων, quae verba difficilem habent intellectum. Ut mihi quidem videtur, reddenda sint : *praesentibus angelorum agminibus;* Belgice : *voor* (εις) *engelenscharen* (διαταγας αγγελων). Verbum διατασσειν usurpatur in re militari de *ordinando agmine;* vide 1 Maccab. VI : 55, et 2 Maccab. XII : 20. Ab hoc Verbo derivata vox διαταξις legitur de *composito agmine;* vide Iudith I : 4; eaque voce Symmachus et Theodotion (apud Schleusnerum in Thes. in libr. V. T. ad h. l.) reddiderunt 2 Reg. XXIII : 4 vocabulum Hebraicum צבא *exercitus*. Iam vero coniicio, vocem διαταγη, quae itidem derivata est a διατασσειν, in usu loquendi pariter adhibitam fuisse

ad denotandam *instructam aciem* aut *compositum agmen*[1].

Ad Praepositionem εις quod attinet, tribuo illi hic notionem Praepositionis *apud* vel *coram*, quam notionem εις hic illic obtinet; ut v. g. infra, Cap. XXII : 30, et 2 Cor. VIII : 24 : εις προσωπον των εκκλησιων.

et non custodistis). Itaque Stephanus popularibus suis hic exprobrat transgressionem Legis, solemniter, coram magna Angelorum frequentia, a Deo promulgatae. Legem autem eam intelligit, quae Decalogo continetur; nam solummodo haec, audiente populo, a Deo proclamata fuit. Vide Exod. XX : 1—23, Deuteron. IV : 10—13, et V : 1—32. Sed legem Decalogi Stephanus non universe hic respicit, verum eatenus tantum, quatenus prohibet homicidium; vult enim christicidium illis exprobrare, ut series orationis (vs. 52, 53 : ὑμεις... φονεις γεγενησθε, οἵτινες ελαβετε, κ. τ. λ.) indicat. Locus parallelus est hic sermo Christi ad Iudaeos (Ioh. VII : 19, 20) : *Nonne Moyses dedit vobis legem* (τον νομον)? *et nemo ex vobis facit legem. Quid me quaeritis interficere?*

Legem Decalogi non ministerio angelorum tamquam praeconum, sed ab ipso Deo, audiente populo, promulgatam fuisse, probant S. Scripturae loca, quae paulo ante recitavimus : Exod. XX : 1—23, Deuteron. IV : 10—13 et V : 1—32[2]. Hanc autem pro-

---

[1]) Valckenarius (ad h. l.) scribit : « διαταγαι *turmae* sunt *militares*; sed rem nullo probat exemplo. Exempla ego diu quaesivi frustra.

[2]) Moses in his locis diserte narrat, *Iehovam descendisse* in montem Sinai (Exod. XIX : 18, 20), *Iehovam eò venisse* (Exod. XX : 20), *Iehovam ibi* ad Israëlitas *esse locutum* (Exod. XX : 1—22; Deuteron. IV : 12, 13; V : 22), *vocem Iehovae* ab Israëlitis ibi fuisse *auditam* (Deuteron. IV : 12, 15; V : 23). Quae cum ita sint, stare non posse mihi videtur sententia eorum, qui existimant, Mosen voluisse dicere in legislatione Sinaitica adfuisse tantum creatum aliquem spiritum, qui Iehovae personam gesserit, non vero ipsum Iehovam. Ad quam sententiam firmandam non afferunt nisi illud Augustinianum : *quando verba iudicis praeco pronuntiat, non scribitur in gestis, ille praeco dixit, sed, ille iudex*. At enimvero, si cuius regis *legatus* in aliquam regni sui urbem *veniat*, quis historiographus adventum huius narraturus scripserit, *regem* ipsum eò *venisse?*

mulgationem, *praesentibus angelorum agminibus*, factam fuisse, sacra historia non obscure tradidit his verbis (Deut. XXXIII : 2) : *Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est : apparuit de monte Pharan*, ET CUM EO[1] SANCTORUM MILLIA. IN DEXTERA EIUS IGNEA LEX[2]. Quae verba sine dubio ad legislationem Sinaïticam referenda sunt. Atqui vocibus *Sanctorum millia*[3] significari *Angelos*, certum est.

Ad sanctorum Patrum effata de Theophaniis, quae supra (pag. 180) recitavi, liceat hic addere unum et alterum, quae ibi omiseram. S. Aug. *De Civitate Dei* Lib. X, Cap. XV. « *In quibus* (angelis), ait, *persona ipsius Dei, non quidem per suam substantiam, quae semper corruptibilibus oculis invisibilis permanet, sed certis indiciis per subiectam creatori creaturam visibiliter apparebat, et syllabatim per transitorias temporum morulas humanae linguae vocibus loquebatur*. S. Hieronymus in Ep. ad Galat. ad Cap. III : 19. « *In omni vetere Testamento*, inquit, *ubi Angelus primum visus refertur, et postea quasi Deus loquens induitur,... in illo* (Angelo) *Mediator loquitur... Nec mirum si Deus loquatur* IN *Angelis, quum etiam* PER *Angelos, qui in hominibus sunt, loquatur Deus in Prophetis, dicente Zacharia* (Cap. II : 3) : *Et ait Angelus qui loquebatur in me.* — Ad hunc locum S. Hieronymi notat operum eius editor Vallarsius : *Vulgatissima*, inquit, *haec apud veteres sententia erat, Filium ab exordiis mundi sub Angeli specie hominibus se spectabilem praebuisse.*

[1]) In Scriptura Hebraica legitur ita : יְהוָֹה מִסִּינַי בָּא וְזָרַח מִשֵּׂעִיר לָמוֹ הוֹפִיעַ מֵהַר פָּארָן וְאָתָה מֵרִבְבֹות קֹדֶשׁ מִימִינוֹ אֵשׁ דָּת לָמוֹ Quae verbotenus latine reddita sic sonant : *Iehovah a Sinai venit, et ortus est a Seir ipsis, illuxit a monte Pharan, et venit a myriadibus sanctitatis; a dextera eius ignis legis ipsis.*» Hinc patet, S. Hieronymum in suo Codice Hebraico litteras consonantes ואתה legisse וְאִתּוֹ *et cum eo*, aut pro ואתה legisse ואתו (וְאִתּוֹ) *et cum eo*. Existimo autem, legendum esse non וְאָתָה *et venit*, sed cum Hieronymo וְאִתּוֹ aut וְאִתּוֹ *et cum eo*, quia sic lectum fuit ab ipso, et ita quoque legitur in textu Samaritano (ࠅࠀࠕࠄ) et in Versione Samaritana (ࠅࠏࠌࠄ), Chaldaica (ועמיה), et Syriaca (ܘܥܡܗ). Utrum Hieronymus מימינו legerit an בימינו, aut רבבות pro מרבבות, item legerit-ne bis repetitum illud למו, an non, haec ad praesentem quaestionem nihil attinet inquirere. Ita pariter nihil opus hic est disputare de versione huius loci Septuaginta-virali ; quae sic legitur : Κυριος εκ Σινα ἥκει, και επεφανεν εκ Σηειρ, και κατεσπευσεν εξ ορους Φαραν συν μυριασι Καδης· εκ δεξιων αυτου αγγελοι μετ' αυτου.

[2]) Refertur hoc ad id quod Deuteron. IV : 12 legimus, nempe Iehovam, cum Decalogum promulgaret, locutum fuisse ad Israëlitas *de medio ignis*.

[3]) In textu Hebraico est hic רִבְבֹת קֹדֶשׁ h. e. *myriades sanctitatis*, ubi Substantivum קֹדֶשׁ (*sanctitas*) Adiectivi locum tenet. Itaque *myriades Sanctitatis* sunt *myriades sanctae*. Hac autem locutione quin *myriades angelorum* denotentur nemo dubitaverit, qui quidem noverit, *angelos* ab Hebraeis

Vulgatae huius loci versioni consonat Samaritana, quam Hebraicis litterarum notis hic damus : יהוה מסיני אתא ודנע מן גבלה לון ולבלב מטור פראן ועמה מן רבואת קדשה מימינה נור אירה לון h. e. *Iehovah a Sinai venit, et ortus est a Gabla*[1] *ipsis, et resplenduit a monte Pharan, et cum eo e myriadibus sanctitatis* (sanctis, i. e. sanctorum *Angelorum*)*; a dextera eius ignis legis ipsis*. Consonat etiam paraphrasis Onkelosi Chaldaica : יי מסיני אתגלי וזיהור יקריה משעיר אתחזי לנא אתגלי בגבורתיה על טורא דפארן ועמיה רבבת קדישין כתב ימיניה מגו אשתא אוריתא יהב לנא h. e. *Iehova a Sinai se revelavit, et splendor gloriae eius apparuit nobis a Seir; revelavit se in fortitudine sua super montem Pharan, et cum eo myriades sanctorum; scripturam dexterae eius de medio ignis legem dedit nobis.*

Accuratiorem horum Deuteronomii verborum interpretationem alio loco dabimus. Nimirum ad quaestionem, quam hic agimus, satis erat ostendisse, Sacram Scripturam non obscure docere, angelos praesentes fuisse legislationi Sinaiticae. In eum quoque sensum recitata verba Deuteronomii interpretati sunt antiqui[2].

קְדוֹשִׁים i. e. *Sanctos* vocari, ut in Psalm. 88 (Hebr. 89) vs. 8. Cf. etiam Ep. S. Iudae vs. 14.

[1]) Sic *Seir* vocatur etiam in Targum Hierosolymitano. Cf. Winer Biblisches Realwörterbuch, ad voc. *Seir*.

[2]) Theodoretus, Quaest. 44 in Exodum. — S. Ephrem Syrus in Deuteronom. ad h. l. haec habet : ܘܥܡܗ ܪ̈ܒܒܬܐ ܕܩܕ̈ܝܫܐ . ܗܢܘ ܕܡܠ̈ܐܟܐ ܕܡܢ ܝܡܝܢܗ ܘܡܢ ܣܡܠܗ ܟܕ ܝܗܒ ܠܢ ܢܡܘܣܐ h. e. *Et cum eo Myriades sanctorum, hoc est* (myriades) *Angelorum a dextris eius et a sinistris, quando legem nobis dedit*. — Rashi in Deuter. ad verba : מרבבות קדש, haec notat : ועמו מקצת רבבות מלאכי קדש ולא כולם ולא רובם ולא כדרך בשר ודם שמראה כל כבוד עשרו ותפארתו ביום חופתו h. e. *Et cum eo pars myriaden sanctorum Angelorum; non omnes, nec plerique, nec ad morem cuiuspiam hominis, qui, quo die uxorem ducit, ostentat omnem splendorem divitiarum suarum et gloriae suae.* Voces אֵשׁ דָּת idem intelligit dictas de Lege, *ut quae data est Israëlitis e medio igne* (שנתנה להם מתוך האש).

Aben Ezra in Deuteron. ad verba : מרבבות קדש, notat : הם המלאכים h. e. *isti sunt Angeli*. Idem ad voces אש דת למו scribit : התורה שנתנה באש וברק h. e. intelligitur *Lex, quae data fuit inter ignem et fulgura.*

S. Chrysostomum secutus[1], ad Angelorum in legislatione Sinaitica praesentiam pariter refero haec verba Pauli (ad Hebr. Cap. II : 2) : *Si enim qui per Angelos* (δι' αγγελων) *dictus est sermo* (ὁ λογος), ut et haec (ad Galat. III : 19) : *lex ordinata per Angelos* (διαταγεις δι' αγγελων). Scilicet Praepositioni δια in his locis eam notionem tribuo, ut logice valeat *in praesentia* angelorum, angelis ministris *praesentibus*, aut *inter* angelos. Istiusmodi vim Praepositio δια obtinet in hoc Ep. ad Timoth. Cap. II : 2 : *quae audisti a me per multos testes*, graece δια πολλων μαρτυρων, h. e. multis aliis, dum te docerem, *praesentibus*[2], adeoque *coram* multis testibus, *inter* multos testes[3].

---

[1]) S. Chrysostomus in Hom. 3 in Ep. ad Hebraeos (ad Cap. II : 2) sententiam suam aperit de tribus illis (Act. VIII : 53. Hebr. II : 2, et Gal. III : 19) sacrae Scripturae locis, in quibus sermo est de Angelorum in legislatione Sinaitica ministerio. Παρησαν, inquit, αγγελοι, του Θεου διαταττομενου... Et mox : παρησαν οἱ αγγελοι τοτε οἱ το εθνος εμπεπιστευμενοι, και αυτοι τας σαλπιγγας εποιουν, και τα ἑτερα, το πυρ, τον γνοφον. h. e. « *Praesentes aderant angeli, dum Deus Legem ferret... Aderant tunc angeli, quibus Gens fuerat concredita; atque hi tubis canebant, et cetera edebant, ignem, caliginem.* »

[2]) Ita iam Theodoretus voces δια πολλων μαρτυρων interpretatus est : Ἁπερ ηκουσας μου, inquit, πολλους διδασκοντος, τουτο γαρ εφη δια πολλων μαρτυρων, ταυτα διατελει κηρυττων. h. e. « *Quae a me multos docente audivisti, nam hoc sibi vult per illud* δια πολλων μαρτυρων, *haec perpetuo praedica.* » Vide hic Theophylactum, qui explicat per πολλων παροντων.

[3]) Quae in Ep. ad Hebr. (Cap. II : 2) tacito instituitur comparatio, ea non est. mea quidem sententia, inter *promulgatores*, sed inter *res promulgatas*. Atque hoc etiam S. Chrysostomus sensisse mihi videtur. Nam ad verba : *quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem*, haec notat : δια τουτο, inquit, εδηλωσεν, ὁτι ου πολλη τις ην εκεινη ἡ σωτηρια. Καλως δε και το, τηλικαυτης, προσεθηκεν· ου γαρ εκ πολεμων, φησιν, ἡμας διασωσει νυν, ουδε την γην και τα εν τη γη αγαθα παρεξει, αλλα θανατου καταλυσις εσται, αλλα διαβολου απωλεια, αλλ' ουρανων βασιλεια, αλλα ζωη αιωνιος. Ταυτα γαρ παντα εν συντομω ενεφηνεν ειπων· τηλικαυτης αμελησαντες σωτηριας. Ειτα και το αξιοπιστον επαγει· ἡτις αρχην λαβουσα λαλεισθαι δια του Κυριου, τουτεστι, περι αυτης της πηγης εσχε την αρχην. Ουκ ανθρωπος αυτην διεπορθμευσεν εις την γην, ου κτιστη δυναμις, αλλ' αυτος ὁ μονογενης. *h. e.* « Per hoc

54. *Audientes autem haec*). Puta illa, quae vs. 51—54 illis exprobravit. Non scribitur in Aor. *ακουσαντες*, sed in Praesenti *ακουοντες*. Itaque sensus est : interea *dum* haec (*ταυτα*) sibi exprobrari *audiebant* (*ακουοντες*), vehementi ira veluti *disrumpebantur* (*διεπριοντο*. Vide supra ad vs. 53), et furentium more dentibus *contra* (*επι*) eum stridebant. « Βρυχειν, inquit Valckenarius (ad h. l.), significabat *dentes collidere, dentibusque collisis stridorem emittere*. Hinc transfertur ad *iram* significandam, vel *indignationem*, aut *dolorem exquisitissimum*. »

55. *Quum autem esset plenus Spiritu Sancto*, etc.). Sensus : Stephanus autem, plenus ut erat Spiritu Sancto, quo confortabatur[1], sanguinaria istorum rabie nihil commotus, placide coelum versus oculos tendebat, precaturus. Quod cum faceret, mox coelum illi aperiebatur, viditque gloriam Dei, et Iesum stantem a dextris Dei. Nec hoc tacuit apud impios suos iudices. *Ecce*, inquit, *video coelos apertos*, etc.

plenus Spiritu Sancto). Beatum Stephanum Lucas supra (Cap. VI : 8) praedicaverat virum plenum omnigena Dei gratia, et maxime illa, quae sita est in praecipua quadam Christiani pectoris

---

significavit illam non magnam fuisse salutem. Pulcre etiam addidit *tantam*. Non enim, inquit, nos nunc servabit a bellis, neque praebebit terram et bona quae sunt in terra; sed mortis erit deletio, sed diaboli interitus, sed regnum coelorum, sed vita aeterna. Haec enim ómnia compendio ostendit, dicens: *si tantam neglexerimus salutem*. Deinde subiunxit, id quod rem fide dignam efficit : *quae cum initium accepisset enarrari per Dominum*. Hoc est, ab ipso fonte accepit initium. Non homo eam traduxit in terram, non creata potestas, sed ipse Unigenitus. »

[1]) Aliter hic interpretatur S. Cyrillus Hiërosolymitanus (Cateches. XVII : 12) : Ειδε, inquit, τον ὑιον του ανθρωπου ἑστωτα εκ δεξιων του Θεου· ειδεν δε, ουκ εξ οικειας δυναμεως, αλλ' ὡς ἡ θεια γραφη φησιν· ὑπαρχων δε πληρης Πνευματος ἁγιου, ατενισας εις τον ουρανον, ειδε δοξαν Θεου, και Ιησουν ἑστωτα εκ δεξιων του Θεου. h. e. *Vidit Filium hominis stantem ad dexteram Dei. Vidit non sua virtute, sed, ut inquit Scriptura divina : Quum autem esset plenus Spiritu Sancto, suspiciens in coelum vidit gloriam*

fortitudine. Atqui ad huius rei memoriam lectoris animum hic revocare velle mihi videtur, dicens : *quum autem esset plenus Spiritu Sancto.*

intendens in coelum). Ατενισας scil. οφθαλμους, *oculos*. De qua elliptica locutione vide quae scripsimus supra ad Cap. I : 10. Duo quae hic leguntur Participia ὑπαρχων et ατενισας quomodo pendeant a verbo Finito ειδε, ex hac periphrasi collegeris : *exsistens autem plenus Spiritu Sancto tendebat oculos in coelum, tendensque oculos in coelum vidit,* etc.

vidit). Stephanus dum videbat, quae vidit, ea se videre affirmabat; ergo sensuum usum tum habebat; neque enim est cur putemus, id quod ad praesentes dicit *ecce video,* hoc ad *mentalem* quamdam visionem esse referendum. Quod praeter eum nemo alius ea vidit, quae vidit ipse, hoc quidem non obstat quominus putemus, corporalem fuisse eam Stephani visionem. Idem Paulo accidit (Act. IX : 7), ut nempe solus videret visionem corporeis suis oculis oblatam, sociis itineris, quos secum habebat, nihil quidquam videntibus. Simile quid de se testatur quoque Daniel (Cap. X : 7) : *Vidi*, inquit, *ego Daniel* **solus** *visionem; porro viri, qui erant mecum, non viderunt.*

vidit gloriam Dei et Iesum stantem a dextris Dei). Graece δοξαν Θεου, quod refert Hebraicam locutionem כְּבוֹד יְהוָֹה. Sciendum autem est hoc nomine כְּבוֹד יְהוָֹה (*maiestas Iehovae*) passim in Scripturis ipsum etiam designari Iehovam, ubi igneo splendore circumfusus hominibus apparere dignatur. Vide Exod. XVI : 7, 9, 10; XXIV : 16, 17. Levit. IX : 4, 6, 23. Ezech. XLIII : 2. Itaque sentio, Stephanum corporeis suis oculis vidisse in coelo, sive aëreo, sive empyreo, sub aspectabili quadam forma[1], igneoque splendore circumfusam Personam Dei Patris, et ad eius dexteram

---

Dei, et Jesum stantem ad dexteram Dei.

[1]) Puta sic, ut Danieli (Cap. VIII : 9), sub forma senis.

Iesus stantem, immortali suo corpore indutum[1]. *Stantem* videt Iesum Stephanus, atque ita se conspiciendum Iesus illi praebet. « Ut suam illi declaret opitulationem, inquit Occumenius[2], et magnam suo athletae tribuat alacritatem, auxiliantis habitus ostenditur. » Et S. Gregorius (Hom. XIX in Festum adscensionis) : « *Sedere*, inquit, *indicantis est, stare vero pugnantis, vel adiuvantis. Stephanus stantem vidit, quem adiutorem habuit.* »

Et ait : Ecce video coelos apertos et filium hominis, etc.). Modò Stephanus popularibus suis Christicidium exprobraverat; iam imperterritus Iesum Nazarenum illis praedicat et a morte excitatum, et gloriosa immortalitate fruentem[3].

coelos apertos). *Coelos* hic aliqui intelligunt coelum *aëreum*, in quo nubes, imbres, ventique coguntur; quod coelum distinguitur a coelo *stellato* (Marc. XIII : 25), et a *tertio* illo *coelo* (*ὁ τριτος ουρανος*), sive *empyreo*, quod est *beatorum sedes*, quo raptum se fuisse scribit Apostolus 2 Cor. XII : 2. Aëreum autem illud coelum ideo dici *apertum fuisse* (*ανεῳγμενον*) iidem existimant, quòd *videretur* scindi et quasi aperiri, quando divinae istius lucis claritas (*δοξα Θεου*) promicabat, aëre, ut ad fulgura, veluti hiascente.

Sed fortasse coeli hic intelligendi sunt *coelum empyreum* sive *sedes beatorum*. Ita sentit Cornelius a Lapide (ad h. l.). « Dico, *inquit*, coelos hic dici ei fuisse non scissos, sed apertos, id est, patentes; quia nimirum oculus eius per Dei concursum supernaturalem elevatus, coelos omnes *quasi* patentes penetravit, et porrectus fuit usque ad coelum empyreum, ut in eo clare perspiceret

---

[1]) Corn. a Lapide ad h. l. Stephanus, *inquit*, vidit Iesum stantem iuxta gloriam Dei, id est, iuxta Deum Patrem.

[2]) Oecumen. ad h. l. Ἱνα δειξῃ την αντιληψιν την εις αυτον, και πολλην τῳ αθλητῃ την προθυμιαν παρασχῃ, το του βοηθουντος επιδεικνυται σχημα.

[3]) S. Chr. Hom. XVIII in Act. ad h. l. Επειδη ειπων περι του θανατου μονον, περι αναστασεως ουδεν διελεχθη, και τουτο λοιπον ευκαιρως προστιθησι το δογμα.

Dei gloriam, et Iesum a dextris Dei. » Canit Ecclesia : *Stephanus vidit coelos apertos, vidit et introivit.*

filium hominis). Sic Messias vocatur propter assumptam naturam humanam. Videtur Stephanus respexisse illud Daniëlis Cap. VII : 13, 14 : *Et ecce cum nubibus coeli quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit, et in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum : et omnes populi, tribus, et linguae ipsi servient : potestas eius, potestas aeterna, quae non auferetur ; et regnum eius, quod non corrumpetur.*

56. *Exclamantes autem voce magna*, etc.). Ad ea quae Stephanus de Iesu dicebat, isti quasi ad horrendam quamdam blasphemiam magna voce exclamant, puta, Stephanum blasphemasse, esseque lapidandum (cf. Matth. XXVI : 65), simulque aures obturant (συνεσχον) suas, scilicet ne porro audirent blasphemantem; factoque impetu unà omnes (ὁμοθυμαδον) in sanctissimum virum irruunt.

57. *Et eiicientes eum extra civitatem lapidabant*, etc.). Gr. εκβαλοντες... ελιθαβολουν, h. e. *eiectum... lapidabant*. Ex praescripto legis Mosaicae capitale supplicium erat duplex : gladius, et lapidatio. Haec peragenda erat extra castra, deinceps vero extra urbem. Vide Levit. XXIV : 23; Numer. XV : 35; Deuteron. XXII : 24. Et hactenus quidem legis Mosaicae memores erant isti. Statutum pariter erat, ut in hoc supplicio infligendo primi essent testes. Deuteron. XVII : 7[1]. Qui ut ad rem peragendam essent expeditiores, hoc loco dicuntur vestes suas (superiores) *deposuisse* (απεθεντο τα ἱματια αὐτων), *apud* (παρα τους ποδας) adolescentem

[1]) Modus huius supplicii infligendi describitur in Mishna, Tract. *Sanhedrin*, Cap. 6. Qui locus integer recitatus est in *Chrestomathia mea Rabbinica et Chaldaica*. Tom. I. P. 4, p. 286, sqq.

(νεανιου), cui nomen erat Saulus. Is homicidii huius sceleri consentiebat, ut ipse de se testatur (Act. XXII : 20) : *Cum funderetur sanguis Stephani testis tui, inquit, ego adstabam, et consentiebam, et custodiebam vestimenta interficientium illum.*

Dicuntur, notante Kuinoelio ad h. l., νεανιαι, νεοι, νεανισκοι, etiam ii, qui ad aetatem virilem perveuerunt, viri, qui adhuc sunt florentibus annis. Davides, certamen cum Goliatho ingressurus, a Fl. Iosepho (Antiqq. VII : 9. 2) vocatur νεανισκος, cum esset fere triginta annos natus. Dio Cassius (Lib. 56) Caesarem, cum fere esset quadraginta annos natus, dicit νεον. Sic et Cicero (Philipp. 2. 21) Antonium, qui trigesimum annum attigerat, *adolescentem* nominat... Phavorinus : νεανισκος απ' ετων εικοσιτριων έως ετων τριακοντατεσσαρων, η τεσσαρακοντα ένος.

58. *Et lapidabant Stephanum*). Iam supra (vs. 57) dictum fuerat *lapidabant Stephanum*; nec tamen oratio tautologica est; sed ibi *nominatur* supplicium, quod *quo modo* Stephano intulerint, deinde *describitur*. Itaque mallem a vocibus : *et testes deposuerunt*, novam inchoare sententiam.

invocantem et dicentem). Cum ventum esset ad lapidationem, *sibi* Stephanus *invocabat* (επικαλουμενον Particip. Med.) scil. *Dominum Iesum*, ut series orationis docet. « Patet hinc, inquit Estius (in loc. diffic. ad h. l.), quam male, imo impie quidam olim senserint, solum Patrem esse a nobis invocandum per Filium, non autem ipsum Filium; nam hic clare testatur Lucas, Stephanum *invocantem* dixisse : *Domine Jesu*, etc. »

Domine Iesu). Gr. Κυριε Ιησου, ubi Ιησου est in Vocativo, ut Marc. I : 24 et Apoc. XXII : 20; cf. Gr. pag. 45. 1. Eum Stephanus invocat, quem modo gloriosum viderat, aut adhuc videbat, ut sentire videtur Ecclesia, quae sic canit : *Cum saxorum crepitantium turbine quateretur, inter aethereos aulae coelestis sinus divina ei claritas fulsit.*

suscipe spiritum meum). h. e. admitte ad te spiritum meum; sive, ut verbis S. Augustini utar, *suscipe spiritum meum in requie sempiterna, apud te ponas in requie suavitatis et pacis; fecisti me victorem, recipe me in triumphum; dic spiritui meo : intra in gaudium Domini tui.*

60. *Positis autem genibus*, etc.). Gr. θεις (Particip. Aor. 2) δε τα γονατα εκραξε, *cum posuisset genua* in terra, *exclamavit* voce magna : *Domine!* etc. Quod dicit S. Martyr, *ne statuas illis hoc peccatum*, id quidem, ad rem quod attinet, non differt ab illa Christi exspirantis voce (Luc. XXIII : 34) : *Pater! dimitte illis!* Nimirum verbum ἱστημι Graecis etiam dicebatur de *appendendo;* itaque sicut Nostrates dicerent : REKEN *hun deze zonde niet toe*, ita simili quadam metaphora hoc loco dictum est : *ne* APPENDAS *illis* (Dativ. incommodi) *hoc peccatum*, h. e. *dimitte illis!* Quibus verbis vir sanctus orat, ut per sceleris sui agnitionem ac detestationem illis contingat eiusdem remissio iustaeque vindictae condonatio. Exclamat hic Ven. Beda : « Mira, *inquit*, beati Martyris virtus, qui sic zelo fervebat, ut iis a quibus tenebatur, palam suae perfidiae culpas exprobraret; sic dilectione ardebat, ut in morte quoque, pro iis a quibus occidebatur, oraret. » Remitte illis culpam hanc! ita magno affectu Beatus Martyr clamabat; eaque eminentissimae caritatis vox, extrema fuit morientis; nam post hanc in Domino *obdormivit*[1]. Graece εκοιμηθη, quod Gallice recte reddideris : *il s'endormit*. Est enim εκοιμηθη Aor. 1 Pass. cum notione Media. Vide Gr. pag. 266. 5. Scilicet scriptoribus sacris κοιμασθαι metaphorice dicitur de *moriendo*, quia nempe mors non tam mors est, quam potius quidam veluti somnus, ex quo evigilandum sit ad immortalitatem. Atque hinc Christiani sepulcreta nostra rectissime

---

[1]) Quod in Vulgata hic additur : *in Domino*, ego quidem pro glossemate habuerim; nam sicut in nullo fere Codice Graeco illud legitur, ita quoque abest ab antiquis versionibus, Itala, Syriaca, cet.

et suavissime *coemeteria* (κοιμητήρια) h.e. *dormitoria* appellavimus.

Extrema Stephani verba professionem continent divinitatis Iesu Christi; nam vir sanctissimus animam suam illi commendat, eidemque pro interfectoribus suis preces adhibet.

De peragenda lapidatione Mishna (loc. supra cit.), inter alia, haec docet : Quando (*reus*) aberat quatuor cubitis a loco lapidationis, vestibus eum spoliabant... Locus lapidationis altus erat geminam staturam (*hominis*). Ex testibus unus reum inde detrudebat, *ita ut* in lumbos *caderet*... Si (*ex hoc casu*) mortuus esset, poenam suam luerat; si vero non (*mortuus esset inde*), alter testium sustulebat lapidem (*in quem reus proiectus fuerat*[1]), eumque in pectus eius dabat. Si per hunc (*lapidem*) moreretur, poenam suam luerat, sin vero, lapidatio eius fiebat a toto Israële (*ab universis Israëlitis praesentibus*[2]). — Ex Lucae narratione intelligimus, lapidando Stephano praesentes fuisse *testes*, perque hos peractum fuisse supplicium, id quod ex *depositis vestibus* colligitur. Quod si iam quaeratur, quandonam Stephanus dixerit, quae ab eo dicta esse Lucas retulit, et quando genua posuerit, res, ut mihi videtur, hoc ordine ibi gestae sunt. Cum iam ventum esset ad locum supplicii, et testium unus Stephanum ab ea altitudine in submissum lapidem proiiceret, tum beatus ille vir exclamaverit : *Domine Iesu, suscipe Spiritum meum!* Proiectus autem cum adhuc viveret, satisque haberet virium ut paululum erigere se posset, ibi tunc genua posue-

[1]) Lapidandum primò ab eminenti aliquo loco in submissum lapidem proiectum fuisse, ex Mishna colligimus (השני נוטל את האבן); idem etiam docemur a Maimonide, qui ad hunc Mishnae locum notat : Lapidatio aut impulsio fit e loco alto, ut ille cadat in petram, vel petra cadat in illum. » — Hinc forte elucidandus est locus Lucae XX : 18 : *Omnis qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur; super quem autem ceciderit, comminuet illum.*

[2]) היה רחוק מבית הסקילה ארבע אמות מפשיטין אותו את בגדיו. בית הסקילה היה גבוה שתי קומות. אחד מן העדים דוחפו את מתניו ואם מת יצא ואם לא השני נוטל את האבן ונותנה על לבו. אם מת בה יצא ואם לא רגימתו בכל ישראל.

rit atque emiserit eximiae illam caritatis vocem : *Domine, ne statuas illis hoc peccatum!* Hanc vocem exceperit sublati lapidis iaculatio in pectus, quam testium alter fecerit; ad cuius ictum beatus martyr exspiraverit.

Atque ita isti homicidium illud perpatraverint. In quo ne forma quidem legalis fuit servata; nullum enim praecesserat damnatorium iudicium; et, quamquam Iudaeis in re religiosa relictum erat ius damnandi capitis, eorum tamen sententia a Procuratore Romano confirmanda erat, et vero etiam exsequenda[1]. Itaque tumultuarie et seditiose scelus illud peractum est.

Superest, ut videamus quodnam fuerit Stephani in dicendo propositum. S. Augustinus (Serm. 93 *de Diversis*) rem ita explicat. « Exposuit, *inquit*, illis ab initio legem Dei, ab Abraham usque ad introitum in terram promissionis, ut *commendaret;* quia non erat verum testimonium, unde illi calumniam commovebant. Deinde de Moyse dedit eis magnam similitudinem ad Christum. » Sentit igitur sanctus doctor, Stephanum *indirecto* quodam modo suam facere voluisse apologiam. Et verissima est haec Augustini ea de re sententia. Nam ut duo erant quae Stephano obiiciebantur, quod nempe *non cessaret impie loqui de lege Mosaica, et de Templo*, ita, bipartita oratione, primò quidem de Mosaica legislatione (2—43), deinde vero (44 sqq.) de Templo multa honorifice praedicat; qua in re sita est indirecta illa, quam modò dixi, falsae accusationis refutatio. Sed non in refutando impactam calumniam tantum stetisse mihi videtur Stephani in dicendo propositum; putem vero, cum praeterea voluisse auditores suos revocare

---

[1]) Ius gladii Iudaeis ademptum fuerat quadraginta annis ante secundi templi excidium. Loca Talmudica, ex quibus hoc probatur, citantur a Buxtorfio in suo Lexico Chaldaico, Talmudico et Rabbinico, pag. 514. Videsis etiam Relandum (Antiquitt. sacr. P. II. Cap. II. § XI). Idipsum fassi [sunt] Iudaei, quum dicerent (Ioan. XVIII : 31) : *Nobis non licet interficere quemquam.* Quod ad eos dixit Pilatus (Ioan. XIX : 6) : *Accipite eum vos et crucifigite*, id quidem per ironiam dictum fuit. Vide Luc. Brug. ad h. l.

a superstitioso illo cultu, quo Hiërosolymitanum templum prosequebantur, et imprimis eos inducere ad agnoscendum in Iesu Nazareno promissum Messiam, quem Moses *similem sui* futurum praedixisset. Hinc tacito eos monet, caveant ne imitentur exemplum maiorum suorum, qui Mosem divinum legatum a se repulerant. Orationem suam Stephanus, ut supra dixi, ad finem perducere non potuit, adeoque conclusione illa caret. Quare difficile sit docere, eundo per singula, quem in finem unumquodque dictum fuerit.

CAPUT OCTAVUM.

Argumentum. Mox a Stephani morte, veluti signo dato, gravissima oboritur adversus Christianos Hiërosolymitanos persecutio, Saulo imprimis eos vexante. Quo fit ut Christiani, exceptis tamen Apostolis, dispergantur, alius aliò, per varias Iudaeae et Samariae regiones, vs. 1—3. Sed vergit ea res in incrementum Christianae religionis, ut quae nunc etiam extra Hierosolymam praedicari coepit, vs. 4. Sic ex dispersis unus, Philippus diaconus, in civitate Samariae Evangelium praedicat, editisque miraculis ad divinitus comprobandam annunciatae doctrinae veritatem, Samaritanos ad Iesu Christi religionem convertit. Quibus baptizatis deinde Petrus et Ioannes per impositionem manuum Spiritum Sanctum conferunt, vs. 5—7. Quam potestatem ab illis mercari vult ex novellis illis Christianis aliquis, Simon nomine, qui antea artem magicam Samariae exercuerat, vs. 17—19. Quem Petrus vehementer corripit, et ad poenitentiam adhortatur, vs. 20—24. Redeunt Hiërosolymam Petrus et Ioannes, eòque pergentes passim per regiones Samariae Iesum Christum praedicant, vs. 25. Philippus vero ab angelo iubetur inire viam, quae Gazam ducit; in quo itinere, divinitus admonitus, viatorem convenit Aethiopem, reginae Candacis ministrum, religione Iudaeum; quem ad fidem Christi convertit, et baptizat, vs. 26—38. Quo facto Philippus subito in Azotum abripitur ex oculis baptizati, qui laetus iter suum perficit, vs. 39, 40.

Facta est autem in illa die, etc.). Locutio εν εκεινάις ταις ἡμεραις, ut et Hebraica בַּיָּמִים הָהֵם, valet *eo tempore*, *per idem tempus :* sed dictio εν εκεινῃ τῃ ἡμερᾳ tempus notat accuratius, ut hic, ubi valet : *statim a lapidato Stephano*. Επι την εκκλησιαν vertendum non erat *in ecclesia*, sed : *in ecclesiam :* Belgice : *er*

ontstond eene groote vervolging tegen de kerk van Jerusalem. Non solum Stephanum in prima illa Ecclesiae persecutione, sed et alios praeterea ob Christi causam tunc neci traditos fuisse, certissimum est ex Pauli testimonio (Act. XXVI : 10); a quo etiam discimus (ibid.), assessores Synedrii illius persecutionis exstitisse auctores.

et omnes dispersi sunt, etc.). Erat prima illa persecutio sane quam gravissima, ut colligi potest ex iis quae infra vs. 3 et Cap. XXVI : 10, 11 de eadem dicuntur. Itaque Christiani Hiërosolymitani *plerique* (*παντες*. Vide supra p. 20), ut fuga sibi consulerent, relicta urbe, alius aliò, in varias Iudaeae et Samariae regiones secesserunt; imo eorum nonnulli etiam ulterius deinceps sese disseminarunt, ut infra (Cap. XI : 19) refert Lucas : *et illi quidem*, inquit, *qui dispersi fuerant a tribulatione, quae facta fuerat sub Stephano, perambulaverunt usque Phoenicen, et Cyprum, et Antiochiam.* Sed cessit ea res in magnum doctrinae evangelicae incrementum, quum dispersi illi Iudaeo-Christiani popularibus suis Iesum Messiam passim annunciarent (cf. infra vs. 4).

praeter Apostolos). Apostoli tamen non cesserunt huic tempestati. — Ministris Evangelii in persecutione licita fuga est, quam non prohibeat caritas. Existimo autem, Apostolos tunc Hiërosolymis manere voluisse, non tantùm ut curam gererent eorum fidelium qui Hiërosolymis adhuc delitescerent aut identidem eò redirent, verum etiam, quod Oecumenius hic notat[1], ut omnibus

---

[1]) Ὅρα, inquit, πως ὁ Θεος τας επιβουλας των εχθρων εις χρηστον αγει τελος. Διασπαρεντες γαρ πολυ πλειους εσαγηνευσαν η πριν διωχθηναι. Οἱ δε Αποστολοι ου διεσπαρησαν, αλλ' ησαν εν Ἱεροσολυμοις. Ενθα γαρ πλειων ὁ πολεμος, εκει παρατασσεσθαι τους πρωταγωνιστας εδει, και προκεισθαι τοις αλλοις ανδρειας και θαρσους ὑποδειγμα. h. e. » Vide, quomodo Deus inimicorum adversus Christum insidias ad bonum finem deducat. Dispersi namque multo plures irretiebant evangelica sagena quam ante persecutionem. Apostoli vero non sunt dispersi, sed Hiërosolymis erant. Ubi enim potissima erat oppugnatio, ibi primos ac praecipuos milites in acie stare oportebat, ceterisque proponi in exemplum fortitudinis et audaciae.

praeberent exemplum constantiae. — De fuga in persecutione late disserit Maldonatus ad Matth. X : 23.

Curaverunt autem Stephanum viri timorati, etc.). Quae hoc versiculo de sepultura Stephani leguntur, ea ponenda esse diceres ante versiculum praecedentem, adeoque turbatum hic videri versiculorum ordinem. Verum coniecturae huic locus esse nequit, cum Codices, nullo excepto, omnes, omnesque pariter versiones antiquae versiculos primum et secundum constanter eo ordine exhibeant, quo hic leguntur. Itaque putem ea, quae secundo hoc et tertio versiculo dicuntur, habenda esse pro Parenthesi, quam inducat Particula δε. Similem Parenthesin visi nobis sumus observasse etiam supra Cap. IV : 33, et Cap. V : 14. — *Viri timorati*, Graece ανδρες ευλαβεις, intelliguntur non Christiani, quos aliter Lucas designasset (cf. Cap. II : 5; VI : 1, 3), sed Iudaei religiosiores, tales, inquam, qui non, ut Saulus, comprobaverant Stephani caedem, et honorare voluerunt viri innocentiam.

curaverunt). Graece συνεκομισαν, *comportarunt*, h. e. *sepulturae tradiderunt*. « Graecis *fruges congerere in horrea* συγκομιζειν proprie dicebatur. Inde translatum fuit ad significationem *sepeliendi*, quia *sepulturâ* quod terrenum erat in homine velut *in horreum suum condebatur*. » Valckenarius ad h. l.

et fecerunt super eum planctum magnum). Graece κοπετον (a κοπτειν *ferire*) μεγαν, per quem significatur *luctus*, qui pectus tundendo indicatur. Hesychius : κοπετος· κομμος, θρηνος μετα ψοφου χειρων. — Επι αυτῳ. Vulg. *super eum;* mallem *super eo*. — Notat ad hunc locum Grotius : « Maiorem ei Deus, *inquit*, honorem habuit, cum post ad ipsius, ut Martyrum primi, reliquias, plurimos morbos sanari voluit; qua de re si quis dubitet, legat Augustinum de Civitate Dei, XXII : 8, ubi conspicua reperiet eius quod dico documenta. Quare nec mirum, si eas reliquias pii convenienter honoraverint... Ab hoc experimento ad aliorum quoque Martyrum reliquias concurri coepit pari successu. »

Saulus autem (Hiërosolymitanam) *Ecclesiam devastabat*, etc.). Gr. ελυμαινετο, quod dicebatur imprimis *de feris arva vastantibus.* Ita Saulus tamquam saeva quaedam bellua vineam Domini devastabat. Hoc autem *quo modo* praestaret, dicitur in sequentibus. Scilicet obambulans *per domos* (κατα τους οικους), sicubi esse Christianos sciebat aut certe suspicabatur, eò irrumpebat (εισπορευομενος); et quos invenisset, viros pariter ac mulieres, vi inde extractos (συρων) pertrahebat in carcerem. Cf. etiam Act. IX : 21; XXVI : 10. Gal. I : 13. Saulus haec ut faceret, a Synedrio auctoritatem impetraverat, ut dictum est infra Cap. XXVI : 10.

4. *Igitur*). Particula ουν hoc loco post Parenthesin (vs. 2, 3) orationis filum (*omnes dispersi sunt*, vs. 1), tamquam novo dato principio, *resumit*. De ουν abruptum orationis filum resumente vide Hoogeveenium, p. 509. Sensus est : Hi igitur, qui persecutionis causa per varias Iudaeae et Samariae regiones fuerant dissipati, regiones illas *peragrarunt* (διηλθον), et suo quique modo, publice, privatim, popularibus suis evangelium praedicabant : advenisse promissum Messiam, hunc esse Iesum Nazarenum, qui Hiërosolymis in crucem actus, tertia post mortem die a mortuis resurrexisset, etc.

5. *Philippus autem*, etc.). De Philippo, uno ex profugis illis evangelizantibus, instituitur narratio, ad quam *transitur* per Particulam δε, quae hic valet Nostratium *nu*. Sermo autem est de Philippo diacono; nam si hic fuisset Philippus Apostolus, imposuisset et manus baptizatis. Cf. infra vs. 14. — Philippus diaconus *cum descendisset* (κατελθων) in urbem Samariam (εις πολιν. Articulus abesse poterat. Vide Gr. pag. 114), illius urbis incolis Christum praedicavit. — Intelligendum hic esse Samariam *civitatem*, non vero Samariam *regionem*, id quidem satis certo col-

ligitur ex vs. 14, uam contexta oratio non patitur ut ibi ἡ Σαμαρεια ad universam Samariticam regionem referatur.

6. *Intendebant autem turbae his*, etc.). Graece προσειχον scil. τον νουν, h. e. *adhibebant* Samaritani *unanimiter* (ὁμοθυμαδον) aures animosque iis, quae a Philippo de Christo dicebantur. Et Stephano quidem attentos se praebebant auditores, quia audiebant de patratis ab eo miraculis, quin et ipsi suis oculis videbant miracula ab eodem patrari. — Praepositio εν hic intelligitur ut supra Cap. VII : 29. Vulgatae interpretatio recte se habet, modo colon ponatur post vocem *unanimiter*.

7. *Multi enim eorum — exibant*). Interpres noster legit non πολλων, sed πολλοι. Existimo autem legendum esse πολλων[1]. Itaque Graeca sic reddo : *a multis enim eorum qui habebant spiritus immundos, hi voce magna clamantes exibant*. Et vero non *homines*, sed ab hominibus *daemonia* exibant. Genitivus πολλων est regimen Verbi εξηρχετο, ut Matth. X : 14 : εξερχομενοι της οικιας η της πολεως εκεινης. In priore parte sententiae vox πνευματα est *obiectum* orationis, in posteriore vero (βοωντα κ. τ. λ.) fit eiusdem *subiectum*.

8. *Multi autem paralytici*). Πολλοι δε, *multi et*, nam δε hic

---

[1]) Var. lect. Pro πολλων legitur πολλοι in ABCE multisque Minusculis, et in Verss. Ital., Vulg., et Syriaca. Sed πολλων est in DH, item apud S. Chrys. Oecumen. et Theophylact. Si legeretur εξηρχετο εξ αυτων, suspicio nasci posset, verba πολλοι — ακαθαρτα sumenda esse tamquam posita in Nominativo absoluto. Sed εξ αυτων nuspiam legitur; nec Syrus ita legisse censendus est, etsi graeca verterit ܢܦܩܝܢ ܗܘܘ ܡܢܗܘܢ *egredientes erant ex ipsis*; nam potuit addere ܡܢܗܘܢ ut exprimeret disertius vim verbi compositi εξηρχετο. Germana Lucae scriptura mihi videtur esse πολλων. Fieri facile potuit, ut librarius primas tantum huius commatis voces attendens, mendum in voce πολλων suspicatus sit; aut, cum statim sequatur πολλοι, aberrante ejus oculo, pro πολλων scripserit πολλοι.

valet καὶ, ut 2 Cor. VI : 14. « Qui in Evangelio Matthaei et Marci semper dicuntur παραλυτικοι, hos aliquoties Lucas vocavit παραλελυμενους, quod proprie notat *male resolutos*. Παραλυειν est *male solvere*. *Nervos male laxatos*, sic ut officio suo amplius fungi nequeant, παραλυσιν vocant Medici; illam nervorum relaxationem, quae *dextrae* accidit *corporis parti* six eximie dixit Hippocrates. » Valck. ad h. l. — Notandum est, etiam hic, ut supra Cap. V : 16, ita mentionem fieri de daemoniacis, ut hi ab aliis infirmis diserte distinguantur.

9. *Factum est ergo gaudium*, etc.). Ob varias illas sanationes ingens quoddam gaudium ortum est (εγενετο) in illa civitate.

Vir autem quidam, etc.). Manet hic in Vulgata oratio imperfecta, ut legenti constabit. Graeca vertenda sunt ita : *Vir autem quidam, nomine Simon, in ea civitate, prius* quam Philippus cò veniret, *artem magicam exercebat* (προϋπηρχε μαγευων), *et mente emovebat*, h. e. dementabat (προϋπηρχε εξιστων) *Samariae populum, magnum quempiam se esse dicens*. Vox προϋπηρχε cum Participio μαγευων unam sententiam effert hanc : *prius erat magicam artem exercens*. Sequens Participium εξιστων eadem ratione iungitur cum Verbo Finito προϋπηρχεν : *prius erat dementans*. Eadem Syntaxis occurrit in his Lucae XXIII : 12 : προϋπηρχον γαρ εν εχθρα οντες προς ἑαυτους, quae Vulgata recte reddidit : *nam antea inimici erant ad invicem*. « Nomen Μαγος Persicum *sapientem* notat. Sed quum passim callidi veteratores se in Graeciam conferrent qui se *Magos* venditabant, accidit ut apud Graecos Μαγος saepe significaret *praestigiatorem*, aeque ac γοης. Hinc μαγευειν hoc loco significat, ut apud Graecos, *praestigiis et malis artibus homines decipere*. » Valck. ad. h. l.

10. *cui auscultabant omnes*, etc.). Locutio προσεχειν τινι, scil. τον νουν, *adhibere animum* (attentum) *alicui*, usurpatur etiam pro

cuiuspiam dictis assensum aut fidem praebere, ut infra Cap. XVI : 14, collato 15; Tit, I : 14, collato 13. — Siracid. XXIII : 37 et 1 Maccab. VII : 11. Exempla ex scriptoribus Graecis profanis collegit Kuinoelius ad h. l. — Postulat autem contexta huius loci oratio (vs. 11), ut posteriorem hanc *fidem praebendi* notionem locutioni προσεχειν τινι in praesenti loco subiiciamus. Itaque vertimus : *cui fidem praebebant* omnes *a minimo usque ad maximum* (jong en oud), *dicentes* de eo : *Hic est virtus Dei, quae vocatur magna;* ex quo patet, quantopere Simon Samaritanos dementasset. Quid vero Samaritani intellexerint illam *virtutem Dei, quae vocatur magna*, mihi videtur nondum liquere.

11. *Attendebant* (προσειχον) *autem eum propterquod*, etc.). Graece δια το εξεστακεναι, h. e. *propterea quod dementaverat.* Causa exponitur, cur Samaritani Simoni magnum quempiam se venditanti fidem adhibuissent. Causa erat, quia *diuturno tempore* (ἱκανῳ χρονῳ) *praestigiis suis* (ταις μαγειαις) illos *dementaverat*, h. e. sanae mentis lumine veluti privaverat. Praestigiae, quae hic dicuntur, tales quaedam fuerint, quales indicat pseudo-Clemens qui (Lib. 2 Recognitionum) Simonem de magicis suis operibus sic loquentem inducit : « Possum facere, ut volentibus me comprehendere non appaream; et rursus volens videri, palam sim; si fugere velim, montes perforem et saxa quasi lutum pertranseam; si me de monte excelso praecipitem, tamquam subvectus ad terras illaesus deferar. Vinctus memetipsum solvam; eos vero qui vincula inieceerint, vinctos reddam; in carcere colligatus, claustra sponte patefieri faciam; statuas animatas reddam, ita ut putentur ab his, qui vident, homines esse; novas arbores subito oriri faciam, et repentina virgulta producam; in ignem memetipsum iniiciens, non ardeam. Vultum meum commuto; sed et duas facies habere me, possum hominibus ostendere. Ovis aut capra efficiar; pueris parvis barbam producam; in aërem volando

invehar; aurum plurimum ostendam, etc. — « Sine peccato proprio, ut hic notat Salmeron, Deus neminem seduci permittit; Dei enim est nemini nocere, et simplicibus, ne seducantur, succurrere. » De re magica, et de discrimine quod intercedit inter vera et falsa miracula, multa lectu digna habentur in Summa S. Thomae 1. P. q. 114. Art. 4. — 2. 2. q. 178. Art. 1 ad 2, et Art. 2.

12. *Cum vero credidissent Philippo*, etc.). Graece ότε δε επιστευσαν, quae malim reddere : *quum autem credidissent;* nam, ut mihi quidem videtur, *resumitur* hic per Particulam δε narratio, quam interruperat Parenthesis de Simone : *vir autem... dementasset eos*. Particula δε sic adhibita est etiam Matth. III : 4, et Luc. IV : 1. Vide Gr. pag. 467. ζ. Supra (vs. 6) Lucas narraverat, Samaritanos Philippo evangelizanti attentos sese praebuisse auditores. Hic (vs. 12) iam innuit, eos porro etiam his quae Philippus docebat credidisse, Christique fidem professos baptismum suscepisse.

evangelizanti de regno Dei in nomine Iesu Christi[1], etc.). Graece τα περι της βασιλειας του Θεου και του ονοματος Ιησου, h. e. *ea quae spectant regnum Dei et personam Iesu Christi*. Ονομα de *persona*, ut supra p. 12, 73, 100. *Regnum* autem *Dei* intelligitur oeconomia novae Legis. Cf. Maldon. ad Matth. XI : 13. De dictione *regnum Dei* vide infra ad Cap. XXVIII : 31.

13. *Tunc Simon et ipse credidit*). Graece est : *Simon autem*

---

[1]) Pro *in nomine*, quod Vulgata hic exhibet, in Graecis codicibus, paucissimis exceptis, constanter legitur : *et de nomine* (και (περι) του ονοματος). Ita quoque legitur in antiqua Itala : *Cum vero crediderunt Philippo praedicanti evangelium de regno Dei, et de nomine Iesu Christi, baptizabantur viri et mulieres*. Atque ita pariter legerunt S. Chrysostomus (Hom. XVIII in Act. Ap.), Oecumenius (ad h. l.), et Theophylactus. Syrus facit cum Vulg. : ܒܫܡܗ ܕܡܪܢ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ ܥܡܕܝܢ ܗܘܘ ܓܒܪܐ ܘܢܫܐ. h. e. *in nomine Domini nostri Iesu Christi baptizati sunt viri ac mulieres*. Graecorum codicum lectionem arbitror germanam referre Lucae scripturam.

etiam ipse credidit. Vere-ne Simon crediderit, an vero externa tantum specie fidem Christi professus sit, adhuc disputatur[1]. Et potest, ut mihi videtur, de hoc disputari. Neque enim in Lucae narratione dictum quidquam est, quod te *cogat* ut, altera reiecta sententia, alteram amplectaris. Quod dicit Stapletonius, falli non posse Scripturam quae dixit Simonem *credidisse*, id quidem ad praesentem controversiam dirimendam non satis valet. Scriptura enim, quod Cornelius a Lapide hic monuit, saepe loquitur more hominum; iis enim se accommodat; homines autem iudicant et loquuntur de rebus et personis prout exterius apparent; interiora enim et arcana cordis perspicere nequeunt. Sic ergo Simon hic dicitur credidisse, quia exterius profitebatur se credere, esto id fingeret, et revera interius in corde non crederet.

et cum baptizatus esset, adhaerebat Philippo). Graece ἠν προσκαρτερων τῳ Φιλιππῳ, h. e. *ab eius latere non discedebat.* De locutione *προσκαρτερειν τινι* vide supra p. 30; et de Syntaxi Participii cum Verbo Substantivo pag. 134. Speraverit praestigiator, ex illa familiaritate contingere sibi posse facultatem miracula patrandi, qualia patrabat Philippus.

videns etiam signa — admirabatur). Sensus est : quumque cerneret (θεωρων τε) magna varii generis miracula (δυναμεις και σημεια μεγαλα), quae a Philippo edebantur (γινομενα), obstupefactus est; graece ἐξιστατο, de quo Verbo vide supra ad Cap. II:7.

14. *Quum autem audissent*, etc.). Cum Apostoli, qui ut dictum est (vs. 1), Hierosolymis commorati erant, accepissent, Samariam amplexam esse fidem Christianam, eò miserunt Petrum et Ioannem; nempe ut hi baptizatis Samaritanis Confirmationis Sacramentum conferrent, quod non poterat Philippus Diaconus.

---

[1]) Vide Salmeronem Tract. XXVI in Act. Ap., Stapletonem in Antidotis Apostolicis (ad h. l.), Lorinum, Corn. a Lapide, Calmet (ad h. l.), alios.

Bene Caietanus : « Mittunt, *inquit*, non imperio, sed fraterna charitate ac impulsione; ut multi fratres mittunt quandoque maiorem, et capitulares mittunt Episcopum quandoque ad Papam vel Caesarem. » Sic Antiochena ecclesia misit Paulum et Barnabam. Act. XV : 2. De voce δεδεκται, quae sub forma Praeteriti passivi *active* significat, vide Gr. pag. 275. 3.

15. *Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis*, etc.). Gr. καταβαντες, *cum descendissent*. Vide supra pag. 168. *Oraverunt pro ipsis*, Graece περι αυτων. Praepositio περι, ad sensum quod attinet, tantumdem hic valet ac ὑπερ. Eodem sensu Praep. περι legitur etiam in Ep. ad Hebraeos Cap. XIII : 18. Vide Gr. pag. 402. E. Apostoli Petrus et Ioannes Deum ante precati, ut baptizatis a Philippo conferretur Spiritus Sanctus, deinde manus illis imposuerunt, atque ita Spiritus Sanctus illis fuit collatus; ut dicitur vs. 17 : *tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.*

16. *Nondum enim in quemquam illorum venerat*, etc.). Graece ην επιπεπτωκος, *erat illapsus; sed*, inquit, μονον βεβαπτισμενοι ὑπηρχον *tantummodo baptizati existebant* (ils étaient à l'état d'hommes seulement baptisés) *in nomine Domini Iesu*; Graece εις το ονομα του Κυριου Ιησου, *in nomen Domini Iesu*, h. e. *ad professionem* (ter belijdenis) nominis Domini Iesu, sive Christi religionis. In eumdem sensum Praepositio εις adhibita legitur I Cor. I : 13, ubi Apostolus negat, Corinthios baptizatos fuisse εις το ονομα Παυλου, *in nomen Pauli*. Scilicet non *Pauliani* erant, sed *Christiani*, quia baptizati fuerant non εις το ονομα Παυλου, sed εις το ονομα Κυριου Ιησου Χριστου. Confer etiam quae leguntur infra Cap. XIX : 3—6. Videtur illud εις το ονομα referre Hebraeorum לְשֵׁם (in nomen), verbi gratia in hoc Talmudico וכותי לא ימול ישראל מפני שמל לשם הר גריזים h. e. *Samaritanus*

non debet circumcidere Israëlitas, quia circumcidit in nomen montis Garizim, h. e. quia is circumcidit addicendo circumcisum cultui, qui in monte Garizim instituitur. Simili sensu de circumcisione a Gentili peracta Rashi (apud Edzardum[1]) dicit : אין מילתו לשם עבודה זרה *circumcisio, ipsius* (Gentilis) *non fit in nomen idoli,* h. e. gentilis circumcidendo quempiam non addicit eum cultui idololatrico. Idem ait (apud eumdem[2]) : כותי מל לשם דמות יונה שמצאו בראש הר גריזים ועובדין לה כדאמרין בהכל שוחטין ומלין את בניהם לשם יונה זו h. e. *Samaritani circumcidunt in nomen imaginis columbae, quam invenerunt in summitate montis Garizim, eique persolvunt cultum[3], sicut dicunt in* הכל שוחטין[4] ; *et circumcidunt filios suos in nomen columbae huius.*

Ex praesenti Actuum Apostolorum loco ortam esse puto sententiam eorum, qui dicerent, in primitiva Ecclesia baptismum subinde ita collatum fuisse, ut in *forma* administrandi huius Sacramenti solius tantum Christi mentio fieret. Quam sententiam multum abest ut probem. Existimo autem, fuisse in primaeva illa ecclesia usitatum, ad distinguendum baptisma Ioannis, quo plures initiati adhuc erant (Vide infra Cap. XIX : 1—6), a baptismate Christi, ut passim diceretur *baptizari* εις το ονομα Κυριου Ιησου (בשמיה דמרן ישוע). In qua sententia video fuisse etiam auctores Catechismi Romani, qui dicitur *ad Parochos*. « Quod si etiam, *inquiunt*[5], aliquando tempus fuisse dicendum est, cum Apostoli in nomine tantum Domini Iesu Christi baptizarent, id quidem Spiritus Sancti afflatu eos fecisse, exploratum nobis esse debet; ut

---

1) Tractatus Talmudicus *Avoda zara*, sive *de Idololatria*. Caput secundum, pag. 280.

2) Ibid.

3) Negant hoc Samaritani. Vide *Samaritanischer Briefwechsel* in Ephemeridibus : *Repertorium für Biblische und Morgenländische Litteratur. Neunter Theil*. pag. 19.

4) His vocibus initialibus indicatur Cap. I. Talmudici tractatus, qui חולין i. e. *profana* inscribitur.

5) Part. 2. Cap. II, § 15.

initio nascentis Ecclesiae, Iesu Christi nomine praedicatio illustrior fieret, divinaque et immensa eius potestas magis celebraretur. Deinde vero rem penitus introspicientes facile intelligemus, nullam earum partium in ea forma desiderari, quae ab ipso Salvatore praescriptae sunt. Qui enim Iesum Christum dicit, simul etiam Patris personam, quo unctus est, significat. Quamquam dubium fortasse videri potest, an huiusmodi forma Apostoli aliquem baptizaverint, si Ambrosii, et Basilii, sanctissimorum et gravissimorum Patrum, auctoritatem sequi volumus, qui ita baptismum *in nomine Iesu Christi* (εις το ονομα Ιησου Χριστου) interpretati sunt, ut dixerint iis verbis significari Baptismum, non qui a Ioanne, sed qui a Christo Domino traditus esset, tametsi a communi et usitata forma, quae distincta trium personarum nomina continet, Apostoli non discederent. » De praecepto *docendi et baptizandi omnes gentes in nomine* (εις το ονομα) *Patris, et Filii et Spiritus Sancti* dicturi sumus ad Matth. XXVIII : 19.

17. *Tunc imponebant manus,* etc.). *Tunc*, i. e. post preces Deo adhibitas *imponebant*, επετεθουν. Quae forma *Imperfecti* hic usurpatur de *repetito* actu impositionis; nempe erga multos baptizatos haec peragenda erat. Vide Gr. 286. β. *Et accipiebant Spiritum Sanctum*, h. e. gratiae sanctificantis augmentum *ad robur;* quae gratia in Sacramento Confirmationis confertur; quamque, in primitiva quidem Ecclesia, visibile aliquod Spiritus Sancti charisma fere comitabatur. Lege infra Cap. XIX : 6, et quae notavimus supra ad Cap. II : 4. Atqui etiam hic, Samaritanis, inquam, una cum illa gratia etiam visibile aliquod Spiritus Sancti donum collatum fuisse, id quidem ex versiculo sequenti certo colligitur; ibi enim dicitur Simon *vidisse,* quod Apostoli conferrent Spiritum Sanctum; quod profecto *videre* non potuisset, nisi visibilis aliquis effectus eam manuum impositionem fuisset consecutus. Et hic quidem effectus talis erat, ut Simon praestigiator aestimaret e re sua esse, hanc sibi potestatem acquirere.

Rectissime ex praesenti loco probari potest Catholicae Ecclesiae doctrina de Sacramento Confirmationis. Nam per signum visibile, impositionem, inquam, manuum, conferri hic videmus gratiam invisibilem. Videmus porro, hanc manuum impositionem ab Apostolis frequentari, haud dubie ex instituto Iesu Christi, ut qui sacrum hunc ritum in sua Ecclesia perpetuo observari praecepisset. Denique, ut Estius observat (in VI Sent. Distinct. 7, § 3), « ex eo intelligitur fuisse illud signum gratiae *operatorium*, et non tantum iustar orationis quae fit super hominum, quia Philippus Diaconus illud exhibere non potuit, sed eius administrandi gratia Hiërosolymis Apostolos evocari oportuit; cum alioqui nihil prohibebat, diaconum super baptizatos orationem fundere, etiam adhibito ritu aliquo externo. » Ut adeo hic habeatur invisibilis gratiae signum visibile et operatorium a Christo Domino permanenter institutum.

18—19. *Cum vidisset autem Simon*, etc.). Scilicet *videre* hoc Simon poterat, quia nempe ad interiorem gratiam, quae conferebatur, accedebat sensibilis idemque mirabilis quidam effectus, qui quidem talis fuerit necesse est, ut Simonis artem magicam multum superaret. Qualis autem fuerit, sat colligitur ex eo quod infra (Cap. XIX : 6) de Ephesiis illis a Paulo baptizatis dicit Lucas : *et cum imposuisset*, inquit, *illis manum Paulus*, *venit Spiritus Sanctus super eos*, *et loquebantur linguis*, *et prophetabant*. Simoni ipsi, ut videtur, Apostoli nondum manus imposuerant, quando is, oblata pecunia, hanc ab illis potestatem *mercari* volebat. Nam mercari volebat iste, quod pluris revenderet. Pro ἀν saepe est ἐαν post Pronomen Relativum.

20. *Pecunia tua tecum sit in perditionem;* etc,). Sensus est : Pecunia tua pereat, et tu cum illa, quippe qui id quod donum Dei est (την δωρεαν), i. e. potestatem conferendi Spiritum Sanctum

per impositiouem mauuum, argento putasti (ενομισας) et voluisti tibi acquirere (κτασθαι. Vide supra p. 14). « Maledixit hic Petrus Simoni, inquit Cornelius (ad. h. l.), ex zelo iustitiae, non vindictae, ad ceterorum exemplum et terrorem. Ex charitate ergo id fecit et studio religionis, ut primi Christiani discerent, quantum esset Simonis et Simoniae flagitium; quasi diceret : Pereas et damneris, o sacrilege, cum tuis nummis sacrilegis! Iustam enim in scelus profert sententiam, eique debitam poenam irrogat; subaudi : nisi poenitentiam agas, teque emendes. Unde paulo post (vs. 22) ad illam cum hortatur dicens : *Poenitentiam itaque age.* Magis ergo minando, quam feriendo id dixit; quasi diceret : dignus es qui pereas morte praesenti et aeterna; comminor tibi, et ex parte Dei denuntio, te periturum iturumque in gehenuam, nisi ab hoc crimine resipiscas... Porro maledixit Petrus non tantum Simoni, sed et eius pecuniae; non qua pecunia est; sic enim est Dei creatura, et consequenter res bona; sed quatenus pretium erat Simoniae, et sceleris materia. Sic enim pecunia haec erat impia et sacrilega, dignaque perire, aeque ac impius et sacrilegus eius nundinator. Unde S. Hieronymus in Cap. 3 Micheae : *Oblatam, inquit, pecuniam cum offerente damnavit.* » Cf. S. Th. 2. 2. q. 78. Art. 1 et 2.

21. *Non est tibi pars, neque sors,* etc.). Sensus est : nulla tibi pars est hac in re; i. e. indignus es, cui conferatur potestas haec imponendi manus super baptizatos, nam non est revera rectum auimi tui propositum; superbia duceris et avaritia!

Vox λογος hic notat *rem,* idque ex usu loquendi Hebraeorum, quibus דָּבָר, quod proprie significat *verbum*, etiam dicitur de *re*. Vocabula μερις et κληρος (*pars* et *sors*) synonyma sunt respondentque vocibus Hebraicis חֵלֶק et גּוֹרָל, quae Isaiae LVII : 6 in simili sententia pariter coniuucta leguntur. De locutioue ενωπιον του Θεου, quae refert Hebraicam לִפְנֵי יְהוָֹה, vide supra, pag. 110.

22—25. *Poenitentiam itaque age... si forte*, etc.). Graecè : ει αρα, quod *dubitantis* est. Dubitatio autem spectat hic benignitatem Dei, quatenus haec veluti effectus quidam pendet a Simonis poenitentia, tamquam a causa quadam; quae, an poneretur, Petrus dubitabat. Itaque non dubitabat, utrum Deus condonaturus esset Simoni vere poenitenti; sed dubitabat, an Simon acturus esset poenitentiam. Nam video, inquit, te esse hominem scelestissimum. Animus Simonis qualiter comparatus esset, Petrus, Deo revelante (Cf. Cap. V : 3), perspexerit, ideoque veritus fuerit, ut Simon veram poenitentiam ageret. Sed cum talis esset Simon, hunc tamen ad poenitentiam adhortatur Petrus. Ergo ne gravissimo quidem peccatori spes veniae praecisa est.

Μετανοειν επι τινι de *poenitendo* dicitur 2 Cor. XII : 21, eademque locutio eodem sensu occurrit etiam apud scriptores Graecos profanos. Vide H. Stephani Thes. ad h. v. Sed μετανοειν απο, vel εκ τινος, ut est Apoc. IX : 20, Hebraeorum refert loquendi rationem, qua nempe de *poenitendo* dicunt שׁוּב מִן, ut v. g. in Zachariae I : 4 hoc : שׁוּבוּ־נָא מִמַּעַלְלֵיכֶם הָרָעִים, quae Vulgata reddit : *convertimini de cogitationibus vestris pessimis.* — Quae hic dicitur *malitia* (της κακιας σου ταυτης), illa intelligitur pravitas, quam vs. 20 Petrus Simoni exprobraverat. Μετανοησον, *poeniteat te* huius facti, et Deum tanti sceleris veniam *precare*, gr. δεηθητι, quod est ex classe verborum Deponentium Passivorum. Vide Gr. pag. 270. 7, et de usu Aoristorum (μετανοησον et δεηθητι) in hac oratione pag. 347, 5. et de Indicativo Futuri αφεθησεται post ει αρα pag. 335. *adnot.* 3. — Επινοια vox media est, diciturque tam in bonam partem, quam in malam.

in felle... et obligatione... video te esse). Graece εις χολην... και συνδεσμον ὁρω σε οντα. Praepositio εις hic iungitur verbo *quietis*, οντα. Scilicet unà hic cogitatur *motus* quidam, qualis est animi in peius ruentis. Vide Gr. pag. 444. 4. *Fel amaritudinis* dictum est pro *fel amarum*, idque ad morem Hebraeorum, qui ob

penuriam, qua laborant, Nominum adiectivorum, horum loco Substantiva adhibere solent. Pro *χολη πικριας* apud LXX occurrit (Deuteron. XXIX : 17) *χολη και πικρια*, cui respondet Hebraicum[1] רֹאשׁ וְלַעֲנָה, quod ibi, ut locutio *ριζα πικριας* in Ep. ad Hebraeos XII : 15, tropice dicitur de *pravitate animi*, puta peccatorum veneno infecti. Vox *συνδεσμος* (Vulg. *obligatio*) significat *ligamentum*, et mox *vinculum*. Genitivus *αδικιας* est Genitivus *subiecti* : sua eum iniquitas quasi quibusdam vinculis constrictum tenet; — tantum abest ab integri et probi hominis libertate! Sensus est : Video pervenisse te ad magnam pravitatem, et animum habere peccatorum vinculis undique colligatum.

24. *Respondens*, etc.). *Αποκριθεις* Aor. Pass. pro Aor. Med. Vide Gr. pag. 274. 2, et de usu istius verbi, vide supra, pag. 85. *Μηδεν ὡν ειρηκατε*, per *Attractionem*, pro *μηδεν εκεινων ἁ ειρηκατε*. Intelliguntur autem ea quae Petrus Simoni comminatus fuerat. Haec vere quaenam fuerint, Lucas non expressit. Et probabile est, etiam Ioannem comminatum fuisse Simoni, quum is utrumque alloquatur : *quae dixistis*, inquit. Emphasin habet Pronomen *ὑμεις* iunctum Imperativo *δεηθητε*. Verbum *δεομαι* alias construi solet cum Genitivo; quare putem, *δεηθητε προς τον Θεον* hic *praegnanter* esse dictum pro *δεηθητε ευχομενοι προς τον Θεον*. Cf. 2 Cor. XIII : 7. Simon quin territus vere sibi timuerit, non videtur esse dubitandum; sed eum itidem pravitatis suae vere poenituisse, credibile non est, quum, referente S. Irenaeo (Haer. Lib. I, Cap. 20), post discessum Apostolorum multos Samaritanos seduxerit, et a fide Christi averterit.

25. *Et illi quidem*, etc.). Oi *μεν ουν*... (vs. 26)... *Αγγελος δε*

---

[1]) Vox רֹאשׁ de *papavere* dicitur a *capitibus*; confer Nostratium *mankop*; deinde רֹאשׁ de quovis veneno adhibetur. Ad vocem לַעֲנָה quod attinet, haec de *absinthio* dicitur tamquam *herba noxia*.

Particularum μεν et δε usus hic μεταβατικος est, quo, ubi ab una ad aliam orationis vel historiae partem transitur, μεν claudit antecedentia, et δε inchoat sequentia[1]. — Articulus οἱ vicem supplet Pronominis. Vide Gr. pag. 134. 2. Ουν est hic *pergentis* in narrando. Narrat autem Lucas, Petrum et Ioannem, postquam Christianorum animis Evangelicam doctrinam *frequenter inculcassent* (διαμαρτυραμενοι και λαλησαντες), Hiërosolymam fuisse reversos, eòque iter habentes, obiter in multis vicis Samariticae regionis Evangelium praedicasse. Λαλησαντες emphaseos causa iungitur voci διαμαρτυραμενοι (Dep. Med. Particip. Aor.), quae hic significatione ab altera non differt (vid. supra pag. 47). Verbum Medium ευαγγελιζεσθαι, quod alias fere construitur cum Dativo, hic iungitur cum Accusativo, ut et Luc. III : 18. Act. VIII : 40; XIV : 21; XVI : 10, et 1 Petr. I : 12.

26. *Angelus autem Domini locutus est ad Philippum*, etc.). Angelus Philippum, ut videtur, *vigilantem* allocutus est; puta voce sensibili in assumpto corpore. Et vero, si *dormienti* Philippo illa angeli apparitio contigisset, Scriptura verbo id significasset. Cf. Matth. I : 20; II : 12, 13, 19, 22. Act. Ap. X : 3. Ανασθητι, *surge*, praemittur voci πορευου (*vade*) ex noto illo Hebraismo, quo verbis, quibus inest notio *aggrediendi* aliquid, praemittitur simile verbum. Sic 2 Regum VIII : 1 legere est : קוּמִי וּלְכִי, *surgito et ito*. Ergo ex αναστηθι (*surge*) confici nequit, factam fuisse illam vocem ad *dormientem* Philippum.

Vade contra meridianum). Puta, solem; i. e. *versus meridiem*; επι την ὁδον, valet Gallicum *sur la route*. Sensus est : ingredere viam, qua Hiërosolymis descenditur Gazam. Sed in Graeco textu ipsa via dicitur *descendere*, καταβαινειν. *Gaza* (עַזָּה), Philistaeorum quondam urbs, sita erat versus fines terrae Israë-

[1]) Vide Hoogevenium, p. 342.

liticae australes. Eversa fuit ab Alexandro Iannaeo (Fl. Ioseph. Antiqq. XIII : 13) circa annum 96 ante Christum natum, sed aliquot annis post a Gabinio instaurata (Fl. Ioseph. Antiqq. XIV : 5). *Via* (ὁδος) quae hic dicitur καταβαινουσα απο Ἱερουσαλημ εις Γαζαν, vulgo creditur per Hebronem fuisse ducta. Quod additur αυτη εστιν ερημος (Vulg. *haec est deserta*), id quidem habeo pro historica quadam parenthesi, Lucae tribuenda. Videntur autem haec verba referenda esse non ad remotius την ὁδον, sed ad vicinius Γαζαν. Scilicet paulo ante obsidionem Hiërosolymorum Gaza denuo devastata fuerat[1]; qua ex clade nondum surrexerit, quo tempore scribebat Lucas. Hic ergo parenthesi illa historica (αυτη εστιν ερημος) obiter notare voluerit, Gazam illam, de qua sermo erat, suo tempore fuisse devastatam, nec habitatam.

27. *Et surgens abiit, et ecce*, etc.). Hebraeus scripsisset : וַיָּקָם וַיֵּלַךְ וְהִנֵּה. Vide supra ad vs. 26. Vocem ιδου, sequente Nominativo absque Verbo Finito, elliptice dictam puta pro *ecce adest*, aut *aderat*, prout contexta oratio postulat. Cf. Matth. III : 19. Luc. XIX : 20; XXII : 38, 47, et 2 Cor. VI : 2.

vir Aethiops, eunuchus, potens Candacis, etc.). Graeca vox *eunuchus* (ευνουχος), ab ευνη *cubile* et εχω[2] derivata, proprie dicitur de eo qui cubile curat vel custodit, qui cubiculo praefectus est, *cubicularius* est. Quod officium quum ab eviratis praestari soleret, ευνουχος denotabat etiam spadonem sive *eviratum*, eoque sensu haec vox occurrit apud Matthaeum Cap. XIX : 12. « Evirati

---

[1]) Flav. Ioseph. de B. J. Lib. II. Cap. XVIII : 1. Αντεσχε δε ουδε Σεβαστη ταις ὁρμαις αυτων, ουδε Ασκαλων· αλλ' επι ταυταις πυροποληθεισαις, Ανθηδονα και Γαζαν κατεσκαπτον. h. e. « Eorum incursibus (scil. Iudaeorum) neque Sebaste resistebat, neque Ascalon; sed cum eas flammis vastassent, Anthedona et Gazam funditus everterunt. »

[2]) Verbum εχω in istiusmodi vocibus compositis potestatem habet verborum φυλαττειν, επιμελεισθαι, κηδεσθαι. Vide Fischeri *Prolusiones de vitiis lexicorum Novi Testamenti*. Prolus. 21. IV.

autem, quod ad h. l. notat Kuinoëlius, cum in Oriente variis, etiam gravissimis muneribus praeficerentur, et esse solerent intimae admissionis ministri, regum consiliarii, hinc factum est, ut vox ευνουχος etiam denotaret *ministrum aulicum* eumdemque *eviratum*, et latiori significatu sumta *ministrum aulicum* non eviratum. Sic Putiphar, qui tamen uxorem habebat, Genes. XXVII : 36 a Septuaginta vocatur σπαδων Φαραω, et Genes. XXIV : 1 ευνουχος Φαραω, ubi Chaldaeus habet רַבָּא דְפַרְעֹה, *dynasta Pharaonis*, non autem סְרִיסָא, quo Chaldaei alias de tali utuntur. » Aethiops ille hic dicitur δυναστης Κανδακης, h. e. *magistratus Candacis reginae*, sive *minister primarius*. Quare, ne idem bis dicatur, vox ευνουχος hoc loco dicta videtur non de *ministro aulico*, sed *de spadone;* qui tamen non putandus sit Candacis *cubicularius*, quum mox dicatur fuisse eiusdem *thesaurarius* (ὁς ην επι πασης της γαζης αυτης). Iudaeus-ne an gentilis fuerit, disputatur. Certe fieri potuit ut esset gentilis, non tamen idololatra, sed unius veri Dei cultor; ut gentilis erat ille centurio, nomine Cornelius (infra Cap. X), aut quales erant gentiles illi, de quibus sermo est Ioh. XII : 20. Cui sententiae non obstat quod dicit Baronius, scilicet hoc tempore nondum fuisse Gentibus apertum ingressum in Ecclesiam, sed demum post visionem illam, quae B. Petro contigit, quamque Lucas refert infra Cap. X. Nam ad hoc responderi potest cum Lintrensi, « licuisse iam inde a Christi resurrectione annunciare Evangelium, etiam Gentibus, iuxta mandatum Domini Matth. XXVIII, et Marci XVI. Sed quia idem Dominus Salvator volebat initium doctrinae de Christo, quae Evangelium dicitur, fieri Hiërosolymis, deinde per reliquam Iudaeam et per Samariam, ut patet ex Lucae Cap. ult. et Act. 1, ideirco hoc tempore, quo acciderunt ea quae hic narrantur, Apostoli nondum Gentilibus Evangelium communicaverant, multo minus eos in Ecclesiam receperant, an diutius eos Iudaeis solis vacare vellet Deus, incerti, usque dum B. Petro illa visio fuit

exhibita, de qua Cap. X. At Philippus Diaconus istum Dynastam Aethiopem docuit fidem Christi et baptizavit, non exspectato Apostolorum mandato, ut neque tenebatur exspectare; quoniam ab Angelo Domini et a Spiritu Sancto peculiare eius rei mandatum acceperat. » Aethiopia quae hic dicitur, intelligenda est Aethiopia superior, quae Meroë vocabatur. Κανδακη autem nomen erat ea aetate omnibus Aethiopum reginis commune, ut docet Plinius Hist. Nat. VI : 35. Cf. Rosenmuller *Bibl. Alterthumskunde* Vol. III, p. 346. sqq. 358, sq. — Pecuniam regiam Persae *gazam* vocabant; sed Persica ea vox lapsu temporis in Graeciam, atque hinc in Latium transiit. In locutione ὸς ην επι nulla est vocis τεταγμενος aut similis Ellipsis. Vide Bernhardy, pag. 247.

Venerat adorare in Ierusalem). Graece est : ὸς εληλυθει, *qui venerat*. Vocem ὸς interpres noster non legit. Sensus patet : et ecce aderat ibi obvius Philippo Aethiops quidam, eunuchus, Reginae Candacis minister primarius, omni eius gazae praepositus, qui Hiërosolymam venerat adoraturus, indeque jam domum revertebatur (ην ὑποστρεφων, *hij was op zijne terugreis*) in curru suo vectus, occupatusque in legendo librum Isaïae Prophetae. — Προσκυνειν et Hebraicum הִשְׁתַּחֲוָה in libris sacris cum universe dicitur de *colendo* et *venerando Deum*, tum nonnumquam speciatim de ea adoratione, quae cum oblato sacrificio coniuncta est. Cf. Genes. XXII : 5. Ev. S. Ioh. Cap. IV : 20, et Lucam Brugensem ad h. l.[1]. Atque eo sensu vox προσκυνειν hoc loco sumenda videtur. Poterant autem illa sacrificia, quae *holocausta* vocantur, non alia, in templo Hiërosolymitano etiam a Gentilibus offerri. Videsis Bru-

---

[1]) Recte Maldonatus ad h. l. « Quod autem, *inquit*, dicit mulier *adoraverunt*, eam intelligit *adorationem*, quae cum sacrificiis, ceterisque publicis ac solemnibus ceremoniis coniuncta erat. Nam Deum orare... et Samaritanis, et Iudaeis, ubique licebat :... offerre autem sacrificia... extra Hiërosolymitanum templum non licebat, sic Deo iubente Deuter. XIV : 23, 24, et XXVI : 2. Eum enim locum Deus elegerat, ut ibi nomen suum invocaretur, ut Scriptura loqui solet. 1 Paralip. XVII : 12, et XXII : 6, et 2 Paralip. VI : 6.

gensem in Ev. Ioh. ad Cap. XII : 20, et Seldenum *de iure naturae et Gentium iuxta disciplinam Hebraeorum*. Lib. 3, Cap. 4 et 7.

29. *Dixit Spiritus Philippo*). Sentit Salmeronius, *Spiritum* (το πνευμα) qui hic dicitur, eumdem esse cum eo qui supra (vs. 26) vocatus fuit *Angelus Domini*. In qua sententia fuisse etiam S. Cyrillum Hiërosolymitanum, dicit Lorinus (ad h. l.); verùm errat; nam Cyrillus (Catechès. XVI, 6) voces το πνευμα hoc loco ad Spiritum Sanctum refert. Si eumdem illum angelum hic indicare voluisset sacer noster historiographus, scripsisset, ut mihi videtur, ειπε δε ὁ αγγελος. Quid enim causae sit cur, quem modum angelum vocaverat, nunc Spiritum nominaret? Itaque sentio, intelligendum hic esse Spiritum Sanctum, qui per internam inspirationem aut mentale verbum, ut infra Cap. XIII : 2, et XVI : 6, 7, Philippum iusserit ut accederet, seque ad Eunuchi currum adiungeret.

30. *Accurrens autem*). Graece προσδραμων, *quum accessisset* tam prope, ut audire posset legentem, ex iis quae Aethiops legebat (vs. 32) mox intellexit, librum Isaïae Prophetae ab ipso evolvi. Cui Philippus : ἆρα γε γινωσκεις, inquit, ἁ αναγινωσκεις, h. e. *intelligis-ne quae legis?* Qua interrogatione Philippus significabat, obscuriora nec ita plana esse quae Aethiops legebat, unaque se illi interpretem offerebat. In locutione αρα γε γινωσκεις ἁ αναγινωσκεις elegans quaedam est Paranomasia, qualis est etiam 2 Cor. III : 2. — Particula ἆρα (*num*) in prosa oratione ibi fere usurpatur, ubi responsio exspectatur negans id, de quo fuit interrogatum. Vide Gr. pag. 509. *Adnot.* 2. et Hermannum ad Vigerum, pag. 823. Particula γε hic fere valet Nostratium *wel*, si dicam : *begrijpt ge wel wat ge leest?*

31. Ingenue fatetur Aethiops, se minime posse assequi sensum

eorum, quae legebat, nisi doctior quis hunc illi declaret. Quare Philippum rogat, hic ut velit se illi praestare doctorem. — Notat ad hunc locum Hugo Grotius : « Non putabat, *inquit*, tam perspicuam ubique esse Scripturam et expositum omnibus habere sensum, ut nunc faciunt non sellularii tantum, sed et feminae; qui rectius facerent, si duce sibi opus esse agnoscerent. » Particula γαρ in locutione πως γαρ αν δυναιμην infert *causam* subauditae negationis ad quaestionem Philippi; q. d. *intelligis-ne quae legis? Non intelligo; nam* (γαρ) *quomodo haec intelligere possim* (αν δυναιμην), *nisi quis*, etc. Cf. Luc. XXIII : 22; Ioh. VII : 41.

32. *Locus autem Scripturae quam legebat*, etc.). Graeca verterem : *locus autem Scripturae, quem legebat.* Vox περιοχη saepius quidem occurrit eo sensu, ut valeat idem ac ὑποθεσις, quod de *argumento* alicuius libri dicitur; sed et *de loco* aliquo scriptoris nonnumquam dictam fuisse vocem περιοχη, non videtur posse negari. Cf. Henr. Steph. in Thes. ad h. v. et Valckenarium ad h. l. Legebat autem Aethiops Isaïae Cap. LIII : 7, 8. Qua vero lingua hanc scripturam legerit, certo dici nequit. Isaïae locus ut hic Graece a Luca recitatur, ita plane legitur in versione Septuagintavirali. Sermo autem ibi est, Philippo ipso interprete, de eo quem Propheta vocat *servum Dei* (עֶבֶד יְהוָֹה), i. e. de Messia venturo, et quidem de morte quam hic innocens perpessurus esset pro redimendo humano genere.

Tamquam ovis — os suum). Hebraica Isaïae verba sunt : כַּשֶּׂה לַטֶּבַח יוּבָל וּכְרָחֵל לִפְנֵי גֹזְזֶיהָ נֶאֱלָמָה וְלֹא יִפְתַּח־פִּיו, quae liberius reddita ita sonant : *sicut ovis ad iugulationem ducitur nullam vocem edens, et sicut agna, cum tonditur, tacet, ita ille os suum non aperit.* לִפְנֵי גֹזְזֶיהָ est *coram tondentibus eam;* quem Pluralem LXX scite per Singularem (του κειροντος αυτου) reddiderunt. Scilicet Pluralis hoc loco, quemadmodum et Genes. XXI : 7, inservit non ad indicandam *pluralitatem* tonsorum, sed

ad significandum in universum *hoc genus* hominum. Particula ו in Apodosi (וְלֹא) post כ in Protasi (כַּשֶּׂה) vim habet *comparativam*[1]. Particula ו post כ hoc sensu occurrit etiam Proverb. X : 25, 25, et Isaïae VIII : 23. *Subiectum* verbi יִפְתַּח est Messias, sive ille עֶבֶד יְהוָֹה (*servus Dei*), de quo Propheta vaticinatur; nam si antecedens רָחֵל esset Subiectum verbi יִפְתַּח, quum רָחֵל sit Femini Generis, scribendum fuisset וְלֹא תִפְתַּח פִּיהָ. Vox נאלמה est 3 Pers. Fem. Sing. Praet. formae *Niktal*, et propter *Atnach* scribitur נֶאֱלָמָה pro נֶאֶלְמָה. Notio formae *Niktal* hic reflexiva est (*elle se tait*[2]). Praedicatum, quod exprimitur per vocem נאלמה:, Grammatice quidem ad רָחֵל (*agna*), sed vi parallelismi etiam ad שֶׂה referendum est.

sine voce). Graece αφωνος, puta εστι, *est*. Videntur LXX vocem נאלמה habuisse pro Participio Fem. *Niktal*. — Pro *aperuit* in Graeco est in Praesenti : ανοιγει, *aperit*.

33. *In humilitate... vita eius*). Est hic Isaïae Capitis LII versiculus octavus[3], sed non integer. Forsitan Philippus legentem interrupit, antequam versiculum absolvisset. Hebraice integer sic legitur : מֵעֹצֶר וּמִמִּשְׁפָּט לֻקָּח וְאֶת־דּוֹרוֹ מִי יְשׂוֹחֵחַ כִּי נִגְזַר מֵאֶרֶץ חַיִּים מִפֶּשַׁע עַמִּי נֶגַע לָמוֹ : h. e. *Per*[4] *oppressionem*[5] *et iudicium* (i. e. *per oppresso-*

---

[1]) S. Hieronymus, ut mihi videtur, non omnino recte hunc locum reddidit; nam ita Hebraica vertit : *sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum.* — Vox *obmutescet* non de *Messia* dicitur sed de *agno*.

[2]) Quam falso hoc Isaiae vaticinium interpretati sint Iudaei et nonnulli exegetae recentiores, non est huius loci enarrare.

[3]) Praeteritum נֶאֱלָמָה, et pariter formas יוּבָל et יִפְתַּח reddidi per verba Temporis Praesentis; quod cur fecerim, dicere longum sit, nec huius loci est.

[4]) Praepositio מִן ter in hoc versiculo dicta est de *causa unde*, i. e. *per quam* aliquid fit, ut Genes. IX : 11, מִמֵּי הַמַּבּוּל, *per aquas* (ex aquis) *diluvii*. Latini sic adhibent Praepositionem *ex*. Sic Cicero dixit (*Font*. 8) *inimicum esse alicui ex civilibus studiis atque obtrectatione domestica*.

[5]) Verbum עצר Chaldaice (vid. Genes. XL : 11, et Iudic. VI : 38), Syriace (Iudic. VI : 30), et Arabice (Sur. XII : 36) dicitur *de premendo*; atque haec

rium iudicium, per[1] Hendiadyn) *raptus est* ad supplicium[2]; *sed ad coaevos eius quod attinet*[3] *quis est qui secum reputet quod e terra viventium excidebatur* (e vivis tollebatur) *ob peccatum populi mei*[4], *percussus pro ipsis*[5]. Atque hoc modo praesentem locum, sane quam difficilem, intelligendum esse putem.

Vulgatae nostrae auctor S. Hiëronymus illum Isaïae locum sic reddidit : *De angustia, et de iudicio sublatus est : generationem eius quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium, propter scelus populi mei percussi eum.* Ex quibus liquet, S. Hiëronymum Hebraica non aliter legisse, quam nunc in Codicibus leguntur; nam quod dicit *percussi eum*, per haec verba liberius reddere voluerit voces Hebraicas נֶגַע לָמוֹ, vocem autem לָמוֹ sumpsit non pro לָהֶם, *ipsis*, sed pro לוֹ, *ipsi*, quod fieri potest. Vide Dissertationem meam, supra citatam, pag. 89.

mihi videtur *primaria* eius verbi notio; *secundariam* vero dicerem esse in *coercendo*, *continendo*; et posteriori hoc sensu verbum עָצַר in Scriptura Hebraica frequenter legitur; sed non occurrit ibi, quod sciam, in notione *premendi*. Videtur tamen haec *premendi* vel *opprimendi* notio subiicienda esse Substantivae voci עֹצֶר, quae hic, et iterum Psalm. CVII (Vulg. CVI) vs. 39 occurrit. In posteriori hoc loco LXX vocem עֹצֶר reddiderunt per θλῖψις, per quam vocem alibi (1 Reg. XXII : 27; Ps. LXV : 10; Ezechielis Cap. XVIII : 18) reddunt vocabula Hebraica לַחַץ *oppressio* et עֹשֶׁק *oppressio*.

[1]) Ideo putem Hendiadyn hic esse agnoscendam, quia vox מִשְׁפָּט, *iudicium*, per se non distincte exprimit, *quale* iudicium sit intelligendum, aequum-ne an iniquum. Similis Hendiadys est in hoc Ierem. XXII : 3 : עֲשׂוּ מִשְׁפָּט וּצְדָקָה *facite iudicium et iustitiam*, h. e. iudicium iustum.

[2]) Puta לֻקָּח elliptice dictum esse pro לֻקָּח לַמָּוֶת, ut plene legitur Prov. XXI : 11 : הַצֵּל לְקֻחִים לַמָּוֶת, *eripe eos qui rapiuntur ad mortem.*

[3]) De locutione וְאֶת־דּוֹרוֹ quam reddimus : *sed ad coaevos eius quod attinet*, vide quae scripsimus in libello nostro cui titulus : *Dissertatio Theologica, qua sententiam vulgo receptam, esse Sacrae Scripturae multiplicem interdum sensum litteralem, nullo fundamento satis firmo niti demonstrare conatur* I. Th. Beelen. Lovanii, 1845, pag. 86—90.

[4]) i. e. *ob peccata nostra* מִפְּשָׁעֵנוּ ....מֵעֲוֺנֹתֵינוּ, ut dictum fuerat antecedenti versiculo quinto.

[5]) Hebraice est נֶגַע לָמוֹ, quod ad litteram valet : *percussio ipsis*, i. e. *pro ipsis;* nam לָמוֹ mihi est Dativus commodi. Sed putem, abstracti vocem *percussio* (נֶגַע) dictam esse pro voce concreti נָגוּעַ *percussus*, quae ipsa vox ab Isaia adhibita fuerat supra, versiculo quarto, ubi Messias vocatur נָגוּעַ מֻכֵּה אֱלֹהִים, *afflictus*, *percussus a Deo.*

Quod vero attinet ad Graecam huius loci versionem, verba *εν τη ταπεινωσει αυτου η κρισις αυτου ηρθη* indicant Graecum Interpretem[1] Hebraica legisse ita : מעצרו משפטו לקח ; scilicet ea aetate sacer contextus sine punctis vocalibus scribebatur, atque etiam ita, ut passim continua serie sine intermedio spatio voces conscriberentur. Iam fac, accidisse ut culpa librarii ex duabus *Mem* vocis ממשפט altera omissa fuerit in exemplari quo usus est Interpres Graecus; tum hic legerit continua serie hoc modo : מעצרומשפט, quae intellexerit ita dividenda esse ut pronuntiaverit מעצרו משפט. Pone vero etiam, iam tum factum fuisse, quod deinceps factum est, ut nempe ad explendum vacuum lineae spatium[2] appicta fuerit nota cuiuspiam litterae, v. g. *Wav*, quam[3] interpres ille habuisset pro Affixo vocis משפט; hoc si ponas, certe modum indicaveris quo fieri potuerit, ut Graecus interpres verterit *ἡ κρισις αυτου*. Sed enimvero fatendum est, parum verisimile videri,

---

[1]) Etsi Graeca Bibliorum versio integra vulgo vocari solet versio Septuaginta-viralis, tamen ea denominatio strictiori sensu non nisi ad Pentateuchum pertinet; nam in confesso est, non eosdem fuisse Pentateuchi, et reliquorum sacrorum librorum interpretes. — Belga doctissimus, Pater Smitius, de versione illa Alexandrina erudite scripsit in variis suis Prolegomenis, ubi et professus est (Prolegom. Pentateuchi 173, p. 94), *se cellularum seu domuncularum historiam, mirabilem illum interpretum consensum, et, qui inde consequitur, peculiarem Divini numinis afflatum, cum Hieronymo omnino reprobare*. Respiciebat Smitius S. Hieronymi Prologum in Genesin, ubi hic inter alia haec scribit : « *Et nescio*, inquit, *quis primus auctor Septuaginta cellulas Alexandriae mendacio suo exstruxerit, quibus divini (interpretes) eadem scriptitarent, quum Aristaeus eiusdem Ptolemaei* ὑπερασπιστης, *et multo post tempore Iosephus, nihil tale retulerint, sed in una basilica congregatos, contulisse scribant, non prophetasse. Aliud est enim vatem, aliud esse interpretem; ibi Spiritus ventura praedicit, hic eruditio et verborum copia, ea quae intelligit, transfert. Nisi forte putandus est Tullius Oeconomicum Xenophontis, et Platonis Protagoram, et Demosthenis pro Ctesiphonte afflatus rhetorico spiritu transtulisse.* »

[2]) In Scriptura Hebraica initium lineae semper ducitur ab integra voce; nuspiam vero vocem dividunt Hebraei, ut partem eius unam linea una, alteram altera habeat.

[3]) Puta in eius exemplari voces hoc modo fuisse exhibitas :

ו מעצרוממשפט . . . .
. . . . לקח

ea omnia accidisse, quae posuimus. Quidquid sit, nolim dicere Graeca : *εν τη ταπεινωσει αυτου ἡ κρισις αυτου ηρθη*, omnino respuere sensum, quem Hebraicis בְּעֹצֶר וּמִמִּשְׁפָּט לֻקָּח subiecimus; nam Graeca reddi forte possunt : *in*[1] *oppressione*[2] *eius*, *sententia eius* (condemnatoria) *extorta fuit*[3]. — Reliqua pars Alexandrinae versionis hujus versiculi sic legitur : *την δε γενεαν αυτου τις διηγησεται, ὁτι αιρεται απο της γης ἡ ζωη αυτου, απο των ανομιων του λαου μου ηχθη εις θανατον*. Quae verba Graeca dici possunt referre sensum contextus Hebraici, si illa hoc modo reddere volueris : *quod autem attinet ad coaetaneos ipsius* (*την δε γενεαν αυτου*[4]), *quis eorum dicturus est : tollitur de terra vita eius, ad mortem ductus est ob iniquitates populi mei*[5].

34. *Respondens autem*, etc.). Cum in curru Aethiopi adsedisset Philippus, hunc ille sic affari *coepit* (*αποκριθεις*. Vide supra ad vs. 24) : Obsecro te, inquiebat, de quonam Isaïas hoc (*sicut ovis*, etc.) dicit? De se ipso, an vero de alio quopiam? — Scilicet traditione notum erat[6], Isaïam prophetam sub Manasse crudeliter necatum interiisse. Hoc autem noverit etiam Aethiops ille; quare Philippum rogat, an forte illo loco (*sicut ovis*, etc.) Isaïas de se suaque morte loquatur.

---

[1]) Legerit בעצר pro מעצר, ut 1 Sam. (1 Reg.) VI : 20 pro לעמד *stare* posuit διελθειν, adeoque legerat לעבר.

[2]) Ταπεινωσις dici potuit de oppressione quam quis patitur; sic dicitur (Deuter. XXVI : 7) de oppressione Israëlitarum in Aegypto : *και ειδε την ταπεινωσιν ἡμων και τον μοχθον*. Cf. etiam Psalm. IX : 13.

[3]) Αιρεω de *rapiendo*, inclusa notione violentiae, dicitur, v. g. Luc. XI : 22.

[4]) Accusativus est *absolutus*, qualis occurrit etiam Ecclesiastici Cap. XL : 2. Cf. Hoogeveenium ad Vigeri Cap. III, Sect. 1, IX, a fine. De notione, quae hoc loco subiicienda sit vocabulo *γενεα*, disputavimus in Dissertatione supra (p. 184) citata, pag. 86—88.

[5]) Graecus hoc loco Hebraica liberius transtulit.

[6]) Testimonia antiquorum non pauca, quae ad hanc rem faciunt, collegit Wetstenius ad Cap. XI : 37 epistolae ad Hebraeos.

35. *Aperiens autem*, etc.). Ab illo Isaïae effato exorsus (απο της γραφης ταυτης αρξαμενος) Philippus, Aethiopem docuerit, sermonem ibi esse non de propheta ipso, sed de Messia; et quae de illo ibi fuerant praedicta, ea ad amussim in Iesu Nazareno fuisse adimpleta; quibus addiderit illa, quae praeterea Aethiops edocendus erat de Iesu persona et doctrina.

« Formulae ανοιξαι το στομα αὐτου (Matth. V : 2), επαραι την φωνην αὐτου (Act. II : 14), επαραι τους οφθαλμους αὐτου (Ioh. IV : 35), εκτειναι την χειρα (Matth. VIII : 3), addita verbis *tangendi*, et *videndi*, et *loquendi*, quemadmodum et verba πορευθηναι Matth. II : 8), ελθειν (Matth. XIV : 33), απελθειν (Matth. XIII : 46), ὑπαγειν (Matth. XIII : 44), προσελθειν (Matth. XV : 11), αναστηναι (Marc. VII : 24), λαβειν (Matth. XIII : 33) addita verbis et formulis actionem quamdam corporis et animi declarantibus, vi omni carent, neque adeo indicant magnitudinem cupiditatis studiique eorum, qui *loqui*, *cernere*, *tangere*, *agere*, aliquid dicuntur, ut grex Lexicographorum imperitus clamat. « Haec Fischerus in *Prolusionibus de vitiis Lexicorum novi Testamenti*. Prolus. IX, pag. 223, sq.

36. *Et dum irent*, etc.). Gr. επορευοντο in Forma Media (*comme ils s'acheminaient*) κατα την ὁδον, *langs den weg*, venerunt επι τι ὑδωρ, *ad quamdam aquam*, puta scaturientem e fonticulo quodam; de quo vide Euseb. *de locis Hebraicis*, ad vocem Βεδσουρ. *En adest aqua* (ιδου ὑδωρ. Vide supra ad vs. 27), inquit, quid obstat quo minus hac aquae opportunitate utar ad recipiendum baptismum? — Patet hinc, Eunuchum a Philippo cum de aliis edoctum fuisse, tum etiam de necessitate baptismi. Quem cum a Philippo peteret, una implicite profitebatur, fidem plenam se habere iis quae ab illo fuerant credenda ipsi proposita.

37. *Si credis ex toto corde, licet*, etc.[1]). i. e. si integro corde, nec ficta fide credis ea, quae a me edoctus es, nihil obstat quominus statim baptizeris. — Respondet Aethiops : Credo, inquit, Iesu Christi divinitatem, eumque esse Filium Dei profiteor. — Notat ad hunc locum Cornelius a Lapide : « Multa alia, *inquit*, credenda sunt, ut quis digne suscipiat baptismum, ut mysterium S. Trinitatis, Ecclesia Catholica, remissio peccatorum, resurrectio carnis, et cetera, quae Symbolo Apostolico continentur. Quare dubium non est, ea evangelizasse Philippum, et credita esse ab Eunucho. Praecipuum ergo articulum de Christi divinitate dumtaxat hic nominat Lucas, et sub eo ceteros intelligit; quia is unus toti orbi erat novus et pene incredibilis; eum ergo ubique prae ceteris praedicabant et inculcabant Apostoli. Similiter non est dubium, Philippum exegisse, et Eunuchum exhibuisse signa doloris et contritionis de peccatis admissis. Hic enim dolor requiritur ante baptismum, ut quis sit capax remissionis eorumdem et iustificationis. » Cf. S. Aug. Lib. 1, *de fide et operibus*, Cap. 8 et 9.

38. *Descenderunt uterque in aquam*). Ex his colligi posse videtur, Eunuchum *per immersionem*, ut aiunt, baptismum suscepisse. Ceterum, modus conferendi baptismum res est merae dis-

---

[1]) Var. lect. Versiculus 37 integer abest a Codd. ABCGH, multisque Minusculis. Nec legitur in versionibus antiquis, Copt. Sahid. Aethiop.; nec lectus fuit a S. Chrysostomo et Theophylacto. Integer vero legitur, sed cum aliqua varietate lectionis, in Cod. E (Cod. D hac parte mutilus est; et Cod. F non nisi pauca quaedam sacri contextus fragmenta continet), et in Minusculis non paucis, quos recenset Scholzius. Legitur item in versionibus antiquis, Itala, Syriaca (cum asterisco), Vulgata, Armenica, Slavonica, et Arabica, quae edita est in Waltonii Bibliis polyglottis. Porro versiculum hunc in suis codicibus legerunt SS. Irenaeus, Cyprianus et Pacianus, quorum verba citat Sabatierius (ad h. l.). Legerunt pariter Oecumenius et V. Beda (vid. Sabat. ad h. l.). Quare nolim habere versiculum illum pro interpolato; praesertim quum speciem glossematis cuiuspiam nullatenus referat. Talia enim sunt quae hoc commate dicuntur, ut dramatice referant rem gestam ab Eunucho et Philippo. Atqui eiusmodi non sunt, quae cognoscuntur, glossemata.

ciplinae, adeoque variationi subiecta. Videsis erudite hac de re tractantem Perronium, in suis Praelect. Theolog. Vol. VI *de Baptismo*, Cap. 1, Proposit. 2; item doctissimi Binterimii *Denkwurdigkeiten*, I Band, 1 Theil. p. 105, sqq.

39. *Spiritus Domini rapuit Philippum*). Intelligimus, Philippum nulla sua, sed Spiritus Sancti opera e loco ubi erat et ex oculis Aethiopis abreptum fuisse in Azotum. Modum, quo id factum sit, Lucas distincte non refert. Graeca επορευετο γαρ Interpres noster reddidit : *ibat autem*. Ego vero an Particula γαρ uspiam eam notionem habeat, vehementer dubito. Winerus[1] praecipit, voculam γαρ hoc loco reddendam esse per *enim;* vult autem, *causam* hic dari, *cur* Philippum Aethiops amplius non videret. Atqui falsum hoc est; nam contexta oratio docet, Philippum ideo non amplius visum fuisse ab Aethiope, quia Philippus abreptus fuerat ex oculis Aethiopis, non vero quia Aethiops, relicto Philippo, coeptum iter continuavit. Ut mihi videtur, Particula γαρ hic valet (γουν) *igitur;* vide supra ad Cap. IV : 34. Itaque sensus sit : *Aethiops amplius non vidit Philippum; continuabat igitur iter suum*. Επορευετο (vid. supra, p. 187) την ὁδον. Isocrates sic dixit: μακραν ὁδον πορευεσθαι. De Accusativo hoc loco videsis Kühnerum, § 554.

40. *Philippus autem inventus est*, etc.). Gr. εὑρεθη, *werd be-*

---

[1]) Ait (§ 57, pag. 533, edit. 5) : « *Act.* VIII : 39 *enthalten die Worte* επορευετο γαρ *offenbar die Ursache, warum der Kämmerer den Philippus nicht mehr sah.*

In eamdem sententiam scribit Heinr. Aug. Meyer (Kommentar über das N. T ad h. l.) : *Gleich nach der Taufe eilte Philippus unwillkürlich, vom heil. Geiste getrieben, ohne Weiteres von seinen Täufling hinweg. Aber von einem unsichtbaren Entführtwerden (etwa durch die Luft) enthält der Text nichts; denn das* ουκ ειδεν αυτον ουκετι ὁ ευνουχος *wird sehr bestimmt dadurch begründet* (επορ. γαρ), *dass der Eunuch seine Reise fortsetzte, also nicht dem hinwegeilenden Lehrer nachfuhr, welcher deshalb aus seinem Gesichte verschwand.*

vonden te zyn; nisi forte dicendum sit, Aor. Pass. hic habere notionem Medii (Vide Gr. pag. 266. 3, et pag. 274. 2); tum vero vertendum foret : *hij bevond zich*. De praepositione εἰς vide quae notavimus in Ep. ad Philipp. ad Cap. II, vs. 11, pag. 68. Ἄζωτος אַשְׁדּוֹד Ios. XIII : 3) a Gaza distabat 34 milliariis. Vide *Relandi Palaestinam*, p. 706, sqq. Inde, ex Azoto, inquam, Philippus more humano perrexit Caesaream Palaestinae, interea temporis Ioppae, et in ceteris civitatibus omnibus quas transibat (διερχόμενος), Evangelium praedicans, donec veniret Caesaream Palaestinae, quo in loco domicilium suum habuisse videtur (Act. XXI : 8).

CAPUT NONUM.

Argumentum. Non satis habet Saulus, Hiërosolymis vexasso Christianos, sed etiam alibi in eos saevire statuit. Itaque petitis a summo Iudaeorum Pontifice epistolis delegatoriis, Damascum pergit, Christianos ibi commorantes persecuturus, vs. 1-2. Sed quum iam non procul abesset ab ea civitate, ad Iesu illi apparentis vocem ferox homo deiicitur, et derepente, mirabiliter in eo operante divina gratia, ex saevissimo persecutore Christi, discipulus fit Christi, vs. 3-7. Illo iubente, Saulus ingreditur Damascum; ubi ad eum divinitus mittitur Ananias, a quo baptizatur, vs. 7—19. Et qui Damascum iverat Christum persecuturus, Damasci Christo initiatus, Damasci palam ac libere mox Christum praedicat Iudaeis, vs. 19—23. Sed quum ibi deinceps populares sui increduli consilium iniissent ut eum per insidias interficerent, ille, Damasco aufugiens, manus eorum evadit, vs. 23—26. Hiërosolymam deinde profectus, primum quidem suspectus ibi habetur a coetu Christianorum; sed postquam Barnabas Apostolis exposuisset quae in Saulo gesta erant, is mox familiariter cum fratribus versatur, vs. 26-29. Interea Hiërosolymae cum Iudaeis Hellenistis de nova religione disputat; sed hi invicto disputatori necem machinantur; quare a fratribus deducitur Caesaream, hinc Tarsum profecturus, vs. 29, 30. Describitur porro laetus Ecclesiae in Iudaea, Galilaea et Samaria status, vs. 31. Petrus eo tempore varias regiones peragrans, novellos Christianorum coetus pastor vigil invisit; qua occasione Lyddae paralyticum quemdam, Aeneam nomine, sanitati restituit; et in vicina urbe Ioppa Tabitham a morte ad vitam revocat; ex quibus miraculis res Christiana Lyddae, Ioppae, et per Saronae campos, magnum capit incrementum, vs. 32-42. Petrus Ioppae hospitio exceptus apud opificem quemdam coriarium, nomine Simonem, aliquamdiu ibi commoratur, vs. 43.

1. *Saulus autem adhuc spirans minarum*, etc.). Transitur (δὲ) ad historiam conversionis Sauli. Quamquam Iesu discipuli Hiëro-

solymae gravissima quaeque perpessi fuerant, flagella, inquam, carceres, mortem denique ipsam (cf. Cap. VIII : 1; XXII : 4, 5; XXVI : 9—12), operam ad hoc praestante imprimis Saulo; tamen vel sic nondum exsaturatum erat odium eius in Christianos; sed *adhuc* (ετι) ex ferociente suo pectore minas caedemque adversus (εις) eos anhelabat. — Graecum εμπνεω nunc de *inspirando*, nunc de *adspirando* dicitur. Est etiam, ubi Compositum hoc εμπνεω accipitur pro Simplici πνεω (vide Henr. Steph. in Thes. ad h. v.), quod et in praesenti loco factum esse putem. Itaque εμπνεων mihi valet *spirans*, h. e. *anhelans*, quo sensu Cicero dixit (Cat. 2, 1) : *Catilina anhelans scelus;* et alibi (Auct. ad Her, 4. 55) : *anhelans ex imo pectore crudelitatem*. Eodem modo Graeci verbum πνεω passim cum Accusativo construunt. Sic Theocritus dixit : φονον πνεοντες; et Euripides : θυμον εκπνεων. Sed in istiusmodi oratione πνεω etiam construitur cum Genitivo, quem *genitivum materiae* vocant Grammatici. Vide Kühnerum § 527. Sic Aristophanes dixit (Equit. 435) : κακιας και συκοφαντιας πνει. Alia exempla legere est apud Wetstenium (ad h. l.). Belgice hic dicerem : *Saulus nu, nog steeds bedreiging en moord ademende, ging tot den Hoogepriester, en*, etc. — Duo Participia εμπνεων et προσελθων ponuntur hic asyndetice; de qua Syntaxi, Graecis sat frequenti, vide Gr. pag. 575. 3, et Kühnerum, § 676. Participium προσελθων pendet hic ab εμπνεων tamquam effectus a sua causa : *quia* etiamnum anhelabat caedem, *ideo* Pontificem adiit, et petiit, etc.

2. *Et petiit ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas*, etc.). Gallice diceres : *des lettres pour Damas* (εις Δαμασκον) *aux* (*chefs des*) *Synagogues* (προς τας συναγωγας) *de cet endroit*. Intellige epistolas a summo Pontifice eodemque praeside Synedrii[1], totius huius collegii nomine datas, ad praefectos Synagogarum Damascenarum;

[1]) Vide Ackermanni Archaeol. § 238.

ex quibus litteris liqueret, Saulum a toto Synedrio Damascum fuisse ablegatum, atque hujus auctoritate et iussu ibi esse acturum; cui adeo praefecti Synagogarum, sicubi res id postularet, opem ferre deberent. Cf. Act. XXII : 5; XXVI : 12. Summo Iudaeorum pontificatu eo tempore fungebatur aut Caiaphas, aut huius in eo munere successor Ionathan; nam sumimus, conversionem Pauli incidisse in annum trigesimum septimum post Christum natum[1]. « *Damascus* Hebraice דַּמֶּשֶׂק, civitas antiquissima (Genes. XIV : 15; XV : 12), et celeberrima[2], sita erat in planitie amoenissima et fertilissima inter Libanum et Antilibanum, in ea Syriae parte, quae in libris sacris Syria Damascena (אֲרַם דַּמֶּשֶׂק) a Strabone (Lib. XVI, p. 1095) Coelesyria (Κοιλησυρια, *Syria cava*) appellatur.

ut si quos invenisset, etc.). Litteras illas delegatorias Saulus petiverat *in eum finem, ut si* (ὅπως ἐαν) quos deprehendisset *esse huius sectae* (τῆς ὁδοῦ οντας), sive viros sive mulieres, in hos manus iniicere posset, vinctosque deducere Hiërosolymam, ibi tamquam patriae religionis desertores et hostes a Synedrio iudicandos et supplicio afficiendos. — Vox ὁδος (*via*) Metaphorice hic dicitur de via quam quis in re religiosa inivit, hoc est, de religione quam quis amplexus est, cuiusque instituta sequitur. Ὁδος de *Religione Christiana*, quo significatu hic sumitur, iterum dicitur infra, Cap. XIX : 9; XXII : 4. Hebraei hoc sensu usurpabant vocem דֶּרֶךְ, *via*. Et licet, mea quidem sententia, Hebraismum agnoscere in usu huius vocabuli, quamquam vox ὁδος

---

[1]) Cf. Hug. Einleitung in die Schriften des N. T. Edit. IV, p. 278. — Flav. Joseph. Antiqq. XVIII : 4.

[2]) « Haec urbs, regibus nunc suis usa, nunc Davidis, nunc Ieroboami Secundi, nunc Assyriorum, Babyloniorum, Persarum, Seleucidarum, Romanorum imperio subiecta, Pauli vero tempore ab Areta, rege Arabiae eodemque socero Herodis Antipae expugnata, tantam habuisse dicitur Iudaeorum multitudinem, ut Iosephus (B. I. II : 55), Nero imperante, a Damascenis Iudaeorum decem millia, collecta forte in thermis publicis, trucidata esse narret. » Wahl in Clavi N. T. ad h. v.

apud recentiores Graecos etiam de *secta* dicta fuit. Sic Lucianus scripsit (apud Kuinoëlium ad h. l.) : *ἁπασης ὁδου πεπειραμενος εν φιλοσοφιᾳ*, *omnes philosophorum sectas expertus*. Articulus in *της ὁδου* non est Demonstravi Pronominis loco positus, verum *definite* notat viam, quam unice hic cogitaverit Theophilus, ad quem scribit Lucas. Locutio *ειναι τινος ὁδου* refert Nostratium loquendi modum, quando dicunt : *ik ben van dat gevoelen;* aut Gallorum, v. g. in hoc : *ceux qui sont de la Religion prétendue réformée.* « Scilicet verbum *ειναι* cum Genitivo, ut notat Hoogeveenius (ad Vig. Cap. V, Sect. VI, XII), generaliter fere notat *possessionem* vel propriam vel metaphoricam; et is cui servimus, gratias debemus, adhaeremus, cuius verbis adducimur vel partes sequimur, *illius* esse dicimur. »

Colligitur ex iis quae hoc versiculo dicuntur, etiam Synagogas extra Iudaeam positas Hiërosolymitani Synedrii iurisdictioni fuisse subiectas. Et noverit Synedrium, Aretam regem, cui tunc temporis parebat Damascus[1] (2 Cor. XI : 32), non prohibiturum quominus Saulus, quae in mandatis haberet, exsequi posset. Aretas ille filiam suam Herodi Antipae matrimonio iunxerat; ex quo nonnulli coniecerunt, hunc Aretam fuisse Iudaeorum proselytum. De iure damnandi capitis in re religiosa Iudaeis sub imperio Romanorum relicto, diximus supra, p. 210. — Credibile est, Christianos Damascenos ex eorum fuisse numero, qui Hiërosolymae, die Pentecostes ad Petri concionem commoti, suscepto baptismo Christo fuerant initiati. Vide supra Cap. II : 9—11 et 41.

3. *Contigit ut appropinquaret Damasco*). Gr. *Εγενετο αυτον εγγιζειν τη Δαμασκῳ*. Damascus Hiërosolymâ distabat itinere quin-

[1]) Quo iure et quo tempore Damascus ditionis Arabicae facta fuerit, disquirit Cellarius in Dissertatione *De amoenitatibus historicis et geographicis ex itineribus S. Pauli Apostoli collectis*. Legitur in Thesauro Ugolini, tom. VII, p. 1183.

que dierum. Εγενετο dicitur *impersonaliter*, ut a Latinis *accidit ut*. Et construitur εγενετο cum Infinitivo et Accusativo, ut Marc. II : 23; Luc. III : 21, et in hoc libro frequenter, v. g. infra vs. 32. In praesenti loco εγενετο fere sensu caret. Pro εγγιζειν τινι τοπῳ, ut dicitur hic, alibi (Matth. XXI : 1. Marc. XI : 1) occurrit εγγιζειν εις τινα τοπον. — De conversione Sauli, quae hic narratur, sermo iterum est infra Cap. XXII : 4-22, et Cap. XXVI : 9-20, quae loca hic conferenda sunt. Saulum itineris sui in Damascum comites habuisse, adeoque plures adfuisse testes eorum quae illi prope Damascum acciderunt, ex serie narrationis colligitur. Vide infra, vs. 7, 8, et Cap. XXII : 9, 11; XXVI : 13, 14. Acciderunt autem ea quae hic narrantur circa tempus meridianum. Vide Cap. XXII : 6, et XXVI : 13.

et subito circumfulsit eum lux de coelo). Derepente (εξαιφνης, *ex improviso*) in plena meridie illum lux *coelitus* (puta ex superiore aëre) *delapsa* (απο του ουρανου) circumfulsit, Graece περιεστραψε. Pro Verbo περιαστραπτειν est infra, Cap. XXVI : 13, Verbum περιλαμπειν. Utrumque valet Nostratium *omstralen*. Erat autem illa lux *copiosa, ingens*, ικανος (Cap. XXII : 6), tantaque, *ut splendorem solis superaret* (Cap. XXVI : 13); nec ea unum Saulum, sed et comites eius simul circumfulgebat (ibid.). Putamus autem, lucem hanc non esse aliam intelligendam, quam eam quae irradiabat a glorioso corpore Christi, qui se corporaliter praesentem tunc conspiciendum Saulo praebebat[1]. Neque enim dubitandum est, quin Christus corporaliter ad terram descenderit, ut se Saulo ostenderet; hoc enim, ut videbimus, tota series narrationis disertissime docet; imo Paulus ob id quod sibi Damascum eunti accidit, resurrectionis Christi testem se appellat in priore ad Corinthios (Cap. IX : 1, et XV : 8). Rectissime S. Thomas (Sum. 3.

---

[1]) Cf. Corn. a Lap. ad h. l., et S. Thom. Sum. 3. p. q. 45. Art. 1, 2, 3; q. 54. Art. 1, 3.

p. *q*. 57. Art. VI, ad 3) » : *Et ne quis credat*, inquit, *hoc* (scil. quod Saulo in via Damascena contigit) *factum fuisse, non Christo ibi corporaliter praesente, sed aliqualiter apparente, contrarium apparet per hoc quod ipse Apostolus dicit Iª ad Corinth. XV, ad confirmandam resurrectionis fidem :* Novissime[1] omnium tamquam abortivo visus est et mihi. *Quae quidem visio veritatem resurrectionis non probaret, nisi verum Christi corpus visum fuisset ab eo.*

4. *Et cadens in terram*). Graece και πεσων, h. e. *et collapsus in terram;* haud dubie ob ingentem illam lucem terrore perculsus, indeque viribus destitutus. Nec vero Saulus tantum, sed et comites eius universi ad fulgurantem eam lucem humi prostrati sunt, ut ipse Saulus narrat (infra Cap. XXVI : 14). Nec pugnat cum hoc, quod infra (vs. 7 huius capitis) de Sauli comitibus dicitur ειστηκεισαν εννεοι, *stabant stupefacti;* nam profecto potuerunt prolapsi, mox in pedes resurrexisse. Quamquam dubitari forsitan potest, an in hac locutione : ειστηκεισαν εννεοι, Verbum ειστηκεισαν eam vim habeat ut necessario connotet *statum erectum* attonitorum. Certe Nostrates ubi dicunt *zij stonden verbaasd*, nihil attendunt, utrum attoniti stantes sint, nec-ne.

audivit vocem dicentem sibi). Series narrationis indicat, Saulum Iesu ad se loquentis prius vocem audivisse quam speciem vidisse. Nempe fulgurantis istius luminis ictu veluti percussus, clausis jacuerit oculis, quos ad vocem Iesu illum alloquentis iam ad se rediens aperuerit, apertosque in loquentem direxerit. Tum ergo loquentem ad se Iesum oculis suis adspexit, ut ipse de se testatur; nam (I Cor. XV : 8) se annumerat inter illos qui corporeis suis oculis

---

[1]) Verba haec Apostoli referri nequeunt, nec ad visionem illam, quae illi oblata fuit Hiërosolymae in Templo oranti (Act. XXII : 17), nec ad eam, de qua sermo est in 2 ad Corinth. XII : 2—4. Cf. Estium ad 1 Corinth. XV : 8.

Iesum Christum redivivum vidissent : *Novissime autem omnium*, inquit, *tamquam abortivo visus est et mihi* (ωφθη καμοι); et alibi (ibid. Cap. IX : 1) exclamat : *Nonne*, inquit, *Christum Iesum Dominum nostrum vidi?* Ad haec, ipse narrat (infra Cap. XXII : 14), Ananiam ita sibi dixisse : *Deus patrum nostrorum praeordinavit te, ut cognosceres voluntatem eius, et videres Iustum, et audires vocem ex ore eius.* Atqui noluit profecto Paulus referre alterius aliquod de se dictum, quod falsum esse sciret. Denique Barnabas, qui ex ipso Sauli ore didicerit quae illi contigerant, Apostolis narravit, ut refert Lucas (Cap. IX : 27), *quomodo Saulus in via vidisset Dominum.* Tandem quod Lucas de Sauli comitibus dicit (vs. 7), eos nempe *vocem quidem audivisse, neminem autem vidisse*, hunc profecto sensum habet, ut significetur, Iesum a Paulo quidem fuisse conspectum, a ceteris vero non item. Nec est cur quis hic obiiciat, fieri non posse ut, si Saulus Iesum viderit, eumdem pariter non viderint Sauli comites. Nam, quod supra (ad Cap. VII : 55) iam monuimus, testatur Daniel (Cap. X : 7) simile quid sibi accidisse : *Vidi*, inquit, *ego Daniel solus visionem; porro viri, qui erant mecum, non viderunt.*

Sed dicat quis : si Saulus reapse oculis suis corporeis Iesum vidit dum hic ad eum loquebatur, qui fit ut statim post illum sermonem Saulus dicatur *suos aperuisse*[1] *oculos;* nam si tum demum eos aperuit, clausis oculis huc usque fuerat; quod si hoc, nec potuit *vidisse* Iesum. Deinceps autem non vidit, quum *postquam aperuisset oculos* dicatur fuisse coecus; ergo omnino non vidit.

Ad haec respondemus : Verba (vs. 8) ανεωγμενων δε των οφθαλμων αυτου ουδενα (ουδεν) εβλεπε non esse reddenda : *cumque ape-*

---

[1]) Ita Henr. Aug. Meyer (Kommentar über das N. T.) ad verba Cap. IX : 8: ανεωγμενων δε των οφθαλμων. Ad quae verba notat haec : « *Also*, inquit, *hatte Saulus mit* verschlossenen *Augen seit der Erscheinung des Lichtglanzes* (vs. 4) *auf der Erde gelegen*; — *ein Beweis das keine* äussere *Erscheinung der Person Iesu statt gefunden hatte.* »

ruisset oculos suos, neminem (nihil) vidit; sic enim Graece scribendum fuisset : *ανοιξας δε τους οφθαλμους αυτου*. Verum sensus est : *quamquam aperti (et non clausi) erant eius oculi, tamen neminem (nihil) vidit.* Ergo tantum abest ut Saulus hic dicatur clausis iacuisse oculis dum eum Iesus adloquebatur, ut potius contrarium affirmetur. Itaque apertos in Iesum oculos suos direxit Saulus dum duravit illud eum inter et Iesum colloquium. Factum autem est ut, quem primum statim viderat, mox amplius non videret, caligantibus nempe eius oculis ob vehementiam illius lucis, quae a glorioso Iesu corpore irradiabat[1]. Atque ita rem accidisse, Saulus ipse sat perspicue nos docet; nam qui de se dixerat se Iesum vidisse, idem affirmat (Cap. XXII : 10, 11) se sub finem colloquii ob *fulgorem illius lucis* amplius non potuisse videre, et opus habuisse aliquo, qui se ad manum deduceret Damascum. Sauli comites, ut non audierunt vocem Iesu loquentis (Cap. XXII : 9), ita nec viderunt loquentem (Cap. IX : 7), adeoque nec durante illo colloquio perculsi eorum oculi fuêre ingenti illa luce, quae a glorioso Iesu corpore continuo irradiabat; illorum oculis, inquam, ea lux visibilis fuit tantummodo primo statim momento apparitionis; quando nempe unà cum Saulo ad istius fulgorem humi prostrati sunt. Atque hinc intelligitur causa, cur illico exsurgere potuerint (infra vs. 7), nec laesis oculis, ut Saulus, ab illa visione recesserint[2].

---

[1]) S. Chrys. Hom. XIX in Act. Ap. : Πασχει δε και τας οψεις, διοτι ἡ ὑπερβολη του φωτος πληττειν ειωθε. h. e. « *Laborat autem oculis, qui nimia lux laedere solet.* »

[2]) Meyer, ut supra (vid. p. 194) iam diximus, negat, Iesum Saulo corporaliter apparuisse, aut ab eo visum fuisse. Ut autem habeatur specimen aliquod recentissimae apud Protestantes exegeseos, iuvabit hic referre, quem sensum idem Meyerus subiicere velit narrationi S. Lucae de Sauli conversione. « *Die Bekehrung des Saulus*, inquit (ad Cap. IX : 3), *erscheint bei genauer Beachtung der drei in den Hauptmomenten* (!) *harmonischen Relationem* (Cap. IX, XXII, XXVI) *als bewirkt durch eine das höhere Selbstbewusstsein* (?) *des Mannes geschehene Manifestation des erhöheten Jesus, welche geistige* (!) *Manifestation äusserlich von der ausserordentlichen Erscheinung eines himlischen Lichtglanzes verherrlicht und in ihrem überwaltigenden Eindrucke sinnlich unterstützt wurde... Das licht*

audivit vocem dicentem sibi : Saule, quid me persequeris)? Ex Cap. XXVI : 14 discimus, Iesum allocutum fuisse Saulum *lingua Hebraica*, τῇ Ἑβραΐδι διαλέκτῳ, puta dialecto Aramaica Palaestinensi, quae in libris sacris Novi Testamenti passim (Ev. S. Ioh. V : 2; XIX : 13, 17. Act. XXI : 40; XXII : 2) lingua Hebraica vocatur; eaque loquendi ratio observatur etiam in Talmude, et in scriptis Flavii Iosephi. Hebraea autem tunc vocabatur dialectus illa Aramaica, quia nempe haec Hebraeorum tunc proprius erat sermo[1]. — *Quid* (τι=ἵνα τι, *cur*), *me persequeris!* q. d. : in quo laesi te, ut sic me persequaris? « Caput pro membris clamabat, ait S. Augustinus (in Ps. 40), et membra in se transfigurabat. » Et S. Bernardus (Serm. de conversione S. Pauli, apud Corn. a Lapide) : « Quid me persequeris? *inquit.* An non persequebatur Christum, qui Christi membra trucidabat in terris? An vero persecuti sunt Christum, qui sacratissimum illud corpus crucis

---

vom Himmel, welches heller als die Sonne (XXVI : 13) *ihn plötzlich umstrahlte, war kein Blitz..., sondern eine ausserordentliche Lichtglorie, welche, als äusseres* σημεῖον *des dem Geiste* (!) *des Saulus zur Anschauung kommenden Jesus, aus der himmlischen Welt, dem Sitze des verklärten Jesus-Geistes* (!), *herniederflos. Diese* δόξα *kündigt sich sogleich dem Bewusstsein des Saulus als das an, was sie ist, als Zeichen himmlischer Erscheinung. Er fällt erschrocken nieder, als einer, welcher von einer Theophanie oder Angelophanie umfangen ist. Ietzt ergeht nun die Manifestation an seinen innern Menschen* (!); *sein geistiges* (!) *Ohr, berührt von der Einwirkung des erhöheten Jesus, vernimmt die bestimmte Rede : Saul, Saul, was verfolgst du mich? und zugleich ist die Anwesenheit einer höhere Persönlichkeit* (?) *seinem Geistigen Auge* (!) *anschaulich,... während sein körperliches von jenem ausserordentlichen Lichtglanze geblendet* (!) *ist. Er fragt : Wer bist du, Herr? und nun vernimmt er im geistigen Sinne* (!) *des höheres Bewusstseins wieder : Ich bin Jesus, u. s. w. —* »

[1]) De Rossi linguam tunc temporis in Palaestina usitatam, vocat Chaldaicam aut Syro-Chaldaicam. Quae denominatio recta-ne sit nec-ne, hic inquirere non vacat. Ceterum facit cum nobis. « *Ora*, inquit, *per qual altra ragione viene da' sagri scrittori della nuova Alleanza col titolo di ebraica chiamata la lingua caldea o siro-caldea, se non perche era la lingua propria allora e famigliare degli Ebrei? Questa e la ragione che ne assegna il Walton, e la sola che io vegga potersi assegnare verosimilmente.* » Vide eius *Dissertazioni della lingua propria di Cristo e degli Ebrei nazionali della Palaestina da' tempi de' Maccabei; del Dottore Giambernardo de Rossi.* » Parma 1762, p. 127.

affixère patibulo; et non persequebatur eum, qui adversus corpus eius, quod est Ecclesia, odio furebat iniquo?

5. *Qui dixit : Quis es Domine*)? Saulus ubi vocem audivit dicentem sibi : *Quid me persequeris*, subitanea illa luce perstrictus, non statim satis discernit, quem videt. Itaque ignorans quis sit is, qui eum alloquitur, timidus sciscitatur : *Quis es*, inquit, *Domine?* Quod dicit *Domine*, non est hoc urbanitatis vox, sed cuiusdam reverentiae, quam praesens terror ab eo expresserit.

Et ille : Ego sum Iesus, quem tu persequeris). Iam dixerat illi Iesus : *Quid me persequeris?* Quae verba erant exprobrantis. Respondens vero Paulo sciscitanti, quis esset qui eum alloquebatur, denuo Iesus illi crimen suum exprobrat, responso suo : *Ego sum Iesus*, adiiciendo : *quem tu persequeris*. Nam, ut mihi quidem videtur, illorum verborum sensus hic est : *Ego sum Iesus Nazarenus, is, inquam, quem tu persequeris.*

Durum est tibi contra stimulum calcitrare). Verba sunt minantis : *Minatur his verbis medicis* (inquit S. Ambrosius (ap. Lor. ad h. l.), *sed ut corrigat; terret, ast ut curet*. Ceterum est in hac oratione proverbialis locutio apud Hebraeos, Graecos, et Latinos usurpata de iis, qui contra eos reluctantur, quos vincere nequeunt, atque ita sibi ipsis magis nocent. Oratio autem metaphorica est, ducta nempe a bobus, qui eum a bubulco acuto stimulo excitantur ut citius gradiantur, si recalcitrare velint, altius punguntur. Rem docet Scholiastes ad verba Pindari (Pyth. II : 173) : Ποτι κεντρον δε τοι Λακτιζεμεν, τελεθει Ολιστηρος οιμος, h. e. *Contra stimulum vero calcitrare est lubrica via;* ad quae verba haec notat : Ἡ δε τροπη, inquit, απο των βοῶν· των γαρ οἱ ατακτοι κατα την γεωργιαν κεντριζομενοι ὑπο του αρουντος, λακτιζουσι το κεντρον και μαλλον πληττονται. i. e. *Metaphora ducta est a bobus, quorum qui segniores sunt in arando, ab aratore stimulati contra stimulum calcitrant, atque ita adhuc magis punguntur.*

Itaque sensum verborum : *durum tibi*, etc. statuimus hunc : *Nocivum tibi est* (nocet tibi), *Saule, tua haec contumacia!* Putamus enim, id quod verba *contra stimulum calcitrare* metaphorice etiam innuunt, Sauli animum, antequam Iesus illi appareret, iam crebris interioris gratiae divinae motibus excitatum fuisse ut a proposito desisteret; quibus tamen motibus ille minime obtemperaverit, sed contra restiterit. Atque hoc sibi velle videtur etiam Salmeronius (Tract. XXIX in Act. Ap.), ubi proverbialem illam locutionem ad Saulum applicans haec scribit : « *Scilicet Paulus*, inquit, *et ipse interna inspiratione iam stimulabatur, ut quem Iesus coepisset intus urgere antequam faceret vim tantam; ille vero calcitrabat et contradicebat, et porro ibat executurus, quod susceperat. Quare addita est et exterior vis, sed quae minime libertati officeret.* »

6. *Et tremens ac stupens*, etc.). Ad vocem illam et maiestatem Iesu praesentis et minantis, Saulus, prae metu deficiente illi vitali calore, *tremebat*, et simul *stupebat* cum viventem videret, quem a mortuis resurrexisse credere nolebat. Sic ergo corpore animoque comparatus, divinâ gratiâ cum per externam illam apparitionem, tum per internos motus animo ipsius allatos eum *excitante*, Saulus ad obsequium Christi divina gratia *adiutus* libere[1] convertitur; et qui modo Christum persequebatur, nunc sese illi submittens exclamat : *Domine! quid me vis facere?* Quae verba sunt hominis sponte ac libere alteri se obedientem praestantis. Atque ita reapse

---

[1]) Erudite de hac locutione agit Andreas Schottus in libro quem inscripsit: *Adagialia Sacra Novi Testamenti Graeco-Latina*. Antverpiae 1629, pag. 96, sq. Videsis etiam Grotium ad Act. XXVI : 14.

[2]) S. Chrys. Hom. IV. De laudibus S. Pauli; in Ed. Montfauc. T. 2, pag. 492. Συ δε ακουων ταυτα, μη αναγκαστην την κλησιν ειναι νομιζε· ουδε γαρ αναγκαζει ὁ Θεος, αλλ' αφιησι κυριους ειναι προαιρεσεων και μετα την κλησιν. h. e. *Tu vero haec audiens, noli vocationem istam necessitatem putare. Non enim Deus homines cogit vocando, sed post vocationem quoque permittit eos propriarum esse dominos voluntatum.*» Cf. etiam Hom. *De mutatione nominum* III. Ibid. p. 127, sq.

Sauli animum tunc comparatum fuisse cum se Christo submitteret, Saulus ipse diserte testatus est, quando coram Agrippa causam suam agens (Cap. XXVI), exponensque quae sibi in via Damascena accidissent, profitetur *se non fuisse inobedientem* (ἀπειθής) *coelesti visioni;* quo ipso significat, se libere hoc fecisse, nec sibi defuisse negandae obedientiae potestatem. Itaque falso Calvinus : *Saulus*, inquit, *qui sponte ruebat contra Christum, nunc* INVITUS *ad obsequium* COGITUR. Praeclare Stapletonius noster in suis *Antidotis Apostolicis* (ad h. l.) Calvinum docet gratiae Dei et liberi arbitrii coöperationem. « Verum quidem est, *inquit,* in hac admirabili unius Pauli conversione efficacissimam apparere Dei gratiam, et quamdam violentiam adhibitam fuisse ut converteretur... Sed haec violentia liberam Pauli electionem et liberum pulsanti gratiae assensum nulla ex parte laesit... Tota illa vox Christi foris audita, et tota interna divini Spiritus pariter loquentis inspiratio atque persuasio, nihil aliud erat quam excitans et praeveniens gratia, solius Dei eiusque ineffabilis misericordiae opus... Haec operatur sine nobis ut velimus, non autem operatur sine nobis ipsum velle, sive cum volumus. Quod his verbis docet Augustinus (De Gratia et libero arbitrio, Cap. 17) : *Deus ut velimus operatur incipiens, qui volentibus coöperatur perficiens... Ut ergo velimus, sine nobis operatur* (haec est praeveniens et excitans gratia, ipsaque vocatio tam externa quam interna); *cum autem volumus, et sic volumus ut faciamus, nobiscum coöperatur : tamen sine illo operante ut velimus, vel coöperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* Vides, S. Augustinum sic ponere operantem, praevenientem, et vocantem Dei gratiam, ut non tollat, sed pariter disertissime ponat gratiam nobiscum coöperantem. Non ergo Papistae (ut garrit hoc loco Calvinus) nos (*homines*) coöperari divinae gratiae fingunt, sed maximus divinae gratiae praedicator Augustinus nos divinae gratiae coöperari, manifestissime docet. Quare haec Pauli de coelo vocatio, erat gratia operans sine

Paulo ut vellet in Christum credere eique obedire, non eum persequi. Sed vox illa Pauli iam credentis et volentis, qua dixit : *Domine, quid me vis facere,* erat vox Pauli coöperantis gratiae Dei; nec sola operantis gratiae[1], nec sola Pauli vox[2]... Gratia praeveniens, quae non nisi a futuro effectu efficax gratia est (nam gratia adiuvans sive coöperans, a qua Calvinus semper abhorret, est in ipsa actûs productione, sive in ipso conversionis aut alterius cuiusque boni operis actu), non tantum natura, sed et tempore interdum hominis coöperationem seu conversionem praevenit. Unde sequitur, a praeveniente gratia, quantumcumque efficaci, humanam voluntatem non determinari, sed liberam relinqui. Quidquid enim voluntatem formaliter determinat, sive in malum, sive in bonum, non potest esse ipso actu voluntatis prius, nisi prioritate naturae; inquantum videlicet a tali principio ille actus procedit. Nam actus voluntatis etiam in primo instanti, in quo producitur, sicuti duplex habet principium a quo fit, Dei gratiam et propriam voluntatem, ita a neutro prius quam ab altero, sed ab utroque simul in eodem instanti naturae producitur. Hoc nempe est quod sapienter D. Bernardus scripsit (Lib. de gratia et lib. arbitr.) : *Quod a sola gratia* (praeveniente) *coeptum est, pariter ab utroque* (gratia et libero arbitrio) *perficitur, ut mixtim non sigillatim, simul non vicissim, per singulos profectus operentur, non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragant : totum quidem hoc, et totum illa; sed ut totum in illo, sic totum ex illa.* Haec ille. Talis erat Pauli conversio. A sola gratia coepta est, pariter ab utroque perfecta est. Sola gratia intonuit de coelo : *Saule! quid me persequeris?* Gratia non sola, sed cum Paulo respondit : *Domine, quid me vis facere?* Nec invitus, sed liberrime volens ita respondit. » Haec Stapletonius.

---

[1]) Ut voluit Calvinus. [2]) Ut voluit Pelagius.

7. *Et Dominus ad eum : Surge et ingredere*, etc.). Saulus hactenus humi prostratus iacuerat, ut patet ex vs. seq. et ex Cap. XXVI : 16, ubi illi dicitur : *Exsurge et sta super pedes tuos.* Iam demum in pedes se erigit, iubente Iesu, a quo etiam iubetur ingredi Damascum, auditurus ibi, quid eum facere oporteret. Ex Cap. XXVI : 16 sqq., ubi ipse Saulus narrat quae sibi in via Damascena accidissent, liquet, Iesum ad illa verba : *surge et ingredere civitatem*, etiam haec addidisse : *Ad hoc apparui tibi, ut constituam te ministrum, et testem eorum, quae vidisti, et eorum, quibus apparebo tibi, eripiens te de populo, et gentibus, in quas nunc ego mitto te, aperire oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem, et de potestate Satanae ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, et sortem inter sanctos per fidem, quae est in me.* Quibus verbis Saulus de sua ad Apostolatum electione edocetur. — Vide infra ad Cap. XXVI : 16, sqq.

Viri autem illi qui comitabantur cum eo, etc.). Graece οἱ συνοδευοντες αυτῳ h. e. *qui cum eo iter faciebant*, stabant (vid. supra ad vs. 4, p. 193 et 195) attoniti, graece εννεοι, quod usurpatur de iis, *qui attoniti obmutescunt.* Cf. Valck. ad h. l. Graeco εννεος respondet Nostratium *sprakeloos*, *verstomd.* Causa cur Sauli comites iam in pedes erecti stupenti lingua ibi adstarent, dicitur in his sequentibus : *audientes quidem vocem* (της φωνης), *neminem autem videntes.* Quae Participia resolvenda sunt in verba Finita per *quippe qui.* Igitur causa stuporis in eo erat, quod audiebant vocem Pauli cum aliquo colloquentis, cum tamen viderent neminem quocum colloqueretur. Atque ita S. Chrysostomus haec verba intellexit[1].

---

[1]) Hom. XIX in Act. Ap. « Οἱ δε συνοντες αυτῳ, inquit, την φωνην μεν του Παυλου ηκουσαν, ουδενα δε εθεωρουν, προς ὀν απεκρινατο... τον δε Παυλον ὁρωντες αποκρινομενον, εθαυμαζον. h. e. « *Qui autem cum illo erant, vocem quidem Pauli audierunt, neminem autem viderunt, ad quem responderet... Paulum autem videntes respondentem, mirabantur.*

Et vero infra (Act. XXII : 9) Paulus diserte affirmat, itineris sui comites *lumen quidem vidisse, non vero audivisse vocem eius, qui cum eo loquebatur*. Quare quod hic dicitur *audientes quidem vocem*, nequit hoc profecto ad vocem Iesu referri; superest ergo ut ad vocem Pauli referatur; quasi scriptum hic esset : *ακουοντες μεν της φωνης αυτου*. Hoc vero *αυτου* supplere hic licebit ex illo *αυτῳ*, quod antecessit. Unum addo, scilicet me in libris θεοπνευστοις, qualis est liber Actuum Apostolorum, nullam agnoscere contradictionem, quae quidem ab ipsorum auctoribus profecta sit. Sed, quod ad praesentem quaestionem attinet, non putem, facile fieri posse ut vel profanus quispiam historiographus in libello parvae molis, et quidem in referendo insigni aliquo facto, rem unam eamdemque aliter atque aliter narret, sibique adeo contradicat.

8. *Surrexit autem Saulus*, etc.). Gr. ηγερθη in Aor. Pass. cum notione *reflexiva*, ut ἁγνισθητι infra Cap. XXI : 24. Cf. Matthiä, § 496. 3. Saulus quum oculos haberet apertos, tamen nihil videbat; ast (δε) comites eius *manu illum ducentes* (χειραγωγουντες αυτον) in urbem introduxerunt. Confer hic quae supra notavimus ad vs. 4.

9. *Et erat ibi tribus diebus non videns*, etc.). Commorabatur Damasci in domo Iudae cuiusdam (vs. 11); duravit autem eius caecitas donec Ananias miraculose eam curavit (vs. 17, 18), scilicet ad triduum. Eo temporis spatio Saulus ab omni cibo et potu

Eodem modo et Ammonius (in *Caten. Graeca in Act. Ap. recentissime primum edita ab J. A. Cramer, Oxonii. Graece tantum, p.* 151) locum illum intellexit :

Και την φωνην του Παυλου, inquit, ηκουσαν οἱ συνοντες αυτῳ, ουδενα δε εθεωρουν προς ὁν απεκρινατο. Hoc est : *Vocemque Pauli audiebant qui cum eo erant, neminem vero videbant quicum loqueretur*. Atque hanc interpretationem etiam Didymo placuisse video in Catena Gr. supra cit. p. 153.

abstinuit. Et facile credimus Chrysostomo affirmanti[1], Saulum tres illos dies in ferventissima precatione exegisse. Creditur etiam hoc triduo ab ipso Christo edoctus fuisse Evangelicam doctrinam; qua de re ad Galatas (Cap. I : 12) scribens : *Neque enim*, inquit, *ab homine accepi illud* (Evangelium) *neque didici, sed per revelationem Iesu Christi*[2]. De Particulis μη et ουκ in hoc Versiculo videsis. Gr. pag. 488. 1 et 491. 4.

10. *Erat autem Damasci quidam discipulus*, etc.). i. e. *Christianus* aliquis, nomine Ananias (חֲנַנְיָה). Is dicitur infra (Cap. XXII : 12) *vir secundum legem testimonium habens ab omnibus cohabitantibus Iudaeis*. Quibus verbis Ananias ille describitur tamquam vir, cui Iudaei Damasceni universi testimonium praeberent vitae inculpatae. Ex iisdem verbis etiam colligimus, Ananiam ex Iudaeo factum fuisse Christianum. Ceterum non improbabilis quorumdam coniectura est, Ananiam illum fuisse sacerdotem, qui Damascenorum Christianorum curam gereret[3].

et dixit ad illum Dominus (Iesus) *in visu*, etc.). Gr. εν ὁραματι, de quo vide quae dicimus infra ad Cap. X : 3. — *Ecce ego* refert Hebraicum הִנֵּנִי, nisi quod in eo Pronomen in *Accusativo* cogitandum est. Sensus est : *praesto sum*, paratus ad peragenda quae iubere tibi placuerit.

---

[1]) Hom. XIX in Act. Ap. : Κατεγινωσκεν, inquit, ἑαυτου επι τοις γινομενοις, εξωμολογειτο, ηυχετο, παρεκαλει τον Θεον. h. e. « *Sua gesta damnabat, confitebatur, orabat, rogabat Deum.* »

[2]) S. Chrys. Hom. XX in Act. : Τι δηποτε, inquit, ουδενα των κορυφαιων αποστολων ουτε εκαλεσεν, ουτε απεστειλε προς την του Παυλου καθηχησιν; ότι ουκ εχρην δι' ανθρωπων εναγεσθαι, αλλα δι' αυτου του Χριστου, επει και ούτος (Ananias) εδιδαξεν μεν αυτον ουδεν, εβαπτισε δε μονον. « *Cur neminem ex Coryphaeis apostolis vocavit vel misit ad Pauli institutionem? Quia non oportebat illum per homines, sed per ipsum Christum institui. Nam hic* (Ananias) *nihil ipsum docuit, sed tantum baptizavit.*

[3]) Videsis Baron. ad an. Chr. 36, § 1. Lorin. ad h. l.

11. *In vicum, qui vocatur rectus*). Gr. επι την ρυμην (plateam) την καλουμενην Ευθειαν, *quae* a viae rectitudine vulgo dicitur *platea Recta* (de regte straat); *et quaere*, graece ζητησον, quod hic valet Nostratium : *en* VRAAG *in het huis van Judas* NAAR *den zich noemende Saulus*. Σαυλον ονοματι, *quemdam nomine Saulum*, patria Tarsensem (Ταρσεα). Cf. Act. XXII : 3.

Ecce enim orat). Non latebat Ananiam (vid. infra, vs. 13, 14), quis esset Saulus ille Tarsensis, et quam saevus Christianorum persecutor. Quam ob rem (γαρ), ne videlicet timeret Ananias Saulum adire, mandato suo Iesus addit : *ecce orat*. Quae verba ob rei circumstantias eum habent sensum, ac si Iesus dixisset : non est idem ille Saulus qui quondam; precibus nunc vacat, non persequendis Christianis. — Quem tamen horum verborum sensum Ananias non statim advertit (vs. 13, 14), quippe timore praeoccupatus ob recentem rumorem (vs. 14) de Saulo persecutore, a Synedrio Damascum ablegato. Adhuc enim ignorabat Ananias, quid Saulo in via Damascena accidisset.

12. *Et vidit*[1] *virum, Ananiam nomine*, etc.), Quae hoc versiculo leguntur, habenda sunt pro parenthesi historica, in qua Lucas narrat, quo tempore Dominus loquebatur ad Ananiam, eodem tempore Saulum εν ὁραματι, *in visione*, fieri vidisse id quod paulo post futurum erat; vidisse, inquam, ad se introëuntem quemdam nomine Ananiam, sibique manus imponentem, quo oculorum usum reciperet. Et factum hoc est in eum finem, ut certior fieret Saulus, Ananiam a Iesu ad se esse missum, secundum id quod Iesus illi dixerat : *ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi, quid te opor-*

[1]) VAR. LECT. Adduntur voces εν ὁραματι *in visione* in Codd. EGH, et in Codd. BC leguntur post ανδρα. Pariter leguntur in Verss. Ital. et Syr.

Voces illas : εν ὁραματι, legerunt etiam S. Chrysostomus, ut patet ex eius commentario (Hom. XX in Act.), item Beda (ap. Sabatier), Oecumenius, et Theophylactus. Tischendorfius eas voces pro glossemate habuisse videtur, nec in contextum recepit; quod mihi non probatur.

teat facere. — Quod Lucas non scripserit : *et vidit* Saulus *virum*, id quidem difficultatem non habet, quum quodnam esset Subiectum huius orationis, in hac serie narrationis nemo ambigere posset. Et vero, si ea quae hic leguntur essent verba Domini ad Ananiam, oratio, opinor, sic conformata fuisset : *et vidit* te *introeuntem*, etc. — Bene hic monet Stapletonius « Illustre, *inquit*, hoc exemplum est visionum, quibus sanctos et electos suos Deus aut consolatur, aut docet, aut etiam salubriter terret, earum rerum species et similitudines illis exhibens seu vigilantibus seu dormientibus, quae aut eodem tempore fieri praecipiuntur atque ordinantur certissimeque futurae sunt, ut in hac visione, vel etiam de facto fiunt, qualia memorat S. Augustinus... Quae omnia ut increduli haeretici et nomine tenùs Christiani aut irrident aut contemnunt, sic ex hac visione, qua Paulo id veluti factum aut potius fieri ostenditur, quod ut fieret eodem temporis momento Deus ordinaverat, eorum incredulitas facile refellitur; nisi forte quod semel Deum fecisse Scriptura commemorat, id a Deo postea identidem fieri nequeat, aut factum esse ex gravissimorum virorum testimoniis credi non debeat[1]. »

13. *Domine, audivi a multis*, etc.). Gr. απο πολλων scil. ανθρωπων. Graeci veteres dicebant εκ πολλων, παρα πολλων, vel πολλων, suppressa Praepositione. » Valck. ad h. l. — Pronum est iudicare, Ananiam de Hiërosolymitana illa persecutione certiorem redditum fuisse aut publica rei fama, aut vel ab aliquo Christiano, qui Hiërosolymâ expulsus Damascum se recepisset. *Sanctis suis*, h. e. iis, qui nomen tuum professi, tibi dicati, sacrati sunt.

Et hic, etc.). ὡδε *hic*, i. e. *in hac civitate*. Sensus est : et venit huc, accepta a Synedrio potestate coniiciendi in vincula (δησαι) quotquot *invocant* (επικαλουμενοι Med.) nomen tuum, h. e. qui te

[1]) Staplet. *in Antidotis Apostolicis*, ad h. l.

Dei Filium et promissum Messiam esse profitentur, et ut talem colunt et adorant. — Dicitur αρχιερεις per Synecdochen pro Synedrio *toto*. Certo quidem dici nequit, quonam modo Ananias edoctus fuerit de concilio, quo Saulus Damascum esset profectus; probabilis tamen coniectura est, rem a Sauli comitibus Damasci divulgatam fuisse, atque ita ad Ananiae quoque aures pervenisse.

15. *Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet,* etc.). Repetit Iesus mandatum suum de adeundo Saulo; et ut ab Ananiae animo omnem metum adeundi Saulum propellat, eumdem edocet, acerrimum illum Christianorum persecutorem, deinceps fore eximium Evangelii praedicatorem, et virum, qui tanta adhuc mala Christianis intulerat, hunc ipsum huius nominis causâ gravissima quaeque esse perpessurum. *Vas electionis* (σκευος εκλογης) i. e. *vas* (instrumentum) *selectum*. Σκευος *vas* (Hebr. כְּלִי) Hebraeis dicebatur etiam *de homine* ad hoc vel illud agendum idoneo. Genitivus εκλογης (*electionis*) est Genitivus *qualitatis*, qui, ex Hebraismo, Adiectivi nominis vicem supplet (*een uitgelezen werktuig*). Per Infinitivum Nominascentem του βασταται (*ad portandum*) indicatur *finis ad quem* adhibendum esset illud *vas electionis*. Vide supra ad Cap. VII : 19. Hic autem finis erat *portare nomen J. C. coram gentibus, et regibus, et filiis Israël;* hoc est, imagine remota, Iesum Christum Messiam praedicare cuiusvis generis hominibus.

16. *Ego enim ostendam illi*, etc.). Nexus orationis, ut mihi videtur, hic est : Vir iste mihi est ad nominis mei propagationem instrumentum selectum; nam permulta mei causa perpessurus est. — Itaque videtur Saulus *ideo* dici instrumentum *selectum*, i. e. eximium, *quia permulta* pro Christiani nominis propagatione constanter esset perpessurus. *Ostendam illi* valet hic : *experientia eum edocebo, experiri faciam.*

17. *Et abiit Ananias... et imponens ei manus dixit : Saule, frater*, etc.). Ex iis, quae hoc versiculo de Anania narrantur, colligitur, plura illi a Iesu dicta fuisse quam vs. 11—16 sunt a Luca commemorata. Cf. etiam Cap. XXII : 14—17. Εις την οικιαν (*in het huis*) scil. Iudae vs. 11. « Quod imponens Paulo manus Ananias dixit : *ut videas et implearis Spiritu Sancto*, ex eo non sequitur, Paulum ex impositione manuum Ananiae Spiritu Sancto repletum fuisse. Sane ex illa impositione manuum Paulum visum recepisse, aperte statim Lucas commemorat; sed quod Spiritu Sancto repletus fuerit, non commemorat. Baptizatum illum statim fuisse, Lucas scribit, et in eo (baptismo) Spiritum S. recepisse Paulum, dubitari non debet. Illa ergo verba, *ut videas, et implearis Spiritu Sancto*, hunc sensum commodissime habent : ut per manuum impositionem videas, et baptizatus Spiritum Sanctum accipias. Sic impositio manuum visum restituit, baptismus Spiritum Sanctum contulit. » Staplet. in *Antid. Apost.* ad h. l. — Ex Cap. XXII : 16 liquet, rerum gestarum ordinem hunc fuisse, ut Ananias per impositionem manuum primum visum Saulo restituerit, deinde vero eum fuerit adhortatus ad baptismum recipiendum. Impositio autem manuum, quae hic commemoratur, eiusmodi est, de qua Salvator dixerat (Marc. XVI : 18) : *Super aegros manus imponent, et bene habebunt*. Credibile est, Paulum unà cum effectu Baptismi accepisse etiam Spiritus Sancti gratiam illam quae confertur per Sacramentum Confirmationis; quemadmodum etiam reliqui Apostoli die Pentecostes sine visibili Sacramento immediate a Deo hanc gratiam acceperant.

18. *Et confestim*[1] *ceciderunt*, etc.). Gr. απεπεσον, h. e. *deciderunt* ab oculis eius ὡσει λεπιδες, *ceu squamulae quaedam*. Tegu-

---

[1]) Var. lect. Vox παραχρημα, *confestim*, non legitur in AB, nec in multis Minusculis. Abest pariter ab antiquis versionibus Syriaca, Copt. Sahid. Armen. Slavon. Forsitan glossema est.

menta, quae visum Paulo obfuscaverant, similes erant squamulis, quibus piscium aut serpentum corpora obteguntur. Fuit haec curatio, ut patet, *instantanea* ad solam manuum impositionem; adeoque dubitandum non est, quin pro miraculosa habenda sit. Saulus quum visum recepisset, *surrexit* e loco ubi caecus adhuc *sederat*, ut iam Ananiae ministerio baptismum reciperet. Nulla hic mentio praeviae institutionis in doctrina Christiana. Nimirum Paulus *non ab homine accepit Evangelium neque didicit, sed per revelationem Iesu Christi* (Galat. Cap. I : 12); et iam tum acceperat et didicerat. Vide supra ad vs. 9.

19-20. *Et cum accepisset cibum, confortatus est*, etc.). Graece *ενισχυσε*, h. e. debilitatas inedia *vires recuperavit*. Verbum *ενισχυω* alibi (Luc. XXII : 43) *transitive* significat, hic vero *intransitive*. — Saulus postquam per aliquot dies conversatus esset cum Christianis Damascenis, protinus (*ευθεως*) ibi coepit Iudaeis in ipsis eorum Synagogis praedicare Iesum Nazarenum, *quod* (*ὅτι*) *is esset Filius Dei*, h. e. asseverando, hunc esse Filium Dei.

Conficitur ex Ep. ad Galatas Cap. I : 17, 18, Paulum post conversionem suam se ex Damasco contulisse in Arabiam, atque inde Damascum fuisse reversum. De hoc vero Pauli in Arabiam itinere Lucas silet[1]. Nec aliunde scitur, quem in finem Paulus tum in Arabiam secesserit, aut quamdiu ibi fuerit commoratus. Ponerem iter illud in Arabiam inter ea quae Lucas refert vs. 21 et quae vs. 22; in qua sententia esse video etiam Windischmannum[2].

---

1) « Idcirco autem Lucas, inquit Ven. Beda (ad Act. IX : 26), Arabiam praetermittere videtur, quòd ibi (Saulus) minime praedicaverit, iuxta quod ipse in sequentibus (Cap. XXVI) Agrippae Regi loquens, ait : *Quia Damasci primum, et Hiërosolymis, et in omni regione Iudaeae, et gentibus praedicabam.* »

2) « *Da von apostolischer Thätigkeit Pauli in Arabiën sich nirgends eine Spur findet, so müssen wir voraussetzen, das diese Reise für Privatzwecke, höchst wahrscheinlich zum Behufe geistlicher Einsamkeit als Vorbereitung zum thätigen Leben unternommen wurde, woher sich dann das Stillschweigen des Lukus erklärt, der nur den*

21. *Stupebant autem omnes qui* (eum dicentem) *audiebant*). Graece εξισταντο (vid. supra ad II : 7), *extra se rapiebantur*. Causa stuporis in eo erat, quod videbant Saulum ex acerrimo Evangelii persecutore subito mutatum esse in ardentissimum eiusdem praedicatorem et propugnatorem. Latebat eos, quid Saulo in via Damascena accidisset. Causa haec stuporis exprimitur in sequentibus :

et dicebant : Nonne hic est, qui expugnabat, etc.). Graece ὁ πορθησας. Verbum πορθεω proprie dicitur de *vastando* agros, aut *expugnando* urbes. Hic vero quum de hominibus agatur, πορθεω eo sensu sumendum est ut notet *perdere, trucidare*, quasi *evertere vitâ;* quo sensu et Sophocles (apud Henr. Steph. ad h. v.) dixit : κεινος γαρ επερσεν ανθρωπους. — Τους επικαλουμενος (vid. supra ad vs. 13) το ονομα τουτο, scil. τον Ιησουν (vs. 20).

et huc ad hoc venit, etc.). Quia oratio incoepta a Participio πορθησας continuatur per Verbum Finitum εληλυθει, ideo non putem, hanc partem pariter *interrogative* esse sumendam; putem vero per *exclamationem* dici : *et huc* (Damascum) *venerat* (εληλυθει plusq. perf.) *in eum finem* (εις τουτο), *ut*, quos hic Christianos deprehendisset, *vinctos adduceret ad Synedrium!* Dicitur επι τους αρχιερεις per Synecdochen de *toto* Synedrio. — De Synedrio videsis quae notavimus supra p. 101.

Saulus autem (δε) *multo*[1] *magis convalescebat*). Particula δε hic est narrationem *continuantis*, ut si Belgice diceres: *Saulus nu*, etc.

Apostolat Pauli in kurzen Umrissen schildern wollte. Dennoch möchte Act. IX : 22, die Stelle zu erkennen sein, wo diese Reise einzuschieben ist; denn es trennt Lukas hier das erste Auftreten des Apostels, von dem er vs. 20 spricht, von seiner weiteren Wirksamkeit zu Damaskus durch eine allgemeine Bemerkung vs. 21 über den Eindruck, welchen Paulus hervorbrachte, was Lukas gewöhnlich zu thun pflegt, wo er über längere Perioden mit Schnelligkeit hinweggeht; ohnedieß sind die ἡμεραι ἱκαναι (vs. 21) *immer bei ihm Bezeichnung einer verhältniszmässig langen Zeit.* » Erklärung des Briefes an die Galater. Von Dr Fr. Windischmann. Mainz, 1843. Pag, 28.

[1]) Var. lect. Pro συνεχεε legitur συνεχυνε in ABCGH et plerisque Minusculis; itaque dubitandum non est, quin lectio συνεχυνε praeferenda sit lectioni συνεχεε.

— Pro *multo*[1] *magis convalescebat* Graece est μαλλον ενεδυναμουτο *magis invalescebat*, quod ob contextam orationem (*et confundebat*, etc.) videtur significare : *animos sumebat continuo maiores*, fiebat continuo animosior, puta, in praedicando Evangelio.

et confundebat Iudaeos, etc.). Gr. συνεχυνε *confundebat*, efficiebat ut animo essent confusi. *Modus quo* id efficeret, exprimitur in sequentibus : συμβιβαζων κ. τ. λ. h. e. *coagmentatione* argumentorum, puta locorum Sacrae Scripturae *probans*, quod (ὅτι) ille Iesus Nazarenus esset Christus (ὁ Χριστος, *de Christus*), h. e. promissus ille Messias. Ergo argumentis suis adversarios eò redigebat, ut nihil haberent quod contradicerent, atque ita, obturato eorum ore, animo starent *confusi*. — « Συμβιβαζειν proprie significat *compingere*, *apta commissura coagmentare*. Primitivum est βαω, *firmiter nitor*, unde βαζω, βιβαζω *facio*, *ut quis firmiter nitatur et haereat*; ξυλα συμβιβαζειν proprie dicitur *faber*, qui ligna decorticata *aptis inter se commissuris compingit*. Atque hoc quidem proprium est et corporeum. Quidquid praeterea huic verbo tribuitur significationum, id omne est figuratum et secundarium, ut quum significat *conciliare amicitiam*... Ubi ad doctrinam transfertur, tum notat in sua amplitudine : *locis rebusve inter se comparatis*, atque *hinc eductis argumentis legitima conclusione inter se nexis evincere et demonstrare*. » Valck. ad h. l.

23. *Cum autem implerentur*). Gr. επληρουντο, quod eum sensum habet ac si dicas; *cum autem praeterlapsi essent dies multi*, h. e. post dies multos. Verbum πληρουσθαι de *completo aliquo temporis spatio* in Graecitate sacra sic adhibetur secundum rationem loquendi Hebraeorum, qui eodem sensu suum מָלֵא intransitive usurpabant; v. g. Genes. L : 3. — Ημεραι ικαναι, *dies*

[1] Illud *multo* tribuendum videtur interpreti, quum in nullo codice legatur πολλῳ μαλλον, neque ulla versio antiqua eam lectionem exhibeat.

multi, qui hic dicuntur, computandi sunt inde a Sauli reditu ex Arabia in Damascum.

consilium fecerunt in unum). Hac phrasi Interpres noster exprimere voluerit vim Compositi *συνεβουλευσαντο*. Dicere potuisset : *concilium inierunt* ut eum interficerent. Ανελειν est *Infinitivus epexegeticus*, laxo modo hic cum Verbo Infinito cohaerens. De quo videsis Gr. pag. 355. 5.

24. *Notae autem factae sunt Saulo insidiae eorum*). Graece ἡ επιβουλη, qua voce, ut mihi videtur, non hic notatur *occulta et dolosa exspectatio ad aliquem aggrediendum*, sed *consilium adversus quempiam initum*. Verba εγνωσθη—αυτου parenthesis sunt.

Custodiebant autem et portas, etc.). Lego cum nostro Interprete δε και[1]; graeca autem verterem : *custodiebant* (asservabant) *vero etiam portas* Damasci die nocteque, ne qua elaberetur, et ut, data opportunitate, interficere eum possent.

In 2ª ad Corinthios (Cap. XI : 32) portarum illa custodia tribuitur ethnarchae[2] regis Aretae. Ex quo colligi potest, *ethnarchae* illius *auctoritate* rem *praestitam* fuisse *a Iudaeis*. Ille vero Iudaeorum argento forte corruptus, in proposito scelere conniverit; si tamen veram noverit causam, cur isti vellent tam sollicite custodire portas Damasci.

25. *Accipientes autem eum*, etc.). Graece λαβοντες δε αυτον, quae reddere malim : *sed sumpserunt eum* discipuli (Christiani)

---

[1]) Pro παρετηρουν τε legitur παρετηρουντο δε και in ABCEFG, quae lectio alteri auctoritate praestat. Scil. cum Forma Medii παρετηρουντο raro occurrat, librarius mendum suspicatus, existimaverit pro παρετηρουντο, divisa voce, esse legendum παρετηρουν τε, et Particulas δε και iam tamquam otiosas neglexerit.

[2]) Εθναρχης (Vulg. *praepositus gentis*) intelligitur hoc loco is, qui Damasci praefecturam exsequebatur nomine regis Aretae. Cf. Heynii Dissert. 2. *De Ethnarcha Aretae Arabum regis Paulo Apostolo insidiante.*

noctu, et *per murum* (δια του τειχους) *demiserunt, deorsum eum mittendo* (χαλασαντες) funibus ex alto, *in sporta* (εν σπυριδι) impositum. — Vox λαμβανειν in hac oratione omni vi caret. Vide quae supra (p. 237) notata sunt de significatione huius et similium vocum, ubi adduntur Verbis actionem quamdam corporis aut animi declarantibus. Quod hic dicitur δια τειχους *per murum*, non est *langs den muur*, sed *door den muur*, scilicet *per* aliquam muri aperturam, aut *per* fenestram domus alicuius muro innixae, Vide 2 Cor. XI : 33. Pro voce σπυρις, quae hoc loco legitur, est 2 Cor. XI : 33 vox σαργανη. Graecis autem σπυρις et σαργανη dicebantur sportae maiores, quibus pisces aut panes ferebantur.

26. *Cum autem venisset in Hiërosolymam*, etc.). Damasco elapsus Saulus, Hiërosolymam profectus est; atque iter hoc instituit triennio post conversionem suam, ut colligitur ex iis, quae scripsit ad Galatas Cap. I : 15—24[1]. — Quum autem venisset (παραγενομενος Aor.) Hiërosolymam, *tentavit* (επειρᾶτο Imperf. in Forma *Media*, ut XXVI : 21) sese discipulis (h. e. Christianis) *adiungere* (κολλασθαι, *conglutinari*); sensus est : tentabat familiariter conversari cum Christianis Hiërosolymitanis.

et omnes timebant eum, etc.). *Et* (και hic non valet *sed*) *omnes* (Christiani Hiërosolymitani) metuebant eum, *quippe qui non credebant* illi (μη πιστευοντες) quod esset discipulus, h. e. Christianus, ut illi. — Hinc colligitur, notitiam satis certam de Sauli con-

---

[1]) Recte Windischmannus ad verba (Gal. I : 18) : *deinde* (επειτα) *post annos tres*, haec notat : « *Den Ausganspunkt*, inquit, *des* επειτα *und der drei Jahre setzt Rückert in den Augenblick, wo Paulus aus Arabien nach Damaskus zurückkehrte. Gewisz sehr unpassend : denn es kam dem Apostel hier gar nicht darauf an, nützlose chronologische Bestimmungen, wie diese wäre, sondern solche zu geben, die zu seinem Zwecke, d. h. zum Nachweis, dasz er nach seiner Bekehrung keinen menschlichen Unterricht empfangen habe, dienlich waren. Die Bekehrung also schwebt ihm als Ausgangspunkt seiner Zeitangaben vor, was besonders unten* (cap. II : 1) *festzuhalten ist.* » Erklärung des Briefes an die Galater. Mainz. 1843, p. 29.

versione tunc ad Christianos Hiërosolymitanos nondum pervenisse; cuius rei causam assignare difficile sit in tanta narrationis brevitate.

27. *Barnabas autem apprehensum illum duxit*, etc.). επιλαβομενος (Aor. Med.) αυτον ηγαγε, h. e. *suscepit* (benevole excepit) *illum et duxit*. Hoc sensu επιλαμβανομαι occurrit apud Siracid. IV : 12 : ἡ σοφια υἱους ἑαυτῃ ανυψωσε, και επιλαμβανεται των ζητουντων αυτην. Sensus est : Ceteri eum suspectum habebant minimeque recipiebant, Barnabas *autem* (δε) quum eum *suscepisset* (επιλαβομενος) adduxit ad Apostolos, h. e. ad Petrum et Iacobum, qui tunc temporis soli Hiërosolymae commorabantur, ut conficitur ex verbis Apostoli ad Galatas (Cap. I : 18, 19[1]). S. Chrysostomus coniicit, Barnabam Damasci edoctum fuisse de iis, quae Saulo accidissent[2]. Barnabas hic ille est, de quo mentio fit supra Cap. IV : 36, 37, et iterum infra Cap. XIII.

et narravit). Barnabas Apostolis narravit, quae Saulo in via Damascena accidissent, *et quomodo* (και πως) ex persecutore Christi mutatus in discipulum Christi, intrepide et magna loquendi libertate in ipsa urbe Damasci Iesum Christum praedicasset. Επαρρησιασατο (Depon. Med. Denominativum a παρρησια) valet *magna fiducia et libertate loquendi usus est* (εν) *in* (profitendo, praedicando) *nomine Domini*. Interpres noster vocem επαρρησιασατο reddidit per *fiducialiter egit*. Praepositio εν hic adhibetur veluti de materia, *in qua* illa παρρησια patefiebat.

---

[1]) En eius verba : *Deinde post annos tres veni Ierosolymam videre Petrum* (ἱστορησαι Πετρον, om Petrus te leeren kennen), *et mansi apud eum diebus quindecim : alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini*. Ex his conficitur, Saulum Hiërosolymam adiisse videndi Petri causa, *non discendi studio*, ut ad h. l. notat S. Hiëronymus, *ut qui et ipse eumdem praedicationis haberet auctorem, sed honoris priori Apostolo deferendi*.

[2]) Εικος αυτον γαρ, inquit, και εν Δαμασκῳ ακηκοεναι τα κατ' αυτον. « *Verisimile enim est, illum* (Barnabam) *Damasci audivisse quae illi* (Saulo) *acciderant*. »

28. *Et erat cum illis intrans et exiens*[1] *in*[2] *Ierusalem*, etc.). Notanda est hic Verbi Finiti Syntaxis cum Participio, qua syntaxi actus qui hic describitur, nempe *intrare et exire cum aliquo*, designatur ut frequenter repetitus, ac veluti continuus. Phrasis autem *intrare et exire cum aliquo* refert loquutionem Hebraicam צֵאת וָבוֹא, *egredi et ingredi*, qua, inter alia, significatur *familiariter versari cum aliquo*. Itaque Saulus hic dicitur per aliquod temporis spatium (*per quindecim dies;* vide Galat. 1 : 18) Hiërosolymae familiariter versatus fuisse cum Petro et Iacobo (μετ' αυτων), et haud dubie etiam cum reliquis, qui ibi essent, Christianis.

Obiter hic adnoto, ea quae modo legimus, minime pugnare cum iis, quae Apostolus scripsit ad Galat. Cap. 1 : 22, 23, quum ibi sermo sit non de ecclesia Hiërosolymitana, sed de reliquis *per Iudaeam* ecclesiis.

et fiducialiter agens in nomine Domini). Ut fecerat Damasci, ita et Hiërosolymae libere et intrepide Iesum Christum praedicabat. De locutione παρρησιαζεσθαι εν τινι diximus supra ad vs. 27.

29. *Loquebatur quoque gentibus*[3] *et disputabat cum Graecis*, etc.). Saulus per idem tempus *loquebatur atque disputabat* (ελαλει τε και συνεζητει) de re Christiana *cum Graecis* i. e. *cum Hellenistis* (προς τους Ἑλληνιστας). Saulus Iesum praedicabat non tan-

[1]) Var. lect. Post εισπορευομενος legitur και εκπορευομενος in Codd. ABC (D hac parte mutilus est) E, et in verss. antiquis Ital. Syr. Aethiop. et Vulg. Etiam S. Chrys. legit illud και εκπορευομενος. Itaque arbitror, hanc esse germanam Lucae scripturam.

[2]) Var. lect. Pro εις legitur εν in Codice H. Praepositionem εν hoc loco legit etiam interpres Syrus. Auctor Italae utrum praepositionem legerit, discerni nequit. S. Chrysostomus legit εν. Contexta huius loci oratio postulat εν, quod ex interpretatione patebit.

[3]) In Vulgata hic additur vox *gentibus*, sed eam vocem nullus codex graecus agnoscit, nullaque versio antiqua, si Aethiopicam excipias. Nec legitur in compluribus antiquis Latinis exemplaribus, ut notat Calmet (ad h. l.) S. Hier. lib. 1, in ep. ad Galat. (apud Sabatier.) habet : *loquebatur quoque et disputabat*. Videtur mihi vox *gentibus* glossema esse vocis *Graecis*.

tum *Hebraeis*, quod ex superiore Versiculo colligitur, sed etiam *Hellenistis*, ipse Hellenista. — Hellenistae quinam vocarentur, diximus supra ad Cap. VI : 1. *Isti* (Hellenistae) *verò* (οἱ δε Articulus pro Pronomine. Vide Gr. pag. 133) *conabantur* (επεχειρουν) *eum tollere* (ανελειν) *de medio*, quum alia argumenta deëssent, quibus invictum disputatorem ad silentium redigerent. In quo faciebant pro more suo, ut vidimus ex historia S. Stephani.

30. *Quod cum cognovissent fratres*, etc.). Cum impium illud Hellenistarum consilium Christianis Hiërosolymitanis (οἱ αδελφοι) innotuisset, hi, ne quid Saulo accideret quod nolebant, Caesaream illum *deduxerunt* (κατηγαγον), atque inde *ablegarunt* (εξαπεστειλαν) Tarsum. — Caesaream hic intelligo non *Caesaream Philippi*, quae et Paneas vocabatur, sed Caesaream illam, quae Latinis Caesarea Palaestinae dicebatur, ut ab aliis urbibus Caesareae nomen gerentibus distingueretur. Sita haec erat ad mare mediterraneum. Vetus nomen huic urbi fuit *turris Stratonis* (Στρατωνος πυργος. Flav. Ioseph. Antiqq. XIII : 19). Confer Relandi *Palaestinam*, p. 670, sqq. Ex Caesarea Saulus terrestri itinere, ut ex Galat. I : 21 colligi potest, per Syriam transeundo venit in Ciliciam. In hac Asiae minoris provincia erat Tarsus, Sauli urbs natalis. Ex iis quae infra (Cap. XXII : 17, sqq.) de se narrat Saulus, conficitur, eum non tantum hortatu Christianorum, sed et divino iussu tunc temporis Hiërosolymam reliquisse.

31. *Ecclesia quidem*). Graece : Ἡ μεν ουν εκκλησια[1], ubi Parti-

---

[1]) Var. lect. Pro Plurali : αἱ μεν ουν εκκλησιαι ειχον — οικοδομουμεναι και πορευομεναι — επληθυνοντο, legitur in Singulari : ἡ μεν ουν εκκλησια ειχεν — οικοδομουμενη και πορευομενη — επληθυνετο in Codd. ABC multisque Minusculis, item in verss. antiqq. Syr. Aeth. Armen. et Vulg.; sic quoque legerunt Dionys. Alexandr. Chrys. Theophyl. et Oecumenius. — Et mihi quidem videtur haec lectio alteri esse praeferenda, quamquam Lucas alibi in simili sermone numerum Pluralem adhibet. Vide Act. XV : 41; XVI : 5.

cula ουν non est *concludentis*, sed *pergentis* in narrando, ut si Belgice dicas : *de kerk nu*. Particularum autem μεν et δε (vs. 32) usus hic μεταβατικος est. De quo usu vide quae diximus supra ad Cap. VIII : 25. Erat autem Ecclesia, inquit Lucas, eo tempore Hiërosolymae libera a persecutione; per reliquam etiam Iudaeam, ut et per totam Galilaeam et Samariam optata tranquillitate fruebatur (ειχεν ειρηνην), intereaque, crescente in dies numero fidelium, vivis hisce lapidibus Ecclesia veluti aedificium quoddam in molem continuo maiorem *exstruebatur* (οικοδομουμενη), *vitamque* fideles *agebant* (πορευουμενη) *piam ac religiosam* (τῳ φοβῳ του Κυριου), et Spiritus Sancti consolatione *replebantur* (επληθυνετο). — Verbo πληθυνω, quod alias de *multiplicando* dicitur, Interpres noster subiecit notionem *implendi;* quo sensu etiam S. Chrysostomus hanc vocem hic sumpsisse videtur : Παρεκαλει, inquit (Hom. XXI ad h. l.), αυτους το Πνευμα και δια των θαυματων και δια τὼν εργων· και χωρις δε τουτων, και καθ' ἑαυτον ἑκαστον. h. e. *Consolabatur illos Spiritus Sanctus, et per miracula et per opera; et praeterea unumquemque per se;* puta, eorum mentem spirituali quadam laetitia perfundendo.

Verba *implendi* in Graecitate Novi Testamenti constructa leguntur nunc cum *Genitivo rei*, nunc cum *Dativo rei*, ut v. g. Rom. I : 29. 2 Cor. VII : 4. — Dativus τῳ φοβῳ in locutione πορευεσθαι τῳ φοβῳ sumendus est tamquam dictus *de loco in quo* quis graditur, ut τῳ φοβῳ valeat *in timore Domini*. Eodem sensu infra (Cap. XIV : 16) dicitur πορευεσθαι ταις ὁδοις, et in Ep. S. Iudae vs. 11 : τῳ ὁδῳ του Καιν επορευθησαν. Ceterum Hebraismus est in usu Verbi πορευεσθαι, si adhibetur de ratione vivendi. Sic Psalmo 86 (Vulg. 85) vs. 11 legimus : הוֹרֵנִי יְהוָֹה דַּרְכֶּךָ אֲהַלֵּךְ בַּאֲמִתֶּךָ h. e. *Doce me, Iehova, viam tuam, ambulem in veritate tua.* Vulgata : *Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua.* — Locutio ὁ φοβος του Κυριου refert Hebraicam יִרְאַת יְהוָֹה et Nostratium *godvreezendheid*. *Aedificari* (οικοδομουσθαι) Metapho-

rice dicitur de *incremento* tam *interno* sive spirituali, puta *pietatis* (I Cor. X : 23; XIV : 4. 17, et I Thess. V : 11), quam *externo*, quod est, v. g. in augescente numero fidelium, ut in praesenti loco; eoque sensu οικοδομειν legitur (apud LXX) Ierem. XXIV : 6. — XXXVIII (Hebr. XXXI) : 4. — XL (Hebr. XXXIII) : 7.

32. *Factum est autem, ut Petrus, dum pertransiret universos, deveniret*, etc.). Graece : εγενετο δε (vide supra ad vs. 31) διερχομενον... κατελθειν, de qua Syntaxi vide supra ad Cap. IV : 5. Locutio διερχεσθαι δια παντων scil. ἁγιων, *transire per omnes sanctos* conferri potest cum hac Latina Senecae (Benef. VI : 16) : *medicus aegrotos perambulat*, h. e. visit huc illuc discurrendo. Itaque sensus est : accidit autem, dum Petrus, tamquam supremus Pastor[1], singulos suos greges per totam Palaestinam dispersos, nunc hunc nunc illum inviseret, ut perveniret *etiam ad* (και προς) *sanctos* (τους ἁγιους) i. e. ad Christianos, qui habitabant Lyddae. — Lyddae (לוֹד, 2 Chron. VIII : 12) Palaestinae vicus erat, sed qui amplitudine sua et incolarum multitudine urbem aequaret, quare et κωμοπολις dicitur Marc. I : 38. Sita erat Lydda prope Ioppam, haud procul a mari mediterraneo. Apud scriptores medii aevi vocatur etiam *Diospolis*. Vide Relandi *Palaestinam*, p. 877, et Wineri *Biblisches Realwörterbuch*, ad h. v.

33. *Invenit autem ibi hominem quemdam*, etc.). Non putem hominem hunc fuisse e numero Christianorum Lyddensium, quum Lucas eum non vocet *discipulum*, ut mox (vs. 36) Tabitham vocat *discipulam quamdam*. Gentilem illum fuisse aut Iudaeum Hellenistam, probabile est, quum Aeneas (Αινεας) nomen Graecum sit.

---

[1]) S. Chrysost. (Hom. XXI ad h. l.) de Petro hic dicit : Καθαπερ τις στρατηγος, inquit, περιῃει, τας ταξεις επισκοπῶν, h. e. « *Veluti dux quidam exercitus circuibat, agmina lustrans.* »

— Ονοματι est in Dativo *Relationis*, ut vocant Grammatici. Aeneas ille ab (εκ) octo iam annis decumbebat in grabato, quum paralyticus esset. De voce παραλελυμενος videsis quae notantur supra ad Cap. VIII : 8.

34. *Et ait illi... sanat te Dominus*, etc.). *Sanat* ut Graece ιαται, in Indicativo. Bene Cornelius : « Assertio Petri, *inquit*, tacitam continet invocationem Christi, cuius virtute sanatus est Aeneas. » Addit Petrus : Statim surgito, *et tute ipse tibi sternito lectum* (στρωσον σεαυτῳ scil. κραββατον, nam locutio elliptica est). Hactenus alii ipsi straverant. — De eo quod interest inter Imperativum Praesentis et Aoristi, videsis. Gr. pag. 347. 5.

35. *Et viderunt eum omnes*, etc.). Pro τον Σαρωνᾶν alii Codices habent τον Σαρωνα. — *Saron* (שָׁרוֹן) appellabatur omnis regio campestris circa Ioppen Lyddamque. Interpres noster quum vertat *Lyddae et Saronae*, Saronem habuisse videtur pro oppido aliquo Lyddae vicino. In quo fortasse non erravit. Vide Wineri *Biblisches Realwörterbuch*, ad vocem *Saron*, et Rosenmulleri *Bibl. Alterthumsk*. Vol. II, p. 1. p. 150, coll. P. II, p. 333. Paralyticus ille vulgo notus fuisse videtur Lyddensibus et Saronitici agri incolis. Hoc certe innuit Lucas, dum dicit, incolas Lyddae et Saronis, quum vidissent paralyticum illum ad invocationem nominis Iesu subito restitutum fuisse sanitati, eo miraculo commotos, religionem Christianam esse amplexos.

36. *In Ioppe autem*, etc.). Antecedenti miraculo veluti *opponitur* (δε) aliud miraculum, ut magis stupendum. *Ioppe* (יָפוֹ, Ionae I : 3) urbs ad mare mediterraneum sita, non procul aberat a Lydda. — Erat ibi discipula quaedam (τις μαθητρια) h. e. mulier Christiana quaedam, nomine *Tabitha*, *quae interpretata dicitur Dorcas*, h. e. quae mulier, si Aramaicum eius nomen (טְבִיתָא)

Tabitha Graece reddere velis, Graece dicitur Δορκας. Quibus vocabulis denotatur venustum illud animal, quod historiae naturalis scriptores *Capram gazellam* vocare solent. Erat autem haec mulier cum praestandis bonis operibus tota dedita eisque veluti *referta* (πληρης), *tum praecipue* (και) ob erogatas continuo (εποιει Imperf. Vide supra) eleëmosynas de pauperibus bene merita. — De και hoc loco vide quae notata sunt ad Cap. VI : 8. Dicitur ὧν εποιει *per Attractionem.*

37. *Factum est autem in diebus illis*, etc.). Accidit autem eo tempore (εν ταις ἡμεραις εκειναις. Vide Cap. VIII : 1), quo Petrus apud Lyddenses morabatur, ut Tabitha illa *infirmitate aliqua correpta* (ασθενησασαν) moreretur. De Syntaxi εγενετο αυτην αποθανειν vide supra ad vs. 3. — *Quam cum lavissent.* Mos lavandi corpora defunctorum priusquam humo conderentur, communis erat apud antiquos. Videsis Lorinum ad h. l.; et Doughtaei *analecta sacra.* Part. poster. p. 77, sqq. *Posuerunt in coenaculo*, εν ὑπερῳῳ, de quo vide supra ad Cap. I : 13.

38... *discipuli audientes, quia Petrus*, etc.). Cum Christiani Ioppenses *audivissent* (ακουσαντες) *quod* (ὁτι) Petrus esset eo tempore apud vicinos Lyddenses, duos viros ad illum *ablegarunt, rogantes* (απεστειλαν παρακαλουντες) *ne cunctaretur* (μη οκνησαι[1]), h. e. ut vellet sine mora venire ad ipsos. — Legati non videntur indicasse Petro causam petitionis.

39. *Exsurgens autem Petrus*, etc.). Petrus autem nihil cunctatus, *surrexit* (αναστας), profectusque est cum illis. — De Verbo αναστηναι in hac oratione vide supra ad Cap. VIII : 33. Graeca : ὁν

---

[1]) Var. lect. in Codd. ABCE oratio est directa : μη οκνησῃς διελθειν ἑως ἡμων, ut in Vulgata.

παραγενομενον ανηγαγον reddi possent hoc modo : *quem, quum advenisset, duxerunt* in coenaculum illud (εις το ὑπερῳον), ubi defuncta iacebat. Hic dum ad Tabithae cadaver adstaret Petrus, circumstabant illum *pauperes istius loci viduae omnes* (πασαι αἱ χηραι), plorantes et ostendentes illi tunicas aliasque vestes (χιτωνας και ἱματια), quas illis, *dum inter eas viveret* (μετ' αυτων ουσα), conficiebat pia Dorcas. — Erat haec profecto eloquentissima, quamquam nullis verbis facta, supplicatio. — Quid ergo Petrus?

40. *Eiectis autem omnibus*, etc.). Cum e coenaculo praesentes omnes secedere iussisset, ne oraturus turbaretur, flexis genibus aliquamdiu oravit. Tum ad inanime Tabithae corpus conversus dixit : Tabitha, surge! Ad quam vocem illa statim quasi e somno excitata, oculos suos aperuit, et Petrum *intuitus* (ιδουσα), seque erigens in lecto *resedit* (ανεκαθισε).

41. *Dans autem illi manum*, etc.). Petrus autem, *porrecta* (δους) Tabithae manu sua, illam e lecto, in quo resederat, surgere fecit (ανεστησε). Cumque in coenaculum revocasset *sanctos* (τους ἁγιους) h. e. eos qui forte ibi aderant fideles, et pauperes illas viduas (και τας χηρας), Tabitham omnibus *exhibuit viventem* (παρεστησεν ζῶσαν). « Sensit Petrus, inquit S. Cyprianus (Lib. *De opere et eleëmos.* p. 478), impetrari posse, quod sic petebatur, nec defuturum Christi auxilium viduis deprecantibus, quando esset in viduis ipse vestitus. Cum itaque genibus nixus orasset, viduarum ac pauperum idoneus advocatus, legatasque sibi preces ad Dominum pertulisset, conversus ad corpus, quod in tabula iam lotum iacebat : Tabitha, inquit, exsurge in nomine Iesu Christi. Nec defuit Petro quo minus statim ferret auxilium qui in Evangelio dari dixerat, quidquid fuisset eius nomine postulatum. Mors itaque suspenditur, et spiritus redditur, et mirantibus ac stupentibus cunctis ad hanc mundi denuo lucem redivivum corpus animatur.

Tantum potuerunt misericordiae merita, tantum opera iusta valuerunt. Quae laborantibus viduis largita fuerat subsidia vivendi, meruit ad vitam, viduarum petitione revocari. »

42—43. *Notum autem factum est*, etc.). Graeca : γνωστον, κ. τ. λ. Belgice valent : *en het werd bekend.* Innotuit quod acciderat per universam civitatem Ioppen; factumque est (καὶ), ut stupendo hoc miraculo commoti, ex Ioppensibus multi Christianam religionem amplecterentur. Qua occasione Petrus per multos dies Ioppae commoratus est; quod novellis illis Christianis valde profuerit.

CAPUT DECIMUM.

Argumentum. Ethnicus quidam, nomine Cornelius, veri Dei cultor pius et probus, inter orandum angelum videt ad se introëuntem, a quo iubetur Caesaream arcessere Petrum, Ioppae morantem, ut ab illo discat, quid sibi faciendum sit, vs. 1—7. Mittit statim Cornelius viros, qui Petrum arcessant, vs. 7-8. Hi quo tempore Caesaream iam appropinquant, Petrus sacris precibus vacat; et dum orat, animus eius subito a sensibus alienatur, vs. 9—10. Dumque in ea mentis exstasi constitutus est, animo eius divinitus informatur species veluti ingentis cuiusdam linteaminis, e coelo in terram demissi, et continentis cuiusvis generis animalia, immunda mundis admixta; simulque videtur sibi audire vocem dicentis : Surgo, Petre, macta, et vescere! Petro vero neganti se comesturum esse quidquam quod Lege tamquam immundum vetaretur, eadem vox respondet : Tu ne iudices immunda, quae Deus declaravit esse munda, vs. 11—17. Ad se reversus Petrus dum expendit quid illa visio significet, iam adstant ad ostium domûs legati Cornelii. Prius autem quam illi nuncietur advenisse viros qui quaererent ipsum, illo divinitus rem edocetur, simulque iubetur, ut ne dubitet proficisci cum illis; quod et facit, vs. 17—24. Postridie quam se in iter dederat, Caesaream pervenit, et venerabunde a Cornelio exceptus, illi aperit, cur Iudaeus non dubitasset hominem adire Gentilem; nempe divinitus se edoctum fuisse, neminem hominum deinceps pro immundo esse habendum, vs. 24—29. Cornelius autem a Petro rogatus, quam ab causam illum accersivisset, hic enarrat quae sibi accidissent, seque, secundum divinum mandatum, a Petro esse edocendum, quid se facere oporteret, vs. 29—34. Officio huic satisfacturus, Petrus Cornelio ceterisque qui ibi aderant Iesum Christum praedicat, vs. 34—43. Petro autem adhuc loquente, Spiritus Sanctus illabitur in Cornelium eiusque domesticos, qui porro omnes baptizantur, vs. 44—48.

1. *Vir autem quidam erat*[1] *in Caesarea*, etc.). Intelligitur

[1]) Var. lect. Vox ἦν non legitur in ABCE multisque Minusculis; nec sane

Caesarea Palaestinae; nam Caesarea Philippi longius aberat, quam ut inde unius diei itinere (cf. vs. 8) Ioppen perveniri potuisset. — Pro *centurio cohortis* Graece est ἑκατονταρχης εκ σπειρης, *centurio ex cohorte*. Ἑκατονταρχης est *praefectus centum* (militum); iam quum cohors Romana constare soleret ex mille militibus, cohors Italica plures centuriones habuerit; fuerit ergo Cornelius *unus ex centurionibus cohortis Italicae*. — Vocabatur autem cohors haec Ιταλικη, quia in ea merebant milites in Italia nati, non verò provinciales, ut in aliis Romanis cohortibus, tunc temporis in Syria et Palaestina consedentibus. Cf. Schwarzii Dissertat. *De cohorte Italica et Augusta.*

2. *religiosus ac timens Deum*, etc.). Ethnicus sive Gentilis erat Cornelius, ut certo colligitur ex iis quae dicuntur infra vs. 28, 34, et Cap. XI : 1, 3, 18. Itaque erat Cornelius ex numero eorum, qui infra (Cap. XVII : 4) dicuntur σεβομενοι Ἑλληνες, quosque Talmudici vocabant חסידי האומות, *pios inter gentiles.* Erat Cornelius pius veri Dei cultor (ευσεβης), et φοβουμενος τον Θεον (*een godvreezend man*), h. e. et talis qui Deum offendere metueret. Et qualis erat ipse, tales erant quoque domestici eius universi (*zijne huisgenooten*). Idem frequenter stipem erogabat pauperibus Iudaeis (τῳ λαῳ), et assidue (διαπαντος=δια παντος χρονου) Deum precabatur. — Communis SS. Patrum sententia est, Cornelium *in statu iustificationis* iam tum fuisse, cum illi Angelus appareret[1].

---

videtur esse legenda; nam si Lucas scripsisset ἠν, scripsisset, opinor, etiam οὑτος ειδεν, Versiculo tertio.

[1]) Quaestio haec maioris amplitudinis est, quam ut hoc loco a nobis tractari possit. Si cui placeret dissertationem ea de re conscribere, auctores nonnullos consulendos hic illi indico. Legat *Concilium Arausicanum* II, Can. XXV; Andream Vegam, *De Iustificatione*, Lib. V, Cap. 15, et Lib. VI, Cap. 19, 20, 21; Franciscum Suarez, *De divina Gratia*, Lib. I, Cap IV, nº 8 et sqq., et *De triplici virtute Theologica. Tractatus de Fide*, P. 2. Disput. XII. Sect. IV, nº 23; Alphonsum Salmeronem, Tractat.

Si quaeratur, quid Cornelius in assidua illa precatione a Deo potissimum petiverit, respondeo : ut Deus illum in recta salutis via capessenda dirigeret. Hoc certe colligi posse mihi videtur ex contexta oratione vs. 4—5 et 31—32. Et vero facile intelligimus, fieri potuisse, ut Cornelius ethnicus ambigeret, utram Religionem profiteretur, an antiquam illam Mosaicam, an vero recentem Christianam; nam videbat utriusque Religionis homines unius veri Dei esse cultores.

3. *Is vidit in visu manifeste*). Graece : Ειδον εν ὁραματι φανερως. Si vs. 1 non legeris ην, Subiectum Verbi ειδεν tibi est ανηρ, et quae huic attributa *apponuntur*. — Extraordinarius modus, quo homo divinitus aliquid edoceri potest, aut externus est, aut internus; nam id fieri potest, aut 1°, per apparentis Dei sive angeli *verba* humanâ voce facta ad vigilantem et sensibus suis utentem, aut etiam per *rem* aliquam oculis eiusdem corporeis divinitus oblatam; aut 2°, per divinam illam ενεργειαν, qua Deus humano animo quas vult *notiones* aut *rerum imagines* intus informat; quod quidem accidere potest aut dormientibus, aut vigilantibus, atque his vel constitutis in exstasi sive alienatione mentis a sensibus, vel non inhibito exteriorum sensuum usu[1]. Ad posteriorem modum pertinet visio illa, quae infra (vs. 10—17) Petro obtigisse dicitur; ad priorem vero referendum est ὁραμα Cornelii, quod hic enarra-

---

XXXI in Act. Ap. *De Cornelio centurione;* Thomam Stapleton in *Antidotis Apostolicis* ad Act. Ap. Cap. X : 4; Cornelium a Lapide (ad h. l.), Ioannem Lorinum (ad h. l.), Augustinum Calmetum (ad h. l.); atque hi alios plures auctores indicant, qui eam rem tractarunt.

[1]) De praesenti quaestione agunt S. Thom. 2. 2. Q. 173, 174 et 175; Cornelius a Lapide in *Canonibus in XII minores Prophetas*, Can. 19, 20, 21; Christophorus Castrus in sua *Isagoge ad Prophetas*, *de Vaticinio. Libri IV.* Vide Lib. 3. Cap. VI, VII et VIII. Isagoge haec praemissa est eiusdem Commentario in Prophetas minores. — Inter acatholicos de re tractarunt Witsius, in *Miscellaneis sacris; de Prophetis et Prophetia*, Lib. I, c. 2, sqq.— Auctores alios nonnullos indicant qui de hac quaestione fusiori calamo scripserunt.

tur; et verò cum ex serie narrationis, maxime ex vs. 30, tum etiam ex eo quod Cornelius dicitur *vidisse* φανερως, conficitur, Cornelium vigilantem et exterioribus sensibus utentem vidisse corporeis suis oculis ad se introeuntem angelum, qui in assumpto corpore speciem referebat viri, candida veste induti. Cf. vs. 30. — Verba εν ὁραματι valent IN *viso illi oblato*. Praepositio εν refertur ad *statum in quo* quis versatur, ut si Gallice hic diceres : DANS UNE VISION *qu'il eût*, IL VIT *clairement*, etc. Quod vero attinet ad visionem illam, quam habuit Ananias (supra Cap. IX : 10), etiam hanc ad priorem illum modum pertinere arbitror. Vide supra ad Cap. VIII : 26[1]. Quod autem de Saulo ibidem (vs. 12) dicitur : *et vidit virum Ananiam nomine*, etc., id quidem non dubito, quin ad posteriorem modum sit referendum.

Apparuit autem Cornelio ille Angelus *quasi hora diei nona* (ὡσει ὡραν εννατην της ἡμερας) h. e. circa tertiam pomeridianam (Vide supra ad Cap. III : 1), quo tempore Cornelius domi suae precibus vacabat, ut dicitur infra vs. 30. —

4. *at ille intuens eum*, etc.). Ingressus Angelus Cornelium nomine compellat : Corneli, inquit. Is vero angelum *intuitus* (ατενισας. Vide supra ad Cap. I : 10), et, ut fit, metu quodam correptus, respondit : *Quid me vis, Domine?* Sic appellat angelum ut quempiam sibi ignotum; nisi forte dicendum sit, sic appellasse ut quempiam homine maiorem. Si non primo statim momento, mox tamen animadvertisse videtur Cornelius angelum esse, qui sibi appareret, ut conficitur ex vs. 8, coll. 22.

Dixit autem illi : Orationes tuae, etc.). Sic autem tunc Cornelium affatus est Angelus : Precationes tuae, inquiebat, et eleë-

---

[1]) De ratione componendi quae dicta sunt Cap. III : 21 cum illis Christi apparitionibus, quae porro memorantur, videsis Cornelium a Lapide, ad Cap. III : 21 ; vide etiam Suarezium in 3 p. q. 58.

mosynae tuae adscenderunt ad coelum, ita ut essent ibi tamquam memoriale quoddam tui (εις μνημοσυνον) coram Deo (ενωπιον του Θεου); h. e. fecerunt ut Deus tui recordaretur. — His autem verbis angelus Cornelio significabat, exauditas esse ipsius preces, et digno praemio remuneratum iri ipsius eleëmosynas (cf. vs. 31). Quare pergit dicendo (vs. 5) : *Itaque* ostendetur tibi via ad fidem et salutem : mitte viros aliquot ad civitatem Ioppen, ac per eos arcesse Simonem quemdam, etc.

5. *Et nunc mitte viros in Ioppen*, etc.). Graece και νυν, quod respondet Hebraico וְעַתָּה, ubi dictio est *concludentis* valetque *itaque*, ut Genes. XXVII : 8. — *Arcessi* in Imperativo scribit Interpres noster ab *arcessere*. Bene Cornelius ad h. l. « Voluit Deus, *inquit*, arcessiri Petrum, non Iohannem vel alium quempiam, quia decebat, ut Petrus tamquam caput Ecclesiae, sicut primus omnium post Christum praedicaverat Iudaeis (Act. II et III), ita primus praedicaret et Gentibus, puta Cornelio eiusque familiae. Ipse enim, ut totius Ecclesiae pastor, debebat in eam, quasi in unum ovile Christi, congregare tam Gentes quam Iudaeos, ut utrumque eum quasi communem patrem agnoscerent, colerent, obedirent et sequerentur; in eoque utrique, licet inter se diversi, imo adversi, unirentur. »

6. *Hic hospitatur*, etc.). Gr. ξενιζεται (Passiv.), *hospitio is exceptus est* apud Simonem quemdam, arte coriarium. « Βυρσευς, quod Kuinoëlius notat (ad h. l.), Atticis dicebatur βυρσοδεψης, quod derivatur a βυρσα *pellis* et δεψειν *mollire, subigere*. Erat ergo βυρσευς, *coriarius*, qui animalium caesorum pelles subigendo molliendoque ad multiplicem in domestica re, militari, ac navali usum praeparare solebat. Apud veteres coriarii extra urbes prope flumina, ob mortua animalia, etiam ob foetidos odores, et ob frequentem aquae usum in pellium praeparatione, officinas et domos suas habebant. »

7—8. *Et cum discessisset angelus qui loquebatur illi*, etc.). Gr. ὁ λαλων, quod hic est Participium imperfecti, ut supra, p. 127. — Angelus an post illud colloquium subito evanuerit, an vero sensim ac visibiliter discesserit, ex voce απηλθεν decerni nequit. Si prius illud acciderit, vel inde potuit intelligere Cornelius, angelum fuisse qui illi apparuisset. — Cornelius nihil cunctatus, *statim* (vide vs. 33) Ioppen misit *e domesticis suis duos* (δυο των οικετων αὐτου), simulque militem quemdam religiosum, unum ex iis qui ministerii causa *assiduo illi aderant* (των προσκαρτερουντων αυτῳ. Vide supra ad Cap. I : 14. Hisce viris ante narraverat quaecumque (ἁπαντα) sibi accidissent.

9. *Postera autem die*, etc.). Sequenti die, circa meridiem, cum tres illi viri iam non procul a Ioppe abessent, Petrus orandi causa *adscenderat* (ανεβη) *in superiora*, graece : επι το δωμα, *in tectum*, sive solarium. Orientalibus plana erant domuum tecta.

10. *Et cum esuriret, voluit gustare*). Cum Petrus, illa die, ut videtur, adhuc ieiunus, *magnam inciperet sentire famem* (εγενετο προσπεινος), cibum sumere volebat; graece : γευσασθαι (Aor. Med.), quod Verbum etiam *absolute* adhibebatur. Sic Flavius Iosephus (Antiqq. Lib. VI, Cap. XIV : 3) de Saulo Rege scripsit : μολις δε ἑαυτου γενομενον συνηναγκασεν ἡ γυνη γευσασθαι, h. e. *cum vero vix ad se rediisset, mulier (Pythonissa) coëgit eum ut cibum caperet*. Conferri potest Gallorum *goûter*.

Parantibus autem illis, etc.). Interea autem temporis dum *illi* (εκεινων), nempe ii apud quos commorabatur, ad Petri petitionem *cibum pararent* (παρασκευαζοντων scil. δειπνον), *cecidit super eum mentis excessus;* graece : επεπεσεν επ' αυτον, qua loquendi ratione significatur eum subito et divinitus in illo statu mentis fuisse constitutum. Εκστασις, ab ἐξιστημι, *de statu deiicio*, si *nominis* etymon spectes, notat *dimotionem e loco vel statu in quo quis vel*

quid est. Si sermo sit *de re*, εκστασις quae hic dicitur, intelligitur status is, in quo homo supernaturaliter a suo corpore quasi alienatur, et rapitur ad contemplationem rerum intelligibilium aut imaginum, quae tum divinitus animo eius induntur aut informantur.

11—12. *Et vidit coelum apertum*, etc.). In ea exstasi constitutus, animo videt (θεωρει) coelum magno hiatu veluti apertum, indeque *conceptaculum quoddam* (σκευος τι. Vide supra ad Cap. IX : 15) *velut linteum magnum* (ὡς οθονην μεγαλην), quatuor extremitatibus superne alligatum, demitti in terram. Conceptaculum hoc speciem referebat ingentis cuiusdam linteaminis. Erantque in eodem contenta *omnia genera* (παντα τα cum Articulo) quadrupedum, reptilium, et volatilium, adeoque animalia munda immundis admixta. — Inter animalia, quae munda quae immunda censerentur, docetur Levitic. XI, et Deuteron. XIV. — Ad Levitic. XI videsis Lorinum, qui in *argumento* praemisso eius commentario in hoc caput, etiam agit de ratione impositi Iudaeis praecepti de abstinendo ab immundorum animalium esu. S. Iustinus (Quaest. 89 ad Orthodoxos) censet, in illo linteamine exhibita fuisse immunda tantum animalia, non vero etiam munda; sed nobiscum faciunt S. Hiëronymus (in Cap. 38 Ezechiëlis), et Origenes (Hom. 2 in Cap. 2 Genes. (apud Corn. a Lapide ad Act. X : 12); atque hunc intellectum postulat appositus voci παντα Articulus (παντα τα τετραποδα, κ. τ. λ.

13—14. *Et facta est vox ad eum*, etc.). Vocem hic intellige *mentalem*; scilicet *videbatur sibi* Petrus audire vocem ad se dicentis : *Surge Petre, macta et vescere*, nullo facto animalium discrimine! Ad quam invitationem Petrus *sibi videbatur* respondere : Absit, Domine[1], ut hoc faciam! *quia* (ὅτι) discrimen ciborum adhuc

[1]) Sic ad se loquentem compellabat, tamquam ignotum.

religiose servavi, et nihil umquam, quod immundum esset, comedi.

Commune (κοινον) et *immundum* (ακαθαρτον) voces sunt hac in re aequipollentes. Nempe ea quae Hebraeis interdicta erant tamquam immunda, haec illi vocabant *communia*, propterea quod eorum usus esset *communis* ceteris gentibus, praeter se. Locutio ουδεποτε—παν Hebraica est, non Graeca, quamquam Graecae sunt voces.

15. *Et vox iterum secundo*, etc.). In phrasi παλιν[1] εκ δευτερου scil. χρονου, Pleonasmus est, qui occurrit etiam apud profanos scriptores. Sic Plutarchus (vide Wolfium in *Curis* ad h. l.) dixit: και παλιν εκ δευτερου πεμφθεις.

Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris). Graece in Plurali: *quae* (ἁ) Deus iam esse munda declaravit (εκαθαρισε), haec tu, homo, ne porro *reputes immunda esse* (κοινου ex κοινοε a κοινοω). Κοινοειν, *commune facere*, h. e. *immundum* (vid. supra) *facere* dicitur hic is, qui *rem reputat esse talem*. Et similiter *purificare* quaepiam hic dicitur, qui *pura* sive *munda* illa esse declarat. — Notat ad hunc locum Valckenarius: « Hac occasione, *inquit*, observetur sermonis elegantia, qua *facere* quid dicuntur, qui *factum* vel *narrant*, vel *putant*. Ex exemplis res melius intelligetur quam ex copiosa explicatione. *Horat*. Sat. 10, 36: *Turgidus Alpinus* iugulat *dum Memnona*. — *Thom. Mag*. Γεννᾶ, inquit, ὁ Πλατων τον ουρανον, *generat* Plato *mundum*, i. e. γεννητον λεγει, *statuit aliquando esse creatum*, quia Philosophis antiquioribus mundus fuerat visus quibusdam ab aeterno esse. Ista loquendi ratio late patet. Philosophi qui statuebant, omnia esse

[1]) Var. lect. Pro παλιν legitur ευθυς in Codd. ABCE, variisque Minusculis, et versionibus antiquis, Coptica, Aethiopica ac Vulgata. Videtur Librarius pro ευθυς hoc loco substituisse vocem παλιν, quae infra cap. XI: 10 in repetita huius visionis narratione occurrit.

in fluxu perpetuo, *Platoni* aliquoties sunt οἱ ρεοντες. Qui animam *statuebant* non morituram cum corpore, dicebantur οἱ απαθανατιζοντες, etc. »

16. *Hoc autem factum est per ter*, etc.). Pro επι τρις scribere potuisset τρις. Itaque abundat in illa locutione Praepositio, ut in Gallico : *jusqu'à trois fois*, aut in Nostratium : *tot drie maal toe*. Sensus est : ter repetitum fuit illud imaginarium inter vocem illam et Petrum colloquium; quo finito, Petrus sibi videbatur videre receptaculum illud sustolli in coelum unà cum animalibus, quae continebat. — Puta, ideo illud fuisse ter repetitum, quo altius Petri animo res informaretur.

17. *Et dum intra se haesitaret*, etc.). Dum Petrus, finita exstasi, ad se reversus, *dubius haereret in statuendo apud animum suum* (εν ἑαυτῳ διηπορει. Vid. p. 27) quid sibi vellet, aut cuius tandem rei signum esset *visum illud quod vidisset* (το ὁραμα ὁ ειδε), ecce, viri illi, quos Cornelius ablegaverat, *percontati de domo Simonis* (διερωτησαντες την οικιαν Σιμωνος), ad ostium coriarii adstabant. — Graeca Syntaxis : ὡς διηπορει—και ιδου, anacoluthica est, ut supra Cap. I : 10. — Poterat anceps haerere Petrus, utrum hac visione indicaretur abolitam esse legem de discrimine ciborum observando, an vero aliud quid ibi lateret.

18. *Et cum vocassent*, etc.). Graece : και φωνησαντες (*ayant crié, hola!*). *Cum inclamassent*, interrogarunt eum, qui inclamantibus responderat, an illic esset hospitio exceptus aliquis Simon, cognomento Petrus.

19—20. *Petro autem cogitante de visione*, etc.). Interea Petrus adhuc *multum secum cogitabat de illa visione* (διενθυμουμενου περι), quid ea sibi vellet. Prius autem quam illi a domesticis

Simonis nunciatum esset, adesse viros qui ipsum quaererent, *Spiritus* (sanctus) (το Πνευμα) interna locutione *dixit illi : Ecce viri tres quaerunt te*, ζητουσι σε (vragen naar u); *verum age* (αλλ' αναστας. Vide supra ad VIII : 35) *descende* de solario ad viros illos, et proficiscere cum illis, *nulla ratione haesitans* (μηδεν διακρινομενος, v. g. quòd illi, ad quos arcesseris, Iudaei non sunt); *quia ipse ego misi illos*, me auctore missi sunt ad te. Ex postremis hisce verbis patet quod supra dicitur το πνευμα, id *de Spiritu Sancto* esse sumendum. Paulatim Petrus edocebatur, quid sibi vellet oblata illi visio.

De αυτῳ post Genitivum Πετρου διενθυμουμενου, videsis Gr. pag. 207. *adnot*. Vocula αλλα non est reddenda *itaque*, *igitur*, ut nonnullis visum est. De notione Particulae αλλα in istiusmodi orationis conformatione, vide Klotzium ad Devarium. Vol. 2, pag. 5 sqq. — Vox μηδεν (διακρινομενος) est in *accusativo obiecti patientis*. Videsis quae in hanc rem notavimus in Ep. ad Philippenses, ad Cap. IV : 6.

21—22. *Descendens autem Petrus*, etc.). Cum Petrus e solario, ubi oraverat, *descendisset*, venissetque *ad viros illos* (καταβας προς τους ανδρας), dixit illis : Ecce ego sum ille, quem quaeritis; qua de causa hic *adestis* (παρεστε)? Responderunt illi : Cornelius centurio, *vir probus et timoratus* (δικαιος και φοβουμενος τον Θεον), *quique commendatur testimonio* (μαρτυρουμενος τε. Vide supra ad VI : 3) Iudaeorum omnium inter quos commoratur, is ab uno e sanctis angelis *divinitus admonitus fuit* (εχρηματισθη[1]),

---

[1]) Eodem sensu, quo hic εχρηματισθη dicitur, occurrit Matth. II : 12 χρηματισθεντες, et in Ep. ad Hebraeos (cap. VIII : 5) κεχρηματισται. Ad hanc vocem Valckenarius notat sequentia : « Usus isto Verbi passivus, *inquit*, valde insolens est. Activo sensu *Deus* quocumque modo *hominem* huius illiusve rei *admonens* dicitur χρηματιζειν (Ep. ad Hebr. XII : 25). Illud neminem latebit, esse hoc a Dativo vocis χρημα. Sed exigat quis omnes huius vocabuli significatus, nullum inveniet, a quo oriri potuerit vis ista Verbi

ut te arcesseret domum suam, et audiret quaepiam (ρηματα) a te. Ex iis, quae legati Cornelii retulerant, atque etiam ex divino de proficiscendo cum hisce viris mandato, Petrus iam facile intellexit, quid tandem significaret ὁραμα, quod illi fuerat oblatum; nempe non esse diutius abstinendum a conversione cum Gentilibus, atque deinceps etiam his, non secus ac Iudaeis, evangelium esse praedicandum. *Invitavit* (εισκαλεσαμενος) *ergo* (ουν) Petrus viros illos gentiles ut ad se ingrederentur, eosque *excepit hospitio* (εξενισε). Sequenti autem die *surgens profectus est* (αναστας εξηλθε. Vide supra ad IX : 39) cum illis. Comites itineris erant *Christiani Ioppenses* (τινες των αδελφων των απο της Ιοππης) *sex* (Vid. Cap. XI : 12), origine *Iudaei* (infra vs. 45). Testes hi esse poterant locupletissimi eorum quae in domo Cornelii gererentur.

24. *Altera autem die*, etc.). *Postridie* (τῃ επαυριον, scil. ἡμερᾳ) eius diei quo se in iter dederat (vs. 23), adeoque quarto die post ὁραμα Cornelio oblatum (cf. 30), Petrus cum suis comitibus Caesaream intravit. Et Cornelius quidem *in ea erat exspectatione* (ην προσδοκων), ut certo speraret domesticos suos unà cum Petro eo die esse reversuros. Itaque ad hunc diem *ad se convocaverat* (συγκαλεσαμενος) cognatos suos *et amicos intimos* (τους αναγκαιους φιλους. Vide Kypkium ad h. l.). Nimirum cupiebat Cornelius

---

χρηματιζειν. Nusquam in libris veterum χρημα significat *monitum divinum*, vel *oraculum*, neque a Grammaticis ista vocis potestas fuit annotata. Quid itaque? *Oraculum* vulgo Graece dicitur χρησμος. Attendenti mox patebit, id ipsum antiquitus significare potuisse χρημα, quippe ortum ab eiusdem Verbi Praeterito Passiv. diversimode pronunciato κεχρημα et κεχρησμαι : illinc χρημα, hinc χρησμος. *Oraculo hominem admonens Deus* χρᾷν dicebatur. Vulgo et eximio χρημα *rem* notabat *utilem*. Ab hac virtute χρηματιζειν apud Graecos significabat *res utiles tractare*, et Medium χρηματιζεσθαι *pecunias corradendo suis commodis inservire*. Hac potestate adhibuerunt Historicorum veterum optimi Thucydides, Theopompus (apud Athenaeum), et Xenophon.» Cf. Valckenarium ad h. l.

non suae suorumque et domesticorum tantum, sed et illorum saluti per adventum Petri consulere.

25. *Et factum est cum introisset Petrus*, etc.). Graece : ὡς δε εγενετο ελθειν τον Πετρον, h. e. *ut autem factum est, introire Petrum*, i. e. accidit autem, cum Petrus ingrederetur exteriorem partem sive vestibulum domus Cornelii (cf. vs. 27), ut hic illi obviam veniret, ac *prolapsus ad pedes eius* (πεσων επι τους ποδας) eumdem *adoraret* (προσεκυνησεν), h. e. adhiberet adversus eum, tamquam Dei ad se legatum, eximiam quamdam et profundissimam reverentiam.

26—27. *Petrus vero elevavit eum*, etc.). Petri modestia recusabat singularem illum honorem a Cornelio sibi praestitum. Itaque centurionem erexit, dicens : *Surge, ipse etiam ego* (καγω αυτος) *homo sum*, non secus ac te. Et iam familiariter cum Cornelio colloquens, ingressus est interiorem partem domus (vide supra (vs. 25), ubi reperit multos, qui illic convenerant (συνεληλυθοτας). Cf. vs. 24.

28—29. *Dixitque ad illos : Vos scitis*, etc.). *Vos* (qui inter Iudaeos habitatis adeoque experientia rem satis estis edocti) *scitis, ut nefas sit* (ὡς αθεμιτον εστιν) Iudaeo *familiariter agere* (κολλασθαι. Vide ad Cap. V : 13) cum Gentili (αλλοφυλῳ), vel *adire* (προσερχεσθαι) eum; sed mihi Deus ostendit (puta per illud ὁραμα. Cf. dicta ad vs. 22), non oportere deinceps quemquam hominum, cuiuscumque tandem nationis sit, *immundum* (κοινον η ακαθαρτον. Vide supra ad vs. 15) dicere, aut pro tali habere[1]. *Quare et* (διο

[1]) « Hac praefatione usus est Petrus, inquit Salmeron (Tract XXXII in Act.), ne Iudaei qui aderant scandalizarentur, videntes Petrum Iudaeum accessisse ad Cornelium Gentilem; et ut Gentes, cognito sibi Deo propitio, animarentur ad Evangelium suscipiendum. Prudens itaque his quae dicenda sunt, principium assumit, quo et Iudaeis et Gentilibus satisfaciat. »

και) sine ulla contradictione (αναντιρρητως) huc adveni *accersitus* (μεταπεμφθεις) a vobis, etsi gentilibus. Iam ergo (ουν) peto, ut mihi exponatis, *quam ob causam* (τινι λογῳ) accersiveritis me.

Interdictum, de quo hic loquitur Petrus (ὡς αθεμιτον εστι) quum in Lege Mosaica non exstet, aliunde repetendum est. Agit ea de re Seldenus, *de iure naturae et gentium iuxta disciplinam Hebraeorum*. Lib. II. C. 5. — Αλλοφυλος proprie est *alienigena;* hic autem, ut patet ex opposita voce Ιουδαιος, vox αλλοφυλος dicitur de eo qui nec ortu, nec religione Iudaeus sit. Dativus τινι λογῳ forsitan referendus est ad Dativum *Commodi*, ut si Gallice diceres : *pour quelle raison.*

30. *Et Cornelius ait : A nudiusquarta die orans hora nona*, etc.). Ex alia lectione[1], quam praetulerim, Graeca verterim : *quarto abhinc die usque ad hanc horam* (qua nunc tecum loquor) *eram ieiunans et hora nona domi orabam; et ecce vir*, etc. — *Nudius* est contractum ex *nunc dies*; in composita voce *nudiusquartus* non necesse est ut in casibus obliquis declinetur prior pars. Atque hanc versionem postulat contexta oratio; nam dicere vult Cornelius quid ageret, quo tempore angelus illi apparuit. Exempla tamen desidero, quibus recte probetur, Praepositionem απο etiam eam habere vim, quam illi hoc loco tribuo.

---

[1]) Var. lect. Post ημην legitur νηστευων και in Codd. DEH (in G legitur νηστευων, omissis και την usque μου), variisque Minusculis; item in versionibus antiquis, Itala, Syriaca, Sahidica, Arabica (in Polyglottis Walton.) et Slavonica. Leguntur quoque hae voces in textu Chrysostomi, Oecumenii, et Theophylacti; et legebantur quoque in Codicibus Graecis, quos vidit Ven. Beda. Tandem voces has legit etiam Tertullianus (Lib. de Ieiuniis, Cap. 8). — Et S. Epiphan. Haer. 28, Cap. 3. Augustinus in Ps. 96, et Prosper in Ep. ad Rufinum (apud Calmetum ad h. l.) inter bona Cornelii opera, etiam *ieiunium* recensent. Quae cum ita sint, voces νηστευων και pro germana Lucae scriptura habeo, eoque magis quòd facile fieri potuit, ut librarius aliquis, ob similes litterarum ductus, a voce HMHN, omisso νηστευων και, ad vocem THN, errante oculo, transilierit. —

et ecce vir, etc.). Ita angelum nominat (cf. vs. 8 et 22), quod is sub specie *viri* illi apparuerat. Angeli illi duo, qui, Christo Domino in coelum adscendente, Apostolis apparuere, eadem ratione, hoc est, propter similitudinem assumpti corporis humani in specie virili, *viri* appellantur. Vide supra Cap. I : 10.

31–32. *Et ait : Corneli, exaudita est*, etc.). Vide quae notavimus supra ad vs. 4—7. Nihil differunt, ad sensum quod attinet, εισηκουσθη ἡ προσευχη σου (*exaudita est oratio tua*)) et εμνησθησαν ενωπιον του Θεου αἱ ελεημοσυναι σου, *Deus recordatus est eleëmosynarum tuarum* ad earumdem remunerationem. Sic dicitur Deus (Apoc. XVI : 19) recordatus esse Babylonis (βαβυλων ἡ μεγαλη εμνησθη ενωπιον του Θεου) in ira sua, ad poenam.

33. *Confestim*, etc.). Graece εξαυτης, quod valet εξ αυτης της ὡρας, quasi Gallice diceres *sur l'heure*. *Bene fecisti* (καλως εποιησας) h. e. gratissimum mihi fecisti, quod veneris. Formula καλως εποιησας est formula, nunc *approbantis et laudantis*, nunc vero *gratiam alicui habentis*. Exempla dat Kuinoëlius ad h. l.— Graeca: ενωπιον του Θεου παρεσμεν eum sensum habent, ac si diceret Cornelius : *nunc igitur omnes nos, coram Deo*[1] *id dico* (i. e. Deum testor. Cf. Gal. I : 20), *hic adsumus ad audiendum* (ακουσαι Infin. *finis*) et faciendum quaecumque tibi praecepta sunt a Deo, ut nobis exponeres.

34—35. *In veritate comperi*, etc.). Graece in Praesenti : καταλαμβανομαι (Med.) *mente comprehendo*. Post hanc Cornelii professionem, Petrus ita dicere exorsus est : *Minime fallor, sed verum est quod mente comprehendo* (επ' αληθειας καταλαμβανομαι)

---

[1]) VAR. LECT. Pro ενωπιον του Θεου legitur ενωπιον σου in Cod D. et Versionibus antiquis Syr. Sahid. Aethiop. Armen. et Vulgata.

scilicet quod nullus est Deo personarum respectus, sed acceptus illi est in quavis gente quisquis timet eum, et recte factis operam dat.

Locutio επ' αληθειας, sicut hic explicatur, ita legitur Marc XII : 32. Dictio προσωπον λαμβανειν τινος, notionem habet eam, quae subest Latinae : *rationem habere personae cuiuspiam*. Sed non est proprie Graeca illa dictio, sed Hebraica; refert enim notum illud נָשָׂא פָּנִים, *personam (alicuius) accepit*, quod dicitur *in malam partem* de eo qui *temere favet alicui*, aut *partium studio ducitur*, ut Iob. XIII : 10. Porro ad dictionem προσωπον λαμβανειν effictae sunt voces compositae προσωποληπτης, quae hic legitur, et προσωποληπτεω (Iacob. II : 9), et προσωποληψια (Rom. II : 11). Δικαιοσυνη in Graecitate sacra dicitur et de *recte factis* universe, idque secundum amplitudinem significationis, quam respondens vox צְדָקָה passim in S. Scriptura Hebraica obtinet. Ceterum *personarum respectus*, quem Petrus in Deo esse negat, eo sensu capiendus est, ut intelligamus, Deum hic dici paratum esse in Ecclesiam suam recipere omnes in Christum credere volentes, sine discrimine gentis, sive Gentiles sint, sive Iudaei.

Notat Stapleton (in Antidotis Apostolicis ad h. l.) : « Non loquitur B. Petrus, *inquit*, de illa acceptione personarum quae vitium est, et iustitiae opponitur, quasi aliquando cogitaverit Deus duobus similiter promerentibus, similiter non retribuere; sed loquitur de illa acceptione personarum, quae ad electionem et optionem gratuitam pertinet; quia Iudaei, sub quorum persona, et propter quos adstantes ista loquitur Petrus, semper existimaverant, Deum sic solum populum Iudaeorum prae aliis elegisse, ut sicut olim soli Iudaei aut eorum proselyti ad Synagogam pertinebant, sic et nunc soli Iudaei aut eorum proselyti ad Ecclesiam pertinerent, et ad redemtionis per Christum participationem (ceteris omnibus neglectis) vocandi essent. Dicit igitur Petrus ad instructionem adstantium Iudaeorum, et ad consolationem Gentilium, *se*

iam in veritate comperisse, id est, manifestis argumentis tam factae sibi revelationis, quam factae Cornelio Evangelicae admonitionis, deprehendisse, quod ad sui nominis cultum et ad gratiam non solos Iudaeos veluti personas singulariter electas Deus vocaturus erat; sed contra, *quod ex omni gente et* populo, sive Iudaeo, sive Graeco, *quicumque timent Deum et operantur iustitiam*, *accepti sunt illi;* id est, apti et idonei sunt ad beneficium gratiae Christi percipiendum, videlicet remissionem peccatorum, iustificationem, et salutem. Notandum autem quod duo dicat : Unum est, non esse Deum personarum acceptorem, quia tam Gentes quam Iudaeos ad salutem vocat; alterum est, eos vocari *qui timent Deum et operantur iustitiam;* quod non est sic intelligendum, quasi non alios vocet, quum innumeri peccatores flagitiosi et scelerati, qui nec Deum ante timuerunt, nec ullam operati sunt iustitiam, ex pura Dei misericordia ad salutem vocentur; neque sic intelligendum, quasi timentes Deum et iustitiam operantes, vel ex eorum merito vocentur, vel sine fide et speciali Dei gratia Deum timuerunt ac iustitiam operati fuerunt; sed observans Petrus duo : unum, vocari Gentes ad fidem, alterum, vocari istum Cornelium hominem timentem Deum, et operantem iustitiam; utrumque pronunciat, prius quasi cum admiratione et ad instructionem Iudaeorum adstantium, posterius per modum exhortationis. »

36—38. *Verbum misit Deus filiis Israël*, etc.) Graeca sic lego : *τον λογον, ὅν*[1] *απεστειλε... το γενομενον ρημα... αρξαμενον*[2], etc. — Quae vs. 36—38 dicuntur, habenda sunt tamquam una periodus. Verba (vs. 36) haec : *οὑτος εστι παντων Κυριος*, cum

[1]) Var. lect. Vocula *ὅν* non legitur in ABC* nec in Verss. Copt. et Vulgata.

[2]) Pro *αρξαμενον* legitur *αρξαμενος* in Codd. ACDE. Ast *αρξαμενον* postulat Syntaxis : *το γενομενον ρημα—αρξαμενον*. Noster interpres quid legerit, certo dici nequit. Vocula (*γαρ*) post *αρξαμενος* legitur in Cod. AD, in Vulgata, et apud Irenaeum. —

Interprete nostro pro Parenthesi habeo. Accusativus (vs. 36) *τον λογον* censendus est pendere ab *οιδατε*, quod erat in mente dicentis, quando inchoatam sententiam interrupit per Parenthesin : *ούτος εστι παντων Κυριος*. Nam quod animus eius erat dicere : *τον λογον, όν απεστειλε—ύμεις οιδατε*, patet hoc ex vs. 37, ubi resumitur sententia Versiculo 36 inchoata, quae ibi per Parenthesin fuerat interrupta. Putamus porro, *ad rem* quod attinet, inter se non differre *τον λογον*, et *το γενομενον ρημα*. — Accusativus (vs. 38) *Ιησουν τον απο Ναζαρετ*, est Accusatiuus epexegeticus antegressi *το γενομενον ρημα*.

Itaque Graeca sic Latine explicamus : *Vos scitis verbum* (la parole), *quod Israëlitis* praedicandum *misit* Deus, *pacem annunciando per Iesum Christum* (*hic est Dominus omnium*); *scitis*, inquam, *verbum quod factum* (praedicatum) *est* (*το γενομενον ρημα*, la parole, qui s'est fait entendre) *per universam Iudaeam, initio ducto* (*αρξαμενον*) *a Galilaea, post baptismum quem praedicabat Ioannes;* scitis *Iesum Nazarenum, ut unxerit eum Deus Spiritu Sancto et virtute*, *qui* (Iesus) *Iudaeam peragravit benefaciens et sanans omnes a Diabolo oppressos, quia Deus erat cum illo.*

Vos scitis verbum quod, etc.). Caesareae habitatores eo tempore non poterant non iam inaudivisse de Christiana religione, quae inde a pluribus annis per Palaestinam praedicabatur. Publica haec rei notitia, quae Caesareënsibus non defuerit, a Petro attenditur, dum eos alloquens, dixit : *Vos scitis*, praebiturus illis distinctiorem hac de re notitiam.

annuncians pacem per Iesum Christum). *Pacem* intelligo reconciliationem humani generis cum Deo; eam, inquam, de qua Apostolus (2 Cor. V : 18—20) loquitur, dum dicit : *Deus nos reconciliavit sibi per Christum; et dedit nobis ministerium reconciliationis..., et posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur.*

Voces *δια Ιησου Χριστου* putem esse iungendas, non cum *ευαγ-*

γελιζομενος, ut Iesus Christus hic dicatur *pacis* illius promulgator, sed cum voce ειρηνην, ut illa *pax* sive *reconciliatio* intelligatur obtinenda PER Iesum Christum, h. e. per eius merita. Quam interpretationem postulare mihi videtur id quod sequitur : *hic est omnium Dominus*, h. e. non Iudaeorum tantum, sed etiam Gentilium, quippe qui suo sanguine tam hos quam illos redemit. Nam hoc effato Petrus innuere voluerit, reconciliationem per Iesum Christum obtinendam pertinere non ad solos Israëlitas, sed et ad reliquas gentes, *quum sit Dominus omnium;* quod mox (vs. 43) distinctius declarat, dum dicit : *Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.* Non quidem diffiteor, si iungendae sint voces δια Ιησου Χριστου cum ειρηνην, fuisse tum, secundum usitatam Syntaxin, scribendum : ειρηνην την δια Ιησου Χριστου, sed idem scio, hanc Syntaxin non fuisse perpetuo observatam. Videsis quae in hanc rem notavimus in Ep. ad Philippenses ad Cap. 1 : 5.

37. *Vos scitis quod factum est verbum*, etc.). Intelligitur verbum praedicationis Evangelii, ut supra iam diximus. Αρξαμενον pendet ab antegresso το γενομενον ρημα. Sensus est : Vos scitis annunciatum illud verbum (*cette parole prêchée*) per totam Iudaeam, *facto praedicationis exordio* (αρξαμενον, q. d. *exortum*) a Galilaea, post baptismum, quem praedicabat Ioannes. — Postquam praecursor *praedicando baptismum poenitentiae viam Domino parasset* (Luc. III : 3, 4), tum demum suam Iesus Christus evangelicam praedicationem inchoavit.

38. *Iesum a Nazareth, quomodo unxit eum Deus Spiritu Sancto et virtute*). Supra iam monuimus, Accusativum hunc : *Iesum a Nazareth*, pendere ab antegresso : *vos scitis*. Itaque sensus est : Inaudivistis, inquam, de Iesu Nazareno, ut unxerit eum, etc. — Iesus Christus, Homo-Deus, a Deo unctus fuit secundum *huma-*

nam naturam; et *unctus* dicitur *Spiritu Sancto* (met den Heiligen Geest), quia Spiritus Sancti gratiarum plenitudo omnis in naturam eius humanam per unionem hypostaticam[1] fuit effusa. Ex his gratiis una erat *virtus patrandi miracula*, quod quidem Charisma in antegressa dictione (*Spiritu Sancto*), ut in *suo genere*, iam inclusum, speciatim hic memoratur, quia per edita miracula Iesus divinam suam missionem potissimum probaverat. Quod vero dicitur : *Deus unxit Iesum*, id eum sensum habet, ut pro eo dici potuisset : *Sanctissima Trinitas unxit Iesum;* quia operatio illa, qua Dei Filius humanam assumpsit naturam, tribus Personis sanctissimae Trinitatis communis est, ut cetera opera *ad extra;* quae *omnia sunt a Patre per Filium in Spiritu Sancto*, ut docet S. Cyrillus Alexandrinus, Dialogo VI de Trinitate. Adeoque rectissime etiam dici potest, Dei Filium ipsum se *unxisse Spiritu Sancto*, vel, ut cum S. Cyrillo (ibid.) loquamur, *proprium templum unxisse suo Spiritu*[2]. Quando vero Iesum Christum confitemur *conceptum de Spiritu Sancto*, aliis verbis dicimus : *Spiritus Sanctus Iesum unxit.* « Operatio illa, inquit Petavius[3], qua Dei Filius humanam sibi naturam adiunxit, etsi Personis reipsa sit

[1]) Cum Iesus Christus a Ioanne baptizaretur, Spiritus Sanctus adspectabili specie in illum descendit. Hoc vero non ideo factum est, quod recte animadvertit Lucas Brugensis (ad Matth. Cap. III : 16), ut monstraretur *impleri* Iesum Spiritu Sancto (cui a primo adsumptae humanae naturae momento *non ad mensuram* Spiritum Pater dederat), sed ut ostenderetur Spiritu Sancto *plenus esse*. Cum enim hactenus se domi tamquam privatus homo continuisset, nunc cum producendus est a Patre ad praestandum Redemptoris munus, huiusmodi signo declarat eum Pater, Messiam illum esse, quem olim ipse promiserat, unctum affatim omnibus Spiritus Sancti dotibus, ad *mediendum contritis corde, praedicandum captivis indulgentiam*, etc. Cf. Isa. Cap. LXI : 1—3. »

[2]) Κατα φυσιν ἁγιος ων ὡς Θεος, ἡγιαζετο καθο ανθρωπος, τῳ ιδιῳ πνευματι τον οικειον αυτος καταχριων ναον. In eamdem sententiam scripsit S. Ioan. Damascenus : Αυτος γαρ, inquit, ἑαυτον εχρισε· χριων μεν ὡς Θεος το σωμα τῃ θεοτητι αὑτου· χριομενος δε ὡς ανθρωπος· αυτος γαρ εστι τουτο κᾳκεινο. Χρισις δε ἡ θεοτης της ανθρωποτητος.

[3]) De Incarnatione Lib. XI, Cap. VIII : 5.

tribus communis, nihilominus Spiritui Sancto proprie solet accommodari; unde et conceptus ac natus de Spiritu Sancto esse dicitur. Nempe, ut idem observat, omnia bonitatis effecta, quibus charitas et sanctitas communicatur a Deo, imputari solent Spiritui Sancto; qui et ipse Charitas et Sanctitas peculiari processionis suae ratione nominatur. »

Qui pertransiit benefaciendo, etc.). Sensus est : Qui *peragravit* (διηλθεν) Palaestinam, ubique *beneficum se praebens* (ευεργετων), et *sanans* (ιωμενος) omnes, qui a *Diaboli potentia opprimebantur* (τους καταδυναστευομενους ὑπο του διαβολου) vel quod ad corpus, vel quod ad animum, vel quod ad utrumque (Cf. Matth. XV : 22; Marc. V : 2; Lucae IV : 33; XIII : 11). Quod vero additur : *quoniam Deus erat cum illo,* eo indicatur, miracula haec, de quibus Petri auditores non potuerant non inaudivisse, a Iesu Nazareno patrata fuisse *divina virtute*. Quod quamvis ex supra dictis (*Deus unxit eum Spiritu Sancto et virtute*) iam satis intelligeretur, tamen non otiosum erat denuo dicere, quo efficacius docerentur divinam Iesu Christi missionem, quam illa miracula testatissimam faciebant. — Διερχομαι passim dicitur *absque Casu loci*, ex contexta oratione facile intelligendi. Cf. Cap. VIII : 4; XIII : 14; XVII : 23.

38. *Et nos testes sumus omnium*, etc.). Nexus cum superioribus hic est : *Vos* (vs. 37) de rebus gestis a Iesu Nazareno *inaudivistis, et nos* Apostoli *oculati* testes sumus omnium quae gessit (ὡν *per Attractionem*) cum per universam Palaestinam, *tum maxime* (de και vide supra pag. 12) in metropoli inter Hiërosolymitanos; *quem etiam* (ὁν και[1]) occiderunt, suffigendo eum in cruce. Επι ξυλου, *aan een hout*. Quod dicit Petrus : ὁν και ανειλον, illud forte ita intelligendum est, ut mente aliquid addatur, quod Petrus

---

[1]) Var. lect. Vocula και, quae a Vulgata abest, legitur in ABCDEG et in plerisque Minusculis.

cogitaverit quidem, sed verbis non expresserit. Fingamus eum in mente habuisse sententiam hanc : Quem (Iesum Nazarenum) Hiërosolymitani, pro tot beneficiis pessimam gratiam referentes, persecuti sunt, *imo et* (και) tamquam malefactorem *occiderunt* (ανειλον), suffigendo eum in cruce. Iam si ponamus, Petrum alteram tantum partem huius sententiae verbis expressisse, causam istius και indicaverimus.

40—41. *Hunc Deus suscitavit*, etc.). Quae supra (vs. 38) docuimus *de Deo Iesum ungente Spiritu Sancto et virtute*, ea etiam in praesentem locum pariter quadrant. Sequitur : *et dedit eum manifestum fieri*, h. e. fecitque (εδωκε יִתֵּן) eum conspicuum fieri (*apparere, exhibere sese vivum*), non toti populo, sed certis quibusdam viris, *quos Deus in testes* oculatos eius rei *ante elegerat* (μαρτυσι τοις προκεχειροτονημενοις), *nobis*, inquam, Apostolis, *qui nempe* (οἵτινες) comedimus ac bibimus cum illo, posteaquam a mortuis resurrexisset. — Resurrectionis Iesu Christi *testes praeordinati* (προκεχειροτονημενοι) hoc ipso erant Petrus et reliqui undecim, quòd ad officium apostolatus a Deo per Iesum Christum fuerant electi. — Χειροτονειν proprie dicitur, sumto *antecedenti* pro *consequente*, de electione quae fit per *manus extensas*; sed in usu loquendi significatio huius vocis latius patet.

42. *Et praecepit nobis praedicare populo et testificari*, etc.). Graece τῳ λαῳ scil. Iudaeis; nam ab his faciendum erat exordium praedicationis, ut vidimus supra, Cap. I : 8; *et testificari* (διαμαρτυρασθαι. Vide supra pag. 75) i. e. palam ac constanter docere *quod ipse sit ille* (ὁτι αυτος εστιν) *qui constitutus est* (ὡρισμενος, *definitus est*), *a Deo iudex vivorum et mortuorum*. Intelliguntur hic *vivi* illi, qui vivent cum secundò Salvator adveniet. « Producit, inquit Salmeronius Tract. XXXII in Act.), Christum iudicem universorum, ut non tantum diligant eum ut redemptorem, sed etiam timeant ut iudicem.»

43. *Huic omnes Prophetae*, etc.). Τουτῳ est Dativus *commodi;* Belgice diceres : *voor dezen getuigen*, etc. Sententia eòdem redit, si dicas : de eo (Iesu Nazareno) divinitus edocti testificantur prophetae omnes (*παντες οἱ προφηται*, *tous les prophètes*). Quid testantur? Testantur, ipsum esse eum *per cuius nomen* (per cuius personam, per cuius personae merita) *accepturus esset* (λαβειν) remissionem peccatorum, nullo discrimine gentis, quisquis *crederet in eum;* sive *crederet illi;* nam passim in Scripturis promiscue dicitur *credere alicui*, et *credere in aliquem;* sed posterior loquendi ratio Hebraeorum est (הֶאֱמִין בְּ), prior vero potius Graecorum. S. Ioannes (Ep. 1, cap. V : 10) in eamdem sententiam adhibet locutionem *credere in Filium*, et *credere Filio*. Notum est, Scholasticos inter dictiones *credere Deo* et *credere in Deum* sic distinguere, ut *credere Deo* apud ipsos notet actum fidei quam vocant *informem*, sed *credere in Deum* actum *fidei formatae*. « Quae distinctio, ut sapienter monet Lorinus (ad Act. Ap. Cap. V : 14), non est respuenda, dum constat, non ex propria Scripturae phrasi ductam esse vel inde vim habere, sed ex eorumdem placito theologorum; cum liceat ad propria cuiusque disciplinae fundamenta significantius ac expressius declaranda, locutiones alioqui communes, peculiares propriasque efficere. »

Dicat quis : Sed cur tandem opus fuit, ut visione illa Petrus edoceretur de Gentibus admittendis in societatem Novi Testamenti, quum iam disertis verbis Iesus Apostolis praecepisset, ut *docerent gentes omnes?* (Matth. XXVIII : 19, 20; Marc. XVI : 15; Act. Ap. 1 : 8) Quaestioni huic Lucas Brugensis (ad Matth. XXVIII : 19) respondet, coniiciendo, Apostolos non primum statim momento praeceptum hoc clare intellexisse; in qua opinione video fuisse etiam Salmeronem, Tract. XXXII in Act. Ap.

44—46. *Adhuc loquente Petro verba haec, cecidit Spiritus*, etc.). Petrus hunc sermonem necdum finierat, cum in gentiles eius

auditores omnes (*in Cornelium eiusque cognatos et necessarios amicos*. Vid. supra vs. 24) Spiritus Sanctus *cecidit* (επεπεσε); quod quidem ex visibili signo manifestum fiebat, quum derepente inciperent Dei laudes celebrare, uteutes linguis, quas nunquam antea fuerant edocti. Quae res obstupefecit *Iudaeo-Christianos illos* (οἱ εκ περιτομῆς πιστοι), qui cum Petro Caesaream venerant. Et causa stuporis iu eo erat, quod viderent, etiam in Gentiles incircumcisos effusam esse Spiritus Sancti gratiam, quam illi ad solos Iudaeos, aut certe circumcisione Mosaicis sacris initiatos pertinere existimabant.

Ergo Gentiles illi antequam baptizarentur, ad praedicationem Petri conceptà fide in Christum et anteactae vitae poenitentes, unà cum dono linguarum acceperunt gratiam iustificantem[1]. Quodsi existimemus, illos iam ante adventum Petri iustificatos fuisse, quod supra (ad vs. 2) de Cornelio ex Sanctorum Patrum sententia docuimus, dicendum erit, Gentiles illos ibi tum accepisse iustificantis gratiae augmentum. « Quantum valeat, inquit S. Augustinus (Lib. IV de Baptismo, Cap. XXII), etiam sine visibili Sacramento Baptismi, quod ait Apostolus : *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, in illo latrone declaratum est; sed tunc impletur invisibiliter, cum ministerium Baptismi non contemtus religionis, sed articulus necessitatis excludit. Nam multo magis in Cornelio et in amicis eius, quam in illo latrone, posset videri superfluum, ut aqua etiam tingerentur, in quibus iam donum

[1]) S. Chrys. (Hom. XXIV in Act. Ap.) Ουχ ἁπλως δε, inquit, το Πνευμα λαμβανουσιν, αλλα γλωσσαις ελαλουν, ὁπερ και εξεπληττε τους συνελθοντας. h. e. Non autem tantummodo Spiritum accipiunt, sed etiam linguis loquebantur, quod obstupefecit eos qui cum illo venerant. »

In eamdem sententiam scribit S. Cyprianus (Ep. 72, edit. Pamelii) : *Apostolum Petrum divini praecepti atque Evangelii memorem praecepisse, ut baptizarentur iidem qui iam fuerant Sancto Spiritu pleni; ut nihil praetermissum videretur, quominus per omnia divini praecepti atque Evangelii legem Apostolica magisteria servarent.*

Spiritus Sancti (quod non nisi baptizatos alios accepisse sancta Scriptura testatur, certo quoque indicio quod illis temporibus congruebat, cum linguis loquerentur) eminuerat. Baptizati sunt tamen; et in hoc facto Apostolica exstat auctoritas. Usque adeo nemo debet in quolibet provectu interioris hominis contemnere Sacramentum, etc. » Salmeronius (Tract. XXXIII in Act.) sequentes recenset causas, cur in Cornelium ceterosque necdum baptizatos Spiritus Sanctus descenderit. » Factum est hoc, *inquit*, consilio Spiritus Sancti, qui praevenit ministerium Petri, ne illum cavillis ac calumniis Iudaeorum obiiceret. Sciri enim voluit, penitus a Deo esse vocationem Gentium, et non tantum ab Apostolis ministris; et ut conversi ex Iudaeis cognoscerent, se non ex Lege aut circumcisione, sed ex fide in Christum accepisse Spiritum Sanctum; nam et sine baptismate et circumcisione donatus est Cornelio Spiritus Sanctus. Ad haec, ut tam ipse Petrus, quam alii Apostoli, non dubitarent, etiam incircumcisos vocare ad Christum. Denique, ut probaretur doctrina Petri producentis testimonia Scripturarum, atque confirmaretur. »

47. *Tunc Petrus respondit*, etc.). Vox απεκριθη hic refert solenne illud Hebraicum וַיַּעַן; Gallice hic verteres : *alors* (ad visibilem Spiritus Sancti in praesentes effusionem) *Pierre prit la parole, et dit*. Confer quae notavimus supra ad Cap. III : 13. — Quod vero dicit Petrus, eò redit, ut protestetur, neminem posse prohibere quominus Cornelius cum suis baptizarentur licet incircumcisi, quippe qui, sicut ipse ceterique Apostoli in die Pentecostes, unà cum dono linguarum Spiritum Sanctum iam accepissent.

Του μη βαπτισθηναι est Genitivus *finis*. Graeca valent : an forte (μητι) aquam prohibere quis potest *in eum finem, ut ne baptizentur* (του μη βαπτισθηναι), etc. De και *redundante* in oratione comparativa, ut hic in καθως και ἡμεις, vide quae notavimus in Ep. ad Philippenses Cap. II : 5.

48. *Et iussit eos baptizari in nomine Domini Iesu Christi*). Non dicitur a quo baptizati fuerint; sed probabilis coniectura est, fuisse inter eos qui Petrum comitarentur, diaconum aliquem, cui Petrus hoc officium committere potuerit. Baptizabantur autem *in nomine* (εν τῳ ονοματι) *Iesu Christi*, i. e. *Baptismo Christiano*. Confer hic quae notavimus supra ad Cap. VIII : 16. — Novelli illi Christiani Petrum rogarunt, ut per aliquot dies apud ipsos commoraretur; cui petitioni ille haud dubie satisfecerit.

CAPUT UNDECIMUM.

Argumentum. Rumor de Cornelio cum suis baptizato perfertur ad Christianos Hiërosolymitanos. Sed ea res nonnullis minime placet. Quare cum Petrus Hiërosolymam rediisset, expostulant cum eo, cur familiariter egisset cum viris incircumcisis, vs. 1—3. Quorum criminationi Petrus ita respondet, ut rem ab origine repetens, ordine illis exponat, quae tum sibi tum Cornelio accidissent; qua enarratione viris illis plenissime satisfacit, vs. 4—18. Narratur porro, ut Christiani aliquot ex his qui ob persecutionem post mortem Stephani Hiërosolymâ oxsulaverant, peragrando et praedicando Evangelium pervenissent usque ad Phoenicen, et in Cyprum insulam, et ad Syriae metropolim, Antiochiam. Et hi hactenus quidem Iudaeis tantum Christum annunciaverant; quidam vero ex illis cum Antiochiam venissent, etiam Gentibus Iesum praedicant, idque felici successu, vs. 19—21. Quare Barnabas Hiërosolymâ eò mittitur; qui adiutore Paulo, quem Tarso ad se arcessit, florentissimam ibi fundat ecclesiam, vs. 22—27. Per idem tempus Agabus propheta famem praedicit; quam ob rem Antiocheni collectam inter se pecuniam Christianis habitantibus in Iudaea transmittunt per Paulum et Barnabam, vs. 28—30.

1. *Audierunt autem Apostoli et fratres qui erant in Iudaea*, etc.). Fama de Cornelio Gentili eiusque cognatis et amicis in Ecclesiam Christi ab ipso principe Apostolorum admissis, brevi percrebuerat per universam Iudaeam. Κατα την Ιουδαιαν Belgice valet : *over Judea*. Vide Gr. pag. 429. Ex modo loquendi, quem S. Lucas hic adhibet, colligi posse videtur, Apostolos tunc temporis per Iudaeam, alios aliò fuisse dispersos. Confer quae diximus supra ad Cap. IX : 27. Obiter hic notandum est, recepisse *verbum Dei* a Luca dici eos, qui Evangelicam doctrinam fide amplexi, Christo nomen dederant. In Cornelio cum suis ad Christi

ecclesiam admissis, Gentilitatis veluti primitiae Deo fuerant oblatae.

2—3. *Cum autem adscendisset Petrus Hiërosolymam, disceptabant,* etc.). Petrus postquam per aliquot adhuc dies mansisset apud novellos illos Christianos Caesareënses, deinde Hiërosolymam profectus est, comitantibus eum (vide infra vs. 12) sex illis Iudaeo-Christianis, qui cum eo ex Ioppe Caesaream venerant. Quo vero tempore Petrus Hiërosolymam venit, nullus ceterorum Apostolorum ibi adfuisse videtur; hoc certe ex Lucae hac de re silentio non improbabiliter quis collegerit. Quidquid sit, Hiërosolymae non Apostolorum aliquis, sed Hiërosolymitani *Iudaeo-Christiani* (οἱ εκ περιτομης) *litem agebant adversus Petrum* (διεκρινοντο προς αυτον), dicentes : Fecisti quod non debuisses : ingressus es aedes *incircumcisorum* (ανδρας ακροβυστιαν εχοντας), atque etiam mensam habuisti cum illis communem! — Notat hic S. Chrysostomus, obmurmuratores illos non ausos fuisse directò obiicere Petro quod incircumcisos in Christi Ecclesiam admisisset, sed indirectò hoc illi exprobrare, obiurgantes eum, quòd familiariter egisset, imo et manducasset cum incircumcisis, quod nefas habebatur; Petrum vero, neglecto hoc praetextu, rem defendisse de qua illi tacuerant[1].

Particula ὁτι hic, ut saepe alibi, inservit ad inducendam *orationem directam*. Vide supra ad Cap. II : 12. Interpretem nostrum, quia vertit *quare*, pro ὁτι legisse aut τι aut τι ὁτι, non est cur putemus, quum nullus codex Ms. eam lectionem exhibeat.

---

[1]) Τι εστι, Διεκρινοντο; Εσκανδαλιζοντο, φησιν, ου μικρως. Και θεα τι προβαλλονται. Ου λεγουσι, δια τι κατηγγειλας; αλλα, δια τι συνεφαγες; Ὁ δε Πετρος ου προς τουτο ἱσταται το ψυχρον (ψυχρον γαρ οντως ην), αλλα προς εκεινο το μεγα, λεγων· ὁτι ει Πνευματος μετελαβον και αυτοι, πως τουτου μεταδουναι ουκ ην; h. e. Quid est illud, *Disceptabant?* Non parum, inquit, offendebantur. Et vide quid obiiciant. Non dicunt, cur anountiasti? sed, *cur unà manducasti?* Petrus vero non in hoc frigido dicto moratur (nam frigidum vere erat), sed in magno illo, dicens : Si Spiritum illi acceperant, quomodo hoc non illis concedendum erat?

4—6. *Incipiens autem Petrus, etc.*). Graece αρξαμενος h. e. *exorsus*. Graeca malim sic Latine vertere : *Petrus autem*, audita illorum expostulatione, dicere *exorsus*, rem omnem *ex ordine* (καθεξης) *illis exposuit, dicens*, cet. Quae iam sequitur Petri narratio (vs. 5—16), haec fere eadem est cum Lucae eiusdem rei narratione, quam supra (Cap. X : 11, sqq.) jam explicavimus.

10. *Recepta sunt omnia*). Graece ανεσπασθη ἅπαντα. Scilicet ingens illud linteamen unà cum iis quae continebat. Apud Historicos, notante Valckenario ad hunc locum, ανασπᾳν de *navibus* frequentatur *in terram subductis*, vel *retractis*. Ανασπᾳν hic valet Nostratium *optrekken*.

12. ... *et sex fratres isti*). Hinc colligitur, Christianos illos Ioppenses sex comites fuisse Petri, Caesareâ Hiërosolymam proficiscentis.

14. ... *in quibus salvus eris*). Graece εν οἱς σωθησῃ, h. e. per quae salutem consequeris. Praepositio εν dicta hic est *de instrumento quo*, ut saepe alibi. Nempe εν in talibus refert Praepositionem ב Hebraicam.

15. *sicut et in nos in initio*). Puta die Pentecostes, quando in congregatos in coenaculo omnes Spiritus Sanctus illapsus est.

16—17. *Recordatus sum autem, etc.*). Sensus est : Tum vero, cum viderem ex dono linguarum his Gentilibus collato, illapsum fuisse in illos Spiritum Sanctum, *sicut et in nos in initio, recordatus sum verbi*, quod Dominus adscensurus in coelum nobis dixerat : *Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto;* animadvertebam nempe, hanc Domini promissionem adimpleri etiam in Cornelio ceterisque illis Gentilibus. Si

ergo Deus incircumcisis illis, ut qui in Dominum Iesum Christum credidissent, eamdem (εδωκεν Aor.) dederat gratiam ac nobis non ut circumcisis sed ut in Dominum Iesum Christum credentibus, *ego quis eram qui possem prohibere Deum?* Talibus negare Sacramentum initiationis Christianae, quid aliud fuisset quam improbare quod fecisset Deus, qui manifesto signo in Ecclesiam suam eos cooptaverat?

Hactenus Petrus; ex cuius responso manifestò patebat, totam rem adscribendam esse Deo, quo nempe tum praemonente tum iubente, Petrus fecisset, quaecumque fecisset.

De *και redundante* (vs. 15 et 17) in oratione comparativa, vide supra ad Cap. X : 17. — Verba (vs. 16) ὡς ελεγεν reddi possunt *ut dicebat* (hoe hij zeide). Effatum Domini : *Ioannes quidem*, etc., interpretati sumus supra p. 23. — Dativum Participii Aor. πιστευσασιν refero ad αυτοις et ad ἡμιν. Si ad ἡμιν tantum referendum esset illud πιστευσασιν, legeremus, opinor, cum Articulo, τοις πιστευσασιν. Vocula ει hic habet vim Particulae *temporalis* επει. Quod vero atinet ad Particulam δε in Apodosi : εγω δε τις ημην, notandum est, usitatum esse Graecis post plerasque Particulas temporales, in iisque maxime post επει, per Anacoluthon inferre in Apodosi Particulam δε (vide Hermannum ad Viger. p. 785). Est praeterea animadvertendum, in locutione : εγω δε τις ημην δυνατος κωλυσαι τον Θεον, duas interrogationes in unam coaluisse; nam coguntur hic duo haec : unum : *ego vero quis eram?* alterum vero : *an poteram ego?* Videsis Gr. pag. 516.

18. *His auditis, tacuerunt, et glorificaverunt Deum*, etc.). Cum ex iis quae a Petro audierant (ακουσαντες), non possent non agnoscere, ex Dei voluntate gesta esse omnia, *tacuerunt* (ἡσυχασαν), i. e. Petro acquieverunt, Deique benignitatem et misericordiam *laudabant* (εδοξαζον), exclamantes : *Ergo plane* (ἄρα γε) compertum est, quod Deus non Israëlitis tantum, verum etiam Gentilibus

et incircumcisis concesserit *poenitentiam* (την μετανοιαν) *ad vitam* (εις ζωην) sive salutem in Christo consequendam! Poenitentia quae hic dicitur cum Articulo (την μετάνοιαν) intelligitur ea, quam Salvator noster Apostolos suos (Luc. XXIV : 47) iusserat ut omnibus praedicarent; adeoque *poenitentia* Synecdochice hic dicitur de tota oeconomia salutis a Deo constituta. Cf. Act. XX : 20, 21, col. 24.

19. *Et illi quidem, qui dispersi fuerant*). Graece : οἱ μεν ουν διασπαρεντες, *illi* ERGO *qui dispersi fuerant*. Supra (cap. VIII : 4) Lucas incoeperat narrationem de rebus gestis ab iis qui, exorta persecutione post mortem Stephani, Hiërosolymà exsulare coacti fuerant; et primo loco memoraverat res gestas a Philippo Diacono (Cap. VIII : 4—40); sed ibi incoeptam illam narrationem abruperat, dicturus, quod temporis ordo postulabat, de conversione Sauli (Cap. IX : 32), de visitatione Ecclesiarum Palaestinensium a Petro instituta (ibid. 33—43), et de Cornelio ceterisque illis Gentilibus in Christi Ecclesiam admissis (Cap. X—XI : 18). Nunc vero abruptam illic (Cap. VIII : 40) narrationem de exsulibus illis Hiërosolymitanis hoc loco (Cap. XI : 19) resumit. Hinc, adhibita ουν Particula *resumentis*, dicit hic : οἱ μεν ουν διασπαρεντες.

a tribulatione, ... sub Stephano). Graece απο της θλιψεως, ubi Praepositio απο reddi posset *inde a;* malim tamen hic eam reddere *prae*, i. e. *propter*, *ob*, quo sensu απο occurrit infra, Cap. XII : 14. Interpres noster legerit επι Στεφανου, quae causa sit, cur verterit *sub Stephano*. Sed testatissima lectio hic est : επι Στεφανῳ, quod reddo *ob Stephanum*, i. e. ob sanctissimi huius viri zelum et libertatem in arguendo Iudaeos. « Επι, ait Valckenarius (ad h. l.), iunctum *Genitivo* Nominis proprii vel Pronominis, *tempus* semper notat; sed nomina ista debent esse vel *Regum*, vel *Magistratuum*, vel aliorum, secundum quae *tempora numerantur*. Dativo autem iunctum, saepe notat *occasionem*, qua quid evenit. Atque ita dubium nullum est, quin hic sit capiendum : Afflictio quae evenerat *ob Stephanum*, vel *occasione Stephani*. »

perambulaverunt usque Phoenicen, etc.). h. e. per vicos et urbes *peragrando* et evangelizando *pervenerant* (διηλθον), alii usque ad terrae tractum illum, qui mari Mediterraneo adiacet inter Iudaeam et Syriam, quique Phoenice sive *Phoenicia* vocatur; alii in Cyprum, insulam Phoeniciae oppositam, alii in Antiochiam, Syriae metropolim. Et Iudaeis solis, non vero Gentilibus, exsules illi *verbum Evangelicum* (τον λογον) praedicaverant.

20—21. *Erant autem quidam ex eis*, etc.). Scilicet ex *dispersis illis* (vs. 19). Ανδρες Κυπριοι και Κυρηναιοι sunt Iudaeo-Christiani, nati pars in insula Cypro, pars Cyrenae, quae urbs erat Lybiae Cyrenaicae primaria. Hi quum ingressi essent civitatem Antiochiam *Graecis*[1], h. e. Gentilibus, locuti sunt de Christo, doctrinam Evangelicam iisdem praedicantes. *Eratque manus Domini* cum his praedicatoribus, h. e. *potentia sua* (יָד, *manus*, de *potentia* passim dicitur) *Deus* (Κυριος) illis aderat ad varia patranda miracula, quibus veritatem praedicatae doctrinae divinitus confirmarent[2]. *Multusque numerus credentium*, Graece, πολυς τε αριθμος πιστευσας, h. e. et magnus hominum numerus evangelicam *fidem amplexi* (πιστευσας), conversi sunt ad Dominum Iesum (επι τον Κυριον), i. e. Christo nomen dederunt, Christiani facti sunt.

Graecos hoc loco intelligimus non Ἑλληνιστας[3], id est, Iudaeos

---

[1]) Var. lect. Legitur hic in Vulgata *loquebantur* et *ad*; ex quo videretur Interpres hoc loco legisse ελαλουν και προς. Sed haec vocula και a plerisque Codicibus abest, nec legitur in antiqua Itala; in Syriaca vero versione legitur. Forsitan glossema est, quo significaretur, viros illos Cyprios et Cyrenaeos Antiochiae non Graecis *tantum*, sed et Iudaeis Evangelium praedicasse.

[2]) S. Chrys. Hom. XXV in Act. ad h. l. Και την χειρ Κυριου, φησι, μετ' αυτων· τουτεστι, σημεια ειργαζοντο. Ὁρας δια τι και νυν ἡ των σημειων αναγκη γεγονεν; ἱνα πιστευσωσιν.

[3]) Var. lect. Pro Ἑλληνιστας legitur Ἑλληνας in AD*, atque ita legerunt etiam S. Chrysostomus aliique antiqui. Auctores versionum Italae, Vulgatae, Syriacae et Arabicae Ἑλλη-

qui patrio sermone utebantur Graeco, sed Ελληνας, id est, Gentiles. Et vero series narrationis hunc intellectum postulare omnino videtur; nam τινες illi (vs. 20) reliquis praedicatoribus (vs. 19) *opponuntur* (δε) tamquam tales qui facerent, quod non fecerant reliqui. Cum ergo reliqui dicantur Evangelium annunciasse *non aliis quam solis Iudaeis* (μηδενι λαλουντες τον λογον ει μη μονον Ιουδαιοις), vis logica postulat, ut illi τινες intelligantur Evangelium Antiochiae annunciasse *Gentilibus*. Nec video quid obstet, quominus coniiciamus, rumorem de Cornelio suisque a Petro in Ecclesiam Christi admissis iam tum perlatum fuisse Antiochiam, quo tempore praedicatores illi Cyprii et Cyrenaei hanc urbem adirent. Hi ergo si non aliter, vel ipsius Petri exemplo induci potuerunt, ut deinceps etiam Ethnicis Evangelium praedicarent.

22. *Pervenit autem sermo... super istis*, etc.). Graece ὁ λογος ... περι αυτων, h. e. *fama de his* viris Cypriis et Cyrenaeis (de felici successu quo Antiochiae Gentibus praedicaverant Evangelium) pervenit ad aures ecclesiae Hiërosolymitanae, adeoque et ad aures illorum Apostolorum, qui tunc Hiërosolymae forte agerent. Petrum et Iacobum ibi tum fuisse, ex serie narrationis (Cap. XII : 1—4) sat certo colligitur. Ad hos ergo referamus quod porro narrat Lucas : *et miserunt Barnabam usque ad Antiochiam;* Graece : και εξαπεστειλαν Βαρναβαν διελθειν[1] εις Αντιοχειαν, h. e. *et ablegarunt Barnabam ut iret* (διελθειν Infinitivus *finis*) *Antiochiam*, puta, ut apostolica auctoritate comprobaretur quod factum fuerat ab illis Cypriis et Cyrenaeis praedicatoribus. Barnabas

νιστας an Ἑλληνας legerint, discerni nequit, quum voces illas interpretatione sua non distinguant (Confer Act. VI : 1, et Act. XIV : 1). Quamquam vero lectio Ἑλληνας in Codicibus minorem habet auctoritatem, alteri tamen praeferenda est, quum contexta oratio lectionem Ἑλληνας omnino videatur postulare, ut in Commentario docetur.

[1]) Var. lect. Vox διελθειν non legitur in Codd. AB, ut nec in variis antiquis versionibus.

hic idem est cum eo, de quo sermo fuit supra Cap. IV : 37, et IX : 27.

23—24. *Qui cum pervenisset*, etc.). Barnabas ergo ubi *pervenisset* (παραγενομενος) Antiochiam, *et vidisset* (και ιδων) gratiam Dei (την χαριν του Θεου, *la grâce de Dieu*) illustri modo conspicuam in conversione istorum Gentilium religiosaque eorumdem vitae ratione, magnopere gavisus est; omnesque, ut *secundum propositum cordis sui* (τη προθεσει της καρδιας) *Domino Iesu Christo* (τῳ Κυριῳ) *perseveranter adhaererent* (προσμενειν), *assidue hortabatur* (παρεκαλει in imperf.); atque ita agebat Barnabas, *quia* (ὁτι) erat vir (αγαθος) probus (Deum amans et de proximorum salute sollicitus), *et plenus Spiritu Sancto et fide*, h. e. conspicuus abundanti Spiritus Sancti gratia, et imprimis theologica illa virtute, quae fides vocatur. Factumque etiam est, ut sanctissimi huius viri opera alii multi, adiuvante divina gratia, *sese* Christo Domino *adiungerent* (προσετεθη. Vid. supra ad Cap. II : 41).

Nota, Antiochensium illam ad fidem Christi conversionem ita hic divinae gratiae tribui (ιδων την χαριν), ut tamen etiam adscribatur libero eorum voluntatis proposito (τη προθεσει της καρδιας). — Dativum τη προθεσει habeo pro Dativo *normae*, ut pro eo dici potuisset κατα την προθεσιν. Similis Dativus occurrit supra, Cap. II : 23, et infra, Cap. XV : 1, in dictione : εαν μη περιτεμνησθε τῳ εθει Μωϋσεως.

25—26. *Profectus est autem Barnabas Tarsum*, etc.). Antiochiae vicina erat Cilicia, in qua Asiae minoris provincia, sita erat Tarsus, Pauli urbs natalis. Paulum Hiërosolymâ eò profectum fuisse, supra (Cap. IX : 30) vidimus. Noverat autem Barnabas, illum adhucdum in ea urbe commorari. Et fortassis, quod Salmeronius coniicit (Tract. XXXIII in Act.), Barnabas hoc quoque in mandatis habuit ab Apostolis, ut, cum venisset Antiochiam,

e vicina Tarso Paulum ad se arcesseret, ut unà ambo operam suam Antiochenae Ecclesiae impenderent. Quidquid sit, Barnabas in excolendo illo agro carere noluit opera Pauli, quem strenuissimum fore operarium, nihil dubitabat. Itaque Tarsum profectus est, Paulum ibi *inquisiturus* (*αναζητησαι*, *om Paulus op te zoeken*). Quem cum illic invenisset, secum duxit Antiochiam. *Factum est autem*, *ut* per integrum annum *sacros conventus agerent* (*εγενετο δε αυτους συναχθηναι*) *inter Christianos Antiochenses* (*εν τῃ εκκλησιᾳ*), atque unà ibi magnam hominum turbam religionem Iesu Christi *edocerent* (*εγενετο δε αυτους διδαξαι*), utque Christi discipuli primum Antiochiae *nominarentur* (*εγενετο τους μαθητας χρηματισαι*) Christiani.

De Syntaxi Verbi *εγενετο* cum Infinitivo vide supra ad Cap. IV : 5. — *Συναχθηναι* est *congregari*, adeoque *convenire* aut *conventus agere*. De voce *χρηματισαι* haec notat Valckenarius (ad h. l.) : « Χρηματα, inquit, dicuntur et *opes*, et *res quae geruntur*. Hinc duplex vis vocis *χρηματιζειν*, et *opes acquirendi*, et *res tractandi*, *agendique*. Duplex ista vis cognita nihil tamen facit ad hunc locum, quo traditur, discipulos Christi primum Antiochiae *χρηματισαι Χριστιανους*, *dictos fuisse Christianos*. Ista vocis significatio, scriptoribus Atticis veteribusque ignota, obtinuit apud recentiores. Atticis *χρηματιζειν* erat *res agere*; apud recentiores, *sic res agere*, *ut nomen inde adipiscaris*; atque sic tandem positum est pro *dici*, *nominari*, *audiri*; ut in Ep. ad Rom. VII : 3 : *μοιχαλις χρηματισει*, *moecha dicetur*. Apud Athenaeum (Lib. VI : p. 252) Posidonius citatur *ὁ Απαμευς*, *ὑστερον δε Ροδιος χρηματισας*, *natus Apameae*, *sed postea* dictus *Rhodius*, nempe quia magnam in ea insula aetatis partem exegerat. Colligi potest ex illa nominis *Christianorum* impositione, rem Christianam Antiochiae magnum brevi tempore cepisse incrementum. Ceterum nescitur quo auctore, imo an omnino certo aliquo auctore nomen illud frequentari coeperit.

27. *In his autem diebus*, etc.). Quo tempore Paulus et Barnabas Antiochiae commorabantur, venerunt illuc ex urbe Hiërosolymae *prophetae quidam* (προφηται), h. e. Christiani aliqui, quibus Spiritus Sanctus contulerat charisma sive *donum prophetiae;* uti tunc temporis, in exordio, inquam, Ecclesiae, aliis alia Spiritus Sancti Charismata solebant conferri. Charisma autem illud *prophetiae,* ut docet Estius (in Ep. 1 ad Corinth. ad Cap. XIV : 1), universe intelligitur tale donum, quo quis ex inspiratione divina cognosceret ac proferret occulta quaedam, sive illa futura essent, quomodo hic prophetavit Agabus quando *significavit per Spiritum, famem magnam futuram;* sive essent Scripturarum difficilium et obscurarum, maxime propheticarum, explanationes; sive alia quaedam, ad Christianam doctrinam illustrandam aut pietatem promovendam pertinentia.

28. *Et surgens unus ex eis nomine Agabus*, etc.). Forsitan in publico Ecclesiae conventu vaticinium suum edidit Agabus, ut ideo dicatur inter sedentes ad dicendum *surrexisse* (αναστας). Sed fieri etiam potest, ut αναστας hoc loco redundet. De quo Pleonasmo videsis quae notata sunt supra ad Cap. VIII : 35. Quidquid sit, Agabus ille *praedixit* (εσημανε Aor. 1 pro εσημηνε), per internam nempe Spiritus Sancti revelationem (δια του Πνευματος) rem edoctus, magnam futuram esse famem per *universam Iudaeam* (εφ' ὁλην την οικουμενην); *quae quidem* fames reapse non ita multo post *etiam accidit* (ὁστις και εγενετο), tempore Caesaris Claudii; ut adeo rei eventus praedictionem comprobaverit. Iudaeam universam, Imperatore Claudio Caesare, magna fame afflictam fuisse, memoriae prodidit etiam Flavius Iosephus, Antiqq. Lib. III, Cap. XV : 3, et Lib. XX, Cap. V : 2. —

Locutio ἡ οικουμενη, scil. γη, propric est *terra habitata;* sed ea locutione nonnumquam significatur *orbis Romanus*, sive Imperium Romanum, ut infra XXIV : 5; nonnumquam vero ipsa

Iudaea, ut apud Flavium Iosephum, Antiqq. Lib. VIII, Cap. XIII : 4 : Και περιπεμψας, inquit, κατα πασαν την οικουμενην τους ζητησοντας τον προφητην Ηλιαν, κ. τ. λ. id est : Et cum per totum orbem (*Iudaeum scilicet*) misisset, qui Eliam vatem perquirereut, etc.

29—30. *Discipuli autem, prout quis habebat*, etc.). Graeca hoc loco impeditiora sunt; facilior certe fuisset Syntaxis verboruin haec : οἱ δε μαθηται, καθως ηυπορειτο τις, ὡρισαν, εκαστος αυτων, εις διακονιαν, κ. τ. λ. Ceterum sensus patet : Discipuli autem, inquit, *id est* Christiani Antiochenses, pro modo facultatum uniuscuiusque, apud se constituerunt, ut singuli mitterent aliquid in subsidium Christianis habitantibus in Iudaea. *Idque* deinceps, cum fames invalesceret, *etiam fecerunt* (ὁ και εποιησαν), uti constituerant; collectamque pecuniam miserunt (αποστειλαντες) *per* (δια χειρος=בְּיַד) Paulum et Barnabam ad Seniores (προς τους πρεσβυτερους. Cf. Cap. XV : 2) Hiërosolymitanos (Cf. Cap. XII : 25), ut ea horum arbitrio inter pauperes per Iudaeam Christianos distribueretur. — Τις non est *unusquisque*, sed *quis*, *aliquis*. Graeca καθως ηυπορειτο τις Belgice reddi possent : *naar mate dat iemand* (τις) *wel bemiddeld was.*

CAPUT DUODECIMUM.

ARGUMENTUM. Per idem tempus Hierosolymae Herodes Rex gladio interfici iubet Iacobum Apostolum, Ioannis Apostoli fratrem, vs. 1—2. Quod cum Iudaeis gratum esse intelligeret, etiam Petrum, Apostolorum principem, comprehendi et in carcerem detrudi imperat, huic quoque necem parans, vs. 3—4. Sed Petrus noctu ab Angelo, insciis custodibus, e carcere suo liberatur, vs. 5—11. Liberatus Mariae, Ioannis Marci matris, adit domum, ubi fideles multi congregati sunt, Deum pro captivo Apostolo orantes. Domum ingressus, gaudentibus ad eius conspectum et stupentibus enarrat, quomodo divinitus e carcere suo fuisset eductus. Post quae, relicta Mariae domo, in alium locum se confert, vs. 12-17. Quum vero dies illuxisset, fuga Petri innotescit carceris custodibus; qui ad mortem ducuntur, vs. 18-19. Herodes, relicta Iudaea, Caesaream proficiscitur, ibique commoratur; quo tempore Tyrii et Sidonii, quibus infensus erat, legatos ad eum mittunt, qui animum eius placarent, vs. 19—20. Ad quos quum statuto die, praesente populo, in suggestu verba faceret, acclamatur illi ab adulatorum turba: deum ibi, non hominem loqui. Quam impiam adulationem admittens Herodes, foedo morbo ab Angelo percutitur, moriturque intra paucos dies, vs. 21—23. Interea res Evangelica continuum capit incrementum, vs. 24. Paulus et Barnabas, peracto suo ministerio, Hiërosolymâ redeunt Antiochiam, adiuncto sibi comite Ioanne Marco, vs. 25.

1. *Eodem autem tempore*). Graece est: κατ' εκεινον δε τον καιρον, quod Latine reddi potest *per illud tempus*, vel *circa illud tempus*. Itaque significatur, ea quae deinceps narrantur, Hiërosolymae accidisse *eo tempore*, aut *eo circiter tempore*, quo Paulus et Barnabas iter habuêre Antiochiâ Hiërosolymam ad perferendam illuc collectam illam inter Antiochenses Christianos pecuniam.

Herodes Rex). Plures eius nominis principes memorantur in sacris libris Novi Testamenti. Et primo quidem loco occurrit Herodes ille sub quo nati sunt mundi Salvator Iesus (Matth. II : 1) eiusque praecursor Ioannes Baptista (Luc. I : 5), et quo imperante edita fuit strages illa Bethlehemitica (Matth. II : 16). Fuit autem Herodes is, Herodes cognomine *Magnus*, gente Idumaeus, Antipatris filius. Hic superstites habuit filios tres, Archelaum, Philippum, et Herodem Antipam. « Inter quos (Kuinoëlii verbis utor), paternum regnum Imperator Augustus ita divisit, ut Philippo et Herodi Antipae, unicuique quartam, Archelao autem dimidiam

regni partem assignaret. *Philippus* accepit Batanaeam, Auranitidem (quam utramque regionem Lucas Cap. III : 1 Itureae nomine complexus est), et Trachonitidem; *Archelaus* Iudaeam, Idumaeam et Samariam *ethnarchae* nomine obtinuit; Herodes Antipas[1] Galilaeam et Peraeam, isque *tetrarcha* dictus est, ut et Philippus. Archelaus, crudelitatis nomine apud Augustum accusatus, postquam novem annos regnaverat, de sua dignitate deiectus, et Viennam, Galliae urbem, in exsilium ab Imperatore est eiectus. Iudaea tunc in provinciae formam redacta Syriaeque adiuncta est, ita ut sub Syriae Praesidibus, a Procuratoribus Romanis administraretur. Philippo mortuo, tetrarchia eius ab Imperatore Tiberio Syriae adiudicata est; sed C. Caligula hanc tetrarchiam, adiecta quoque Lysaniae tetrarchia (vide Fl. Ioseph. Antiqq. Lib. XVIII, Cap. VI : 10) concessit Herodi Agrippae, de quo hic (Act. XII : 1) sermo est; et Herode Antipa in Galliam primò, deinde in Hispaniam exsule acto, huius quoque tetrarchia eum donavit (vid. Fl. Ioseph. Antiqq. ibid. Cap. VII). Neque minus Agrippam auxit Claudius, Caligulae successor. Romae degebat Agrippa cum Caligula trucidaretur, et Claudii gratiam atque favorem sibi ita conciliavit, ut eum Iudeae quoque et Samariae praeesse iuberet. Sic totum regnum quod avus eius (Herodes Magnus) habuerat restitutum ipseque ab Imperatore rex Iudaeae salutatus est. (Vid. Fl. Ioseph. Antiqq. Lib. XIX, Cap. V : 1) » Herodes Agrippa postquam

---

[1]) Herodes Antipas hic est ille de quo agitur Matth. XIV : 3. Luc. III : 1, 19; IX : 7. Is, repudiata legitima uxore, Aretae regis Arabiae Petreae filia, uxorem fratris sui Philippi, Herodiadem, incestis nuptiis sibi copulavit. Huius Herodis iussu necatus est vir sanctissimus Ioannes Baptista, quòd Antipae scelus suum exprobrare non dubitasset. Antipas ille Romam postea profectus cum Herodiade, ut obtineret regis titulum a Caligula Imperatore, ab hoc una cum Herodiade in Galliam exsul actus est, tetrarchia eius translata ad Herodem Agrippam I sive *maiorem*, Herodis magni nepotem, et filium Aristobuli et Berenices. Idem ille Herodes Antipas a Matthaeo Cap. XIV : 9 dictus est Rex (βασιλευς), non quòd Regis dignitate fulgeret, sed quatenus βασιλευς etiam de tetrarcha dicebatur, ut notavit Fischerus in *Prolusione* decima octava *de vitiis lexicorum Novi Testamenti*.

vix triennio regnasset, Caesareae foedo morbo divinitus percussus interiit (vid. Act. Ap. Cap. XII : 23). Filium hic reliquit eiusdem nominis, qui ut a patre suo distinguatur, nominatur Agrippa II sive *minor*. Hic Agrippa II ille est, de quo agitur Act. Ap. Cap. XXV et XXVI. Septemdecim annos natus is erat, cum pater eius moreretur. Claudius ergo cum huic adolescenti tantum regnum committere nollet, patri, ut notat Kuinoelius (ad Act. XXV : 13), in regno Iudeae successor non est datus, sed Cuspius Fadus Procurator in Iudaeam missus est (Flav. Ioseph. Antiqq. Lib. XIX, Cap. IX). Agrippa autem, octavo Claudii anno, ab eo accepit tetrarchiam Chalcidenam, mortuo Herode, Chalcidis Syriacae rege, patruo suo; cui tetrarchiae cum per quatuor praefuisset annos, Chalcidem ei Claudius abstulit, cumque tetrarchia, quam primo Philippus, et post Agrippae I mortem Procurator Romanus imperio tenuerat, Batanea, Auranitide, Trachonitide, et Lysaniae tetrarchia (Luc. III : 1) donavit. Diu superfuit hic Agrippa II Hiërosolymorum excidio, regno incolumi, et aliquot urbium accessione Vespasiani beneficio ampliato.

misit Herodes rex manus, ut affligeret, etc.). Erat hic, ut diximus, Herodes Agrippa I sive *maior*. Is titulo *Regis* ab Imperatore Caligula decoratus fuerat, et quo tempore acciderunt, quae hic narrantur, in sua ditione tenebat Palaestinam universam. — Locutio επεβαλε τας χειρας (Vulg. *misit manus*), sequente Infinitivo, nuspiam alibi, quod sciam, occurrit; eam forsitan satis recte Belgice ita reddideris : *hij sloeg de handen aan het werk, om kwaad te doen* (κακωσαι Infinitivus *finis*) *aan sommigen van hen die*, etc. Οι απο της εκκλησιας Lucae sunt, uti patet, tales, quos alibi vocare solet μαθητας, *discipulos*, scil. Christi. — Pro απο Lucas supra (Cap. VI : 9) in simili phrasi scripsit εκ. Graeci in talibus nudum Genitivum adhibere solent.

2—3. *Occidit autem Iacobum gladio*). Graece μαχαιρα sine

Articulo; et abesse poterat. Ανεῖλε ab αναιρεω proprie est *sustulit*, sed quo sensu Cicero (de Nat. Deor. III : 33) dixit : *Q. Varus Drusum ferro, Metellum veneno sustulerat.* Iacobum alio modo quam decollatione interfectum fuisse dicerem, quum Lucas hic non adhibeat vocem obviam αποκεφαλιζειν, *decollare*. Erat is Iacobus, Zebedaei filius, frater Ioannis Apostoli et Evangelistae (Matth. IV : 21); idem unà cum fratre suo et Petro praesens fuit cum Christus *transfiguraretur* in monte Thabor (Matth. XVII : 1). De hoc Iacobo disputatur, utrum nec-ne in Hispania fidem Christianam praedicaverit[1]. Idem vocari solet etiam Iacobus *maior*, quo distinguatur ab Apostolo Iacobo Alphaei filio, qui Iacobus *minor* dicitur a Marco XV : 40, et Iudae Apostoli frater a Luca (Act. I : 13). Iacobus autum ille qui *frater Domini* vocatur in Ep. ad Galatas I : 19, unus idemque est cum Iacobo *minore*, Alphaei filio (Cf. Windishmannum *Erklärung des Briefes an die Galater*, ad Cap. I : vs. 19). Primus Hiërosolymorum Episcopus fuit non Apostolus Iacobus ille, de quo hic (Act. XII : 2) agitur, sed Apostolus Iacobus *minor*, Alphaei filius, Iudae Apostoli frater. Idem auctor est Epistolae, quae sub eius nomine inter Scripturas Canonicas recensetur.

3. *Videns autem quia placeret Iudaeis*, etc.). Agrippa causam ob quam violentas manus iniiceret in Apostolos hanc praetexuerit, quod nempe novarum rerum in re religiosa essent studiosi, et Iudaeos ab avita religione averterent. Sed vera causa fuerit ea, quam Lucas hic significat, studium scilicet conciliandi sibi favorem apud recentes suos subditos (cf. dicta supra ad vs. 1).

[1] « Iussu Clementis VIII (ut notat Lorinus in Act. ad h. l.) in emendato Romano breviario restitutum est : *provinciae Hispaniae ecclesiarum traditionem esse, Iacobum Hispaniam adiisse, et ibi aliquot ad fidem convertisse*, pro eo quod antea legebatur : *peragrasse Hispaniam, ibique Evangelium praedicasse*, videlicet nulla mentione facta de traditione. » Cf. Estii *adnotationes in loca difficiliora*, ad Act. Cap. XII : 2.

apposuit ut apprehenderet et Petrum). Graece προσεθετο συλλαβειν, quae loquendi ratio non Graeca sed Hebraica est, ut in hoc Iobi Cap. XIX : 1 : וַיֹּסֶף אִיּוֹב שְׂאֵת מְשָׁלוֹ Ceterum sensus est : crimen crimini addens, Petrum quoque iussit comprehendi. Quod additur : *erant autem dies Azymorum*, pro Parenthesi habendum est, ut series narrationis (όν και πιασας) demonstrat.

4. *Quem cum apprehendisset misit in carcerem*). Graece όν και πιασας εθετο, *quem comprehensum etiam* (και) *posuit in carcerem*, cumque custodiendum tradidit *quatuor quaternionibus militum*, id est, militibus sex et decem. Scilicet apud Romanos, quorum mores, utpote Romae educatus, Herodes Agrippa aemulabatur, quaterni milites, ut ex Vegetio (*De re militari* III) notat Fischerus (Prolus. 18), sive equites, sive pedites, excubias noctibus ita agere solebant, ut vigiliis in quatuor partes ad clepsydram distributis, singuli ternis horis vigilarent. Quia igitur Herodes Petrum custodiri volebat a quatuor militibus, quorum duo eum in ipso carcere observarent[1], totidem ante fores excubarent, facile intelligitur necesse fuisse, ut quatuor militum quaterniones delegerentur, qui custodiae hominis praeficerentur.

volens post Pascha producere eum populo). Graece αναγαγειν, pro quo infra (vs. 6) eodem sensu est προαγειν, quibus verbis respondent Belgica : *opbrengen*, *voorbrengen voor het volk* (τῳ λαῳ). Sensus est : Volebat producere cum in conspectum populi, atque ita publice eum damnare et morte mulctare. Et, comprehenso Petro, statim hoc fecisset Agrippa, nisi obstitissent, qui ipso eo tempore agebantur, *dies Azymorum*, per quos iudicia capitalia exercere nefas habebatur. Itaque Agrippa decreverat, exacto festo Paschali, rem perficere — *Dies Azymorum* erant

[1]) Colligitur hoc ex vs. 6, ubi dicitur: *dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus*, quod quo modo intelligendum sit, suo loco explicatur.

dies septem, sequentes diem decimum quartum mensis Nisan, quo die comedendus erat agnus Paschalis. Dies illi festum constituebant proprie distinctum a festo Paschatis. Sed vox Pascha dicebatur etiam de *toto illo festo*, quod incipiebat decimo quarto mensis *Nisan*, et desinebat vigesimo primo eiusdem mensis. Sic S. Lucas (Cap. XXII : 1) dixit : Ηγγιζε δε ἡ ἑορτη των αζυμων, ἡ λεγομενη Πασχα. Atque hoc quoque sensu dictum hic est μετα το Πασχα.

5. *Petrus quidem servabatur in carcere. Oratio autem*, etc.), De vi Particularum μεν ουν et δε hoc loco, videsis quae notavimus supra ad Cap. IX : 31. Interpres noster quum scripserit *sine intermissione*, pro Adjectivo εκτενης forsitan legit Adverbium εκτενως, quae lectio reapse in nonnullis Codicibus MSS. occurrit. Graeca Belgice reddideris : *Doch een aanhoudend* (εκτενης) *gebed tot God werd er voor hem gedaan*. Petrus, soluto carcere, domum Mariae, cum adhuc nox esset (vs. 6), ingressus, congregatos ibi invenit fideles multos, Deum pro ipso orantes, ut legitur infra vs. 12.

6. *Quum autem producturus*, etc.). Sensus est : Accidit autem, ut Petrus *nocte illa* (τῃ νυκτι εκεινῃ), quae praecedebat diem quo producendus erat (προαγειν. Vide ad vs. 4), dormiret inter duos milites vinctus catenis duabus. — Quod dicitur *inter duos milites vinctus catenis duabus* id intelligendum est ita, ut catena una vinciret unius militis sinistram et Petri dexteram, altera autem catena Petri sinistram et alterius militis dexteram. De quo Romanorum more alligandi militem vel binos milites custodiendo reo agit Lipsius (ad Tacit. Lib. 5 Annal.), citato a Wolfio in *Curis* ad h. l. Cf. etiam Lydium *in Syntagmate sacro de re militari*, Cap. IX.

et custodes ante ostium custodiebant carcerem). Duo milites in ipso carcere, eo quo dictum est modo, vinctum asservabant,

interea dum milites alii duo (φυλακες) *foris* (προ της θυρας) custodiebant carcerem. Et horum quidem unus ad ostium carcerem excubias agebat, alter vero ad *portam ferream*. Vide infra ad vs. 10.

7. *Et ecce Angelus Domini adstitit*, etc.). Graece επεστη (Aor. 2 ab εφισταναι), i. e. Petro derepente *adstitit* (Vide ad Cap. IV : 1) Angelus Domini, simulque refulsit *in carcere* (εν τῳ οικηματι) mirabile *quoddam lumen* (φως), quo noctis et carceris tenebrae discussae sunt. — Vocem οικημα de *carcere* Graecis scriptoribus, maxime Atticis, frequenter dictam fuisse, exempla probant a Wetstenio ad hunc locum allata. Nempe Attici, ut docet Plutarchus in vita Solonis (apud Wolfium in *Curis* ad Act. XII : 7), rebus turpibus et malis blanda dabant nomina. — Apparuisse Angelum illum in assumpta specie corporis humani, id quidem series narrationis (vs. 9, 10) manifesto indicat. Et fieri potest, ut lumen illud, quod subito illustravit carcerem, aliud non fuerit quam quod ab assumpto illo corpore angelico irradiabat. Nam et de Angelo illo, qui sedebat ad sepulcrum Salvatoris, dicitur (Matth. XXVIII : 3), quod *species eius* (ἡ ιδεα) *erat sicut fulgur*, adeoque fulgurantem quamdam lucem emittens. Videsis interpretem doctissimum Lucam Brugensem ad Matth. XXVIII : 3. Postulat Lucae narratio, ut Petri custodes cogitemus alto oppressos sopore; quem quo minus divinitus immissum existimemus, nihil prohibet.

percussoque latere Petri, etc.). Angelus manu pulsato dormientis Petri latere, e somno illum excitavit, iussitque ut surgeret *velociter* (εν ταχει=*in haast*). Ad vocem Angeli protinus de Petri manibus catenae exciderunt. — Non *fractae* aut *solutae* dicuntur catenae, sed a manibus eius *excidisse*.

8. *Praecingere*). i. e. *praecingitor*, Graece in Imp. Aor. Med. περιζωσαι, *succinge te*. Puta Petrum indutum fuisse, Orientalium

more, tunica talari. Hanc collectam cingulo ad lumbos constringere solebant, si incedendum esset. Petrus autem, laxato cingulo, in carcere iacuerit tunica ad pedes usque demissa.

et calcea te caligas tuas). Graece : ὑποδησαι (Imp. Aor. Med.) *subliga tibi τα σανδαλια σου, sandalia tua;* qua voce intelliguntur soleae plantam pedis tegentes, quae funiculis superne pedibus adligabantur.

Circumda tibi, etc.). Graece περιβαλου (Imp. Aor. 2 Med.) το ἱματιον σου, quod Belgice reddideris : *sla uwen mantel om*. Ἱματιον universe quidem *de quacumque veste* dicebatur, sed et speciatim *de pallio*, quod tunicae iniici solebat. Ακολουθει contractum est ex ακολουθεε.

9. *Et exiens sequebatur eum, et nesciebat*, etc.). Indutus quum esset, e carcere *egressus* (εξελθων), praecedentem Angelum Petrus sequebatur. Interea autem animo ita comparatus erat, ut non intelligeret ea, quae fiebant per Angelum, reapse fieri, sed videretur sibi videre visum aliquod, quale haud ita pridem viderat. Et permansit Petrus in eo mentis statu etiam dum fierent, quae sequenti versiculo enarrantur, ut ex vs. 11 colligitur. — Diceres, eos carcerem exivisse non recluso ostio, quum mox (vs. 10) de *porta ferrea* dicatur quod haec *ultro illis fuerit aperta*. Quod si ita res se habeat, alterum hic erit exemplum mutuae corporum, ut vocant, *compenetrabilitatis*. Videsis Lucam Brugensem ad Ioan. XX : 19, et Maldon. in eumd. loc.

10. *Transeuntes autem primam et secundam*, etc.). Gr. διελθοντες δε, *cum praeteriissent* militem custodem primum, et item secundum (vide supra ad vs. 4), venerunt ad portam ferream, quae ducit ad civitatem; quae porta (ἡτις) illis patuit αυτοματη, *h. e. sua sponte;* puta, reclusa a Deo, et immediate quidem sine Angeli ministerio, quum dicatur sua sponte patuisse *illis*. Sunt hic omnia

plena miraculis. — Carcer Petri intra moenia civitatis fuisse videtur. Itaque *porta ferrea* illa porta fuerit, per quam e carcerea domo via pateret in plateam.

Ηνοιχθη Aor. Passiv. cum notione *reflexiva*. Φυλακη *Abstracti* nomen pro *Concreti* nomine φυλαξ. Confer Nostratium *de wacht.*

Et exeuntes processerunt vicum unum). Graece : και εξελθοντες προηλθον, h. e. *egressique* per portam ferream *processerunt plateam unam;* et tum continuo Angelus, qui hactenus Petrum deduxerat, ab eodem *discessit* (απεστη Aor. 2), puta, ex oculis ipsius evanuit. — Ρυμην μιαν (*eene straat ver*) est Accusativus *obiecti quantitativi.* Cf. Kühner § 556. Etiam Latini sic loquuntur, ut cum dicunt, v. g. *numquam pedem a me discessit.*

11. *Et Petrus ad se reversus*). Gr. γενομενος εν ἑαυτῳ, cum qua locutione conferri potest Nostratium : bij (εν) *zich zelven gekomen zijnde.* Exclamat Petrus, factus iam plene sui conscius : Hactenus, inquit, visum aliquod me videre existimabam, nunc vero *certissime scio* (οιδα αληθως), non esse per visum gesta quae gesta sunt, sed Dominum reapse ad me misisse Angelum suum, meque eripuisse de manibus Herodis, et delusisse omnem illam exspectationem Iudaeorum, qui ab Herode me publice interficiendum sperabant. — In locutione hac : *eripuit me ab omni exspectatione Iudaeorum,* est Metonymia quaedam in voce *exspectatio,* ut quae dicitur de *supplicio Petri, avide ab illis expetito.*

12. *Consideransque venit in domum Mariae,* etc.). Pro *considerans* graece est συνιδων (Aor.), hoc est : et eorum quae gesta fuerant iam *factus conscius* (συνιδων ut infra XIV : 6), domum petiit Mariae illius, quae erat mater Ioannis eius, qui cognomento dictus est Marcus. Erant autem in piae istius mulieris domo congregati *Christiani* (αδελφοι) multi, Deum pro captivi Petri liberatione orantes. Cf. vs. 5. Προσευχομαι (Verbum Depon. Med.),

nempe, τῳ Θεῳ, qui Dativus est *directionis*. Confer Nostratium : *bidden tot God*. Ioaunes Marcus, qui hic dicitur, idem est cum eo qui infra Cap. XIII : 5, 13 simpliciter *Ioannes*, et Cap. XV : 39 simpliciter *Marcus* nominatur. Erat is Barnabae consobrinus, ut legimus in Ep. ad Colossenses, Cap. IV : 10. Disputatur autem, utrum sit nec-ne unus idemque cum Marco Evangelista, quem Petrus (Ep. I, vs. 13) *filium suum* vocat. Videsis Baronium ad An. Chr. 45, et Lorinum ad Act. XII : 12.

13—14. *Pulsante autem eo*[1] *ostium ianuae*, etc.). Petrus autem *quum pulsasset* (κρουσαντος) *vestibuli ostium* (την θυραν του πυλωνος. Vide ad Cap. X : 25), puella quaedam, nomine Rhode (i. e. *frutex rosae*), prodiit *ad auscultandum* (ὑπακουσαι), quis esset qui pulsaret. — Ὑπακουειν, quod notat Kuinoëlius ad h. l., verbum est proprium de ianitoribus, qui, antequam ianuam aperiant, quis adsit qui intromitti velit, interrogant. — Puella ergo, sciscitata, quis esset qui pulsaret, cum Petri respondentis vocem agnovisset (επιγνουσα), *prae* (απο. Vide supra ad Cap. XI : 19) gaudio non aperuit *ostium vestibuli* (τον πυλωνα), sed mox, quum insperatum illud gaudium sola non caperet, *intro recurrens* (εισδραμουσα, in interiorem partem domus) iis, qui intus erant, nuntiavit, Petrum stare pro foribus.

15. *At illi dixerunt ad eam : insanis! Illa autem*, etc.). Quod puella nuntiabat adeo incredibile illis videbatur, ut eam *insanire* atque emotae mentis esse dicerent. « Qui maxime quid cupiunt, ut Lorinus hic animadvertit, quia verentur plurimum ne non contingat, minime se faciles reddunt, contigisse ut credant. » Puella autem quum *constanter asseveraret* (διισχυριζετο), rem sic habere,

---

[1]) Var. lect. Pro του Πετρου legitur αυτου, in ABDG multisque Minusculis, et plerisque antiquis Versionibus; ut mihi videtur, ambigendum non est, quin lectio αυτου alteri sit praeferenda.

illi dicebant : *Angelus eius est.* — Notat ad haec verba S. Ioh. Chrysostomus (Hom. XXVI in Act.) : Εκ τουτο αληθες, ότι έκαστος ήμων αγγελον εχει, h. e. *hinc verum probatur, unumquemque nostrum angelum habere.* De qua communi Catholicorum sententia vide Perrone Tract. *de Deo creatore* Part. 1, Cap. III, et Stapletonium nostrum, tum in *Promptuario Catholico* (in Fest. S. Michaëlis), tum etiam in *Antidotis Apostolicis in Acta Apostolorum,* ad h. l. — Verbum διισχυριζεσθαι (Depon. Med.) proprie notat *semet ipsum roborare.* Conferri potest Gallicum : *se faire fort de...*

16—17. *Petrus autem,* etc.). Interea Petrus *non desistebat pulsare* (επεμενε κρουων, *hij bleef kloppen*) fores. Itaque puella constanter affirmante, Petri vocem se audivisse, et Petro perseveranter pulsante, tandem accurrerunt, apertoque vestibuli ostio videbant eum, et admirabundi in altos laetitiae clamores erumpebant. Petrus autem *manu mota indicto illis silentio* (κατασεισας δε αυτοις τη χειρι σιγαν), exposuit, quo modo Dominus per Angelum suum eduxisset ipsum e carcere. Atque *haec* (ταυτα), inquit, renunciate vos Iacobo (Alphaei filio), et ceteris per urbem fratribus; et mox inde *egressus* (εξελθων) *in alium locum* (εις έτερον τοπον) se recepit. — Quò se Petrus tunc receperit, disputatur. Videsis Calmetum, Cornelium a Lapide, et Lorinum ad h. l.; item Windischmannum in *Vindiciis Petrinis* (Ratisb., 1836), p. 111, sqq.

18—19. *Facta autem die,* etc.). Quum illuxisset, atque res innotuisset *militibus,* carceris custodibus (τοις στρατιωταις), erat inter (εν) eos *tumultuosa contentio* (ταραχος) non exigua de eo, *quidnam factum esset de Petro,* h. e. quonam tandem modo evasisset. Herodes autem quum Petrum requisivisset, nec invenisset, *instituta causae cognitione de custodibus* (ανακρινας τους φυλακας), *iussit eos abduci* (απαχθηναι), scil. *ad supplicium,* vel *ad mortem.* Hesychius : Απαγεσθαι· εις θάνατον έλκεσθαι. Latini pro eo dicebant

duci. Sic Plinius (Ep. ad Traianum) de Christianis scribit Traiano : *Confitentes iterum ac tertio interrogavi supplicium minatus; perseverantes duci iussi.* —

descendensque, etc.). Voces εις την Καισαρειαν iungendae sunt cum διετριβεν. De Syntaxi Praepositionis εις cum Verbo *quietis*, vide quae notavimus in Ep. ad Philippenses ad Cap. II, vs. 9, pag. 68. Sensus est : Degressus a Iudaea, *in urbem Caesaream* veniens (ibi) *commoratus est.*

20. *Erat autem iratus Tyriis et Sidoniis*). *Animo* erat Herodes *infenso* (θυμομαχων) vicinis suis, Tyriis et Sidoniis. Causa ignoratur. Τυριοις και Σιδωνιοις Dativi sunt *directionis*, ut vocant. Verbum autem θυμομαχειν notat nunc quidem *obstinato animo bellum gerere*, nunc vero *infenso*, *irato*, *animo esse*. Vide Kypkii observatt. ad h. l. Atque hoc sensu θυμομαχειν in praesenti loco sumendum est. Nam de bello quod Herodes cum Tyriis et Sidoniis gessisset aut certe gerere voluisset, nihil uspiam legitur, nec apud Fl. Josephum, nec apud alium ullum historiographum. Imo, quum Tyrii et Sidonii essent tunc temporis subditi Romanorum, parum verisimile est, Herodem ausum fuisse bellum illis inferre. Nec obstat huic interpretationi quod infra dicuntur *pacem petivisse* (ῃτουντο ειρηνην); nam, ut Kypkius monuit, *pax* non tantum *bello* opponitur, sed et ακαταστασιαις (1 Cor. XIV : 33); et Act. IX : 33 ειρηνην εχουσι dicitur de iis, *qui quiete et tranquille vivunt.*

at illi unanimes venerunt ad eum, etc.). Tyrii autem et Sidonii *ex communi utriusque civitatis decreto* (ὁμοθυμαδον) per legatos suos *ad Herodem se contulerunt* (παρησαν προς αυτον); atque Blasto *Herodis cubiculario* in partes suas *pertracto* (πεισαντες), a Rege *petiverunt* ut *pacifice* (ῃτουντο ειρηνην) cum illis ageret vellet. Ratio autem petitionis erat, *quia ipsorum regio alebatur a regia*, scil. regione (δια το τρεφεσθαι αυτων την χωραν απο της βασιλικης, scil. χωρας); h. e. quia ex Iudaea Tyriis Sidoniisque

administrabatur frumentum. Itaque ab infesto Herodis animo annonae penuriam sibi metuebant.

21—22. *Statuto autem die;* etc.). Flavius Iosephus (Antiqq. Lib. XIX, Cap. VIII : 2) narrat, Herodem tunc temporis Caesaream perexisse, ut illic spectacula ederet in honorem Caesaris; secundo autem spectaculorum die repentino correptum fuisse morbo, ex quo quinto post die mortuus sit. Itaque *statuta dies* (τακτη ἡμερα) quae hic dicitur, secunda fuit edendorum spectaculorum. Haec ergo dies publicae legatorum illorum admissioni destinata fuerit, ideoque dicta a Luca dies *statuta.* — Ea die Herodes *veste indutus,* ut narrat Iosephus, *tota ex argento, admirabili opere contexta*[1], cum *sedisset* (καθισας) *in suggestu*[2] sive in solio (επι του βηματος), *publice verba faciebat* (εδημηγορει) ad Tyriorum et Sidoniorum legatos (προς αυτους). Tum vero concionanti ab adulatrice multitudine acclamatum est : *Dei vox haec est, non hominis!* Divinum ergo honorem illi tribuebat adulatorum illa turba.

23. *Confestim autem percussit eum Angelus,* etc.). Impiam adulationem Herodes minime respuit, sed admisit[3]; ast crimen hoc mox secuta est divina ultio, eaque terribilis. *Confestim* namque superbo homini morbus foedissimus Angeli ministerio divinitus fuit immissus, *eo quòd non dedisset honorem Deo,* id est, quod tacite assentiendo blasphemae acclamationi passus fuisset honorem sibi tribui, qui soli Deo competeret. — Ανθ' ὡν, tot loon *daarvoor,* dat hij, etc.

---

[1]) Antiqq. Lib. XIX, Cap. VIII : 2. Στολην, inquit, ενδυσαμενος εξ αργυρου πεποιημενην πασαν, ὡς θαυμασιον την ὑφην ειναι.

[2]) Βημα etiam de *tribunali* dicitur, ubi agitur de iudiciis exercendis.

[3]) Concinit Flavius Iosephus (Antiqq. Lib. XIX, Cap. VIII : 2) : Ουκ επεπληξε, inquit, τουτοις ὁ βασιλευς, ουδε την κολακειαν ασεβουσαν απετρεψατο. *h. e.* « At rex neque illos obiurgavit, neque impiam eorum adulationem reiecit. »

et consumtus a vermibus, exspiravit). Graece : γενομενος σκωληκοβρωτος (a σκωληξ *vermis* et βρωσκω *comedo*), h. e. morbo *vermiculari* correptus, *post acerbissimos cruciatus intra quinque dies* (Fl. Ioseph. ibid.) interiit. « Nequaquam, inquit Meadius[1], interpretibus accedo, qui *phthiriasi*, hoc est, *morbo pediculari*, consumtum interiisse Herodem autumant. Aliud animal est σκωληξ, aliud φθειρ : haec summam cutem, ille corporis interiora depascitur. Neque dubium esse potest, quin divus Lucas, et ipse medicus, vim utriusque vocis recte intellexerit. »

Antegressam historiam in hunc potissimum finem, ut mihi quidem videtur, Lucas inserere voluerit, ut doceret, quam acerba morte Ecclesiae persecutor Agrippa interiisset. Ad propositum iam redit.

24. *Verbum autem Domini crescebat et multiplicabatur*). Sensus est : Interea autem Religio Christiana maiora in dies capiebat incrementa. Puta, *verbum Domini* eatenus dici *multiplicari*, quatenus *plures* in dies Christianam doctrinam amplecterentur. Metonymia heic quaedam est, qua doctrina Christiana dicitur pro eam doctrinam profitentibus.

25. *Barnabas autem et Saulus reversi sunt*, etc.). Expleto suo *ministerio*[2] (vide Cap. XI : 29, 30) Saulus et Barnabas, assumpto secum Ioanne Marco (supra vs. 12), Hiërosolymâ Antiochiam *reversi sunt*, vel *reversi erant*; nam utroque modo reddi potest Aoristus ὑπεστρεψαν. Res pendet a tempore, quo, relicta Hiërosolyma, Antiochiam regressi sunt. Si factum hoc est post demum mortem Agrippae, vertendum est *reversi sunt* : si ante, *reversi erant*.

---

[1]) Richardii Meadii *Medica Sacra*, sive de morbis biblicis insignioribus commentarius. Cap. XV.

[2]) In editione Vulgatae Vaticana, anni 1598, legitur hic *mysterio* pro *ministerio;* nec adnotatum fuit typographicum hoc mendum in ullo ex tribus Correctoriis.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Argumentum. Antiochiae Paulus et Barnabas Spiritus Sancti oraculo designantur, qui praedicationem Evangelii inter Gentes suscipiant, vs. 1—3. Itaque Antiochià profecti, abeunt Seleuciam, quae Antiochiae promontorium est; ibique conscensa navi vehuntur in insulam Cyprum, et appellunt ad celebrem urbem Salaminem, quae sita erat in eius insulae littore orientali. Evangelicae praedicationis exordium ibi faciunt in synagogis Iudaeorum, et minister illis aderat Ioannes Marcus, vs. 4—5. Salamine relictà, totam porro insulam peragrant usque ad urbem eius metropolim Papbum, quae sita erat in occidentali insulae littore. Ibi Sergius Paulus, Proconsul, Paulum et Barnabam ad se arcessit, valde cupiens audire doctrinam, quam praedicabant. Hanc cum illi exponunt, Iudaeus quidam, pseudo-propheta, Sergii Pauli familiaris, Apostolis adversatur, conaturque Proconsulem avertere a fide Christi suscipienda. Sed falsiloquum hunc Paulus duris verbis increpat, et oculorum caecitate percutit. Quod cum Sergius vidisset, eo miraculo commotus, evangelicam doctrinam fide amplectitur, vs. 6-12. Post haec Paphi navem denuo conscendunt Paulus eiusque comites et in Asiam Minorem navigant, solvuntque Pergae, quae provinciae Pampbiliae urbs est maritima. Hic a Paulo et Barnabo digreditur Ioannes Marcus, Hiërosolymam reversurus, vs. 13. Illi vero a Perga eunt ad provinciae Pisidiae urbem Antiochiam, ubi Paulus die Sabbati in synagoga Iudaeorum orationem habet, qua Iesum Nazarenum esse promissum Messiam probat, et praesentes adhortatur, ut oblatam ab eo remissionem peccatorum et salutem amplectantur, vs. 12—42. Finita oratione, Paulus rogatur ut sequenti Sabbato eadem de re iterum dicat; multi autem ex iis qui Paulum in synagoga dicentem audierant, fidem dictis adhibentes, soluto ibi conventu, Paulum et Barnabam conveniunt; quos illi ad perseverantiam adhortantur, vs. 42-43 Sequenti vero Sabbato cives Antiochiae fere universi, adeoque et Gentiles magno numero conveniunt, Evangelicum sermonem audituri. Quod indigne ferentes Iudaeorum qui aderant plerique, Paulo dicenti adversantur, verbis blasphemis, quae docebat, persequentes. Quare Paulus et Barnabas, missis Antiochenis Iudaeis ut indignis, deinceps Evangelium praedicant Antiochenis Gentilibus, quorum plures Christianam religionem suscipiunt, vs. 44—49. Excitatà autem a Iudaeis persecutione in Paulum et Barnabam, hi coguntur ab Antiochiae finibus secedere, et Iconium, Lyaconiae provinciae civitatem, proficiscuntur, vs. 50—52.

Inde ab hoc capite usque ad finem libri, Lucas fere non agit nisi de rebus gestis a Paulo, hoc est, de praedicato ab eo Evangelio inter Gentiles. Ea ergo, quae sequuntur, constituere possunt veluti alteram libri partem, quae hic incipiat.

1. *Erant autem in ecclesia, quae erat Antiochiae, prophetae et doctores, in quibus Barnabas*, etc.). Graeca : ἦσαν δὲ — κατὰ

την ουσαν εκκλησιαν Belgice reddi possunt : *Te Antiochië nu waren er bij de aanwezige kerk als Propheten en Leeraars. Prophetas* intelligimus tales, quales supra (ad Cap. XI : 27) ex Estio descripsimus; *Doctores* autem eos cogita, qui illud Spiritus Sancti charisma sive donum haberent, ut docere possent fideles ea quae ad Christianam religionem pertineut. Cf. Estium ad I Cor. XII : 28, et Ephes. IV : 11. Eosdem vero qui hic nominantur, habuisse administrandae et curandae ecclesiae Antiochenae officium, ex commate sequenti (λειτουργουντων δε αυτων τῳ Κυριῳ) colligitur. Recensentur ergo hic Antiochenae ecclesiae administri.— Si Vulgatae lectionem sequaris, Lucas hic significasset, fuisse Antiochiae, praeter nominatos, alios nonnullos prophetas et doctores.

Barnabas, etc.). Est *Barnabas* ille is, de quo sermo fuit supra Cap. IV : 36, sq., IX : 27; XI : 22, sqq. et Cap. XII : 25. *Simon*, Latino *cognomine dictus* (ὁ λεγομενος) *Simon Niger*, appellatus ita fuerit a colore vultus aut capillorum; quemadmodum *Flavia gens* Romana a Flaviis dicta fuit, quorum qui primus id nomen habuit, a flavis capillis illud duxisse videtur. — *Lucius Cyrenensis*, h. e. a Cyrene, superioris Libyae urbe primaria, oriundus. Is forte idem fuit cum eo *Lucio*, cuius mentio fit in Ep. ad Rom. Cap. XVI : 21. — *Manahen* (est Hebraicum מְנַחֵם h. e. *consolator*, forma Particip. *Kittel* a נחם) dicitur Herodis (scil. Antipae) Tetrarchae συντροφος, Vulg. *collactaneus*, quae Latina vox significat, Manahemum illum simul cum Herode Antipa eodem lacte fuisse nutritum. Sed Graeca vox latius patet; nam praeterea notat puerum talem, qui cum alio sit *educatus*[1]. Nempe solebant apud veteres, quod monet Raphelius (ad h. l.), qui ditiores erant, liberis suis non solum magistros et paedagogos dare, sed etiam collusores, qui unà cum ipsis educarentur. Putaverim autem, vocem συντροφος posteriore hoc significatu hic esse sumen-

[1]) Exempla collegerunt Raphelius, Wetstenius, et Valckenarius (ad h. l.).

dam; nam nihil intererat referre, duos pueros quosdam eamdem mammam suxisse. — *Saulus.* Hic, ut inter recensitos praecipuus, postremo loco nominatur.

2. *Ministrantibus autem illis Domino et ieiunantibus*, etc.). Eosdem intelligas, qui modo fuère recensiti. Graece est : λειτουργουντων δε αυτων τῳ Κυριῳ... ειπε το Πνευμα, quorum verborum sensus est : *Cum hi publico cultui divino operarentur, dixit Spiritus Sanctus,* etc. Seilicet vox λειτουργειν, quod verbum est Denominativum a λειτος *publicus* et εργον *opus*, universe notat *munus aliquod publicum obire;* hic verò, eum addatur τῳ Κυριῳ (Dativ. *directionis*), λειτουργειν sumendum est de ministerio, quod publice obitur circa cultum Dei (*le service divin*), cuius pars praecipua est in Novae Legis incruenti sacrificii oblatione, eaque hic, quamquam non ipsa vi vocis λειτουργειν exprimitur, tamen non obscure significatur. Nam si nudas et meras preces Lucas hic indicare voluisset, quare non, pro more, προσευχομενων δε αυτων scripsisset? Atqui de sola praedicatione verbi divini non recte dixisset λειτουργουντων δε αυτων, addens τῳ Κυριῳ (Dativ. *Directionis*), quia divini verbi praedicatio proprie non *in Deum* (τῳ Κυριῳ) dirigitur, sed ad fidelium suscipitur institutionem; sacrificandi autem actio directò fit Deo (τῳ Κυριῳ), sive in Deum dirigitur. Animadvertendum est etiam, non simpliciter dici *ministrantibus illis Domino*, sed addi *et ieiunantibus*. Nam, quod Stapletonius monet (ad h. l.), adiuncta haec circumstantia non obscure docet, de Liturgiae actione Lucam loqui, quae proprie sacrificium est. Sacrificium quippe Christianorum perpetuo antecedit ieiunium, ut antiqui Patres monuerunt, Augustinus, Basilius, alii; praedicationi verbi ieiunium necessario coniunctum non est. Quamquam nihil opus est hoc Scripturae loco ad probandam ex scripto verbo Dei incruenti Novae Legis sacrificii veritatem. Nec est, mea quidem sententia, hic locus, tamquam dogmaticus, contra Acatholicos

urgendus; suppetunt alia non pauca, quae validius rem conficiunt.

dixit[1] *illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi*, etc.). Puta Spiritum Sanctum hoc dixisse *interna locutione*, sive *mentali verbo*, uni aut pluribus ex hisce viris, qui divinum hoc mandatum ceteris notum facerent. *Segregate mihi*, Gr. αφορισατε δη μοι. Verbum αφοριζειν in hac oratione mihi videtur referre Hebraicum הזיר (Hikt. a נזר *separavit*), quod de *consecrando*[2] quopiam *alicui* dicitur. Vid. Numer. Cap. VI : 5. Itaque putaverim, sensum verborum *segregate mihi*, esse hunc : *consecrate mihi*, scilicet per consecratricem manuum impositionem, *Saulum et Barnabam* (in Episcopos), *ut fungi possint eo ministerio* (εις το εργον), *ad quod praestandum ego illos mihi elegi*. — Illud *opus* (το εργον) sive ministerium erat *praedicatio Evangelii, praesertim inter Gentiles*. Ad hoc ministerium praestandum *proxime* a Deo vocati fuerant tam Saulus quam Barnabas. Et de Sauli quidem istiusmodi vocatione aliunde constat; Cf. supra Cap. IX : 15; I Timoth. Cap. II : 7; Rom. Cap. XV : 15, 16; Gal. II : 8, 9; Barnabam autem ad Apostolatum fuisse proxime a Deo vocatum, si non aliunde, certe ex praesenti Spiritus Sancti oraculo intelligitur. — Obiter nota, firmum ex hoc loco argumentum duci posse ad probandam Spiritus S. personalitatem et divinitatem. — Particula δη post Imperativum αφορισατε est hic *impellentis* ad rem *sine mora* faciendam. Scribitur autem ὁ προσκεκλημαι pro προς ὁ κεκλημαι. Scilicet Graecis et Latinis, quod notat Valckenarius (ad h. l.), satis usitatum est, ut Verbo adiungant Praepositionem, quae cum Nomine sit, vel Pronomine construenda. Dedit in eam rem exemplorum affatim Abreschius ad

---

[1]) VAR. LECT. Post ειπε legitur αυτοις in Cod. E, eamque vocem legerunt etiam noster Interpres et Syrus. Glossema olet.

[2]) Ipsum hoc verbum αφοριζειν in Septuaginta-virali versione non ita raro de *consecrando per oblationem* dicitur. Exempla passim occurrunt. Vide Num. XVIII : 24. Ezech. XLV : 1, 13; XLVIII : 9, 20.

Aeschylum, p. 65, 86, 360, 377. Vox προσκεκλημαι, quae proprie forma est Perfecti Passivi, hic notionem habet *Mediam;* qua de re vide Gr. pag. 275. 3.

3. *Tunc ieiunantes*, etc.). Graeca, ob Aoristi Participia, ita reddiderim: *tunc* (scil. accepto hoc divino mandato), *postquam* (puta, sequenti die) *ieiunassent et orassent imposuissentque illis manus, dimiserunt illos*, ut irent quò Spiritus Sanctus eos esset ducturus. Neque enim certae alicui provinciae destinati erant.

Suarezius (in 3 p. Disp. 34, Sect. 1), Estius (in loc difficil. ad h. l.) aliique nonnulli in ea fuere sententia ut crederent, impositionem manuum, quae hic memoratur, fuisse tantum *deprecantium*, non vero etiam *consecrantium*, adeoque non spectare ad Ordinis Sacramentum, quod hic Saulo et Barnabae esset collatum. Sed *consecratricem* fuisse eam manuum impositionem docent SS. Chrysostomus[1] et Leo Magnus[2], estque haec communior in hac quaestione sententia, et omnino tenenda. Nam si mittamus parvulos illos, quibus Salvator impositis manibus benedixit (Matth. XIX : 13), nuspiam in toto Novo Testamento deprecatoriae cuiusdam impositionis manuum aliquod exstat exemplum, sed ubique *imponuntur manus*, aut *ad sanandum* vel etiam *revocandum in vitam* (v. g. Matth. IX : 18. Marc. V : 23; XVI : 18. Luc. IV : 40; Act. Ap. IX : 12, 17; XXVIII : 8), aut *ad sacrandum* (Act. VI : 6; VIII : 17; XIX : 6; 1 Timoth. IV : 14; V : 22; 2 Timoth. I : 6). Accedit, non *nudam* hic commemorari manuum

---

1) Hom. XXVIII in principio: Ἅμα χειροτονηθεντες, inquit, ἐξῆλθον. Et mox: ου γαρ δη εχειροτονοθησαν μονον, αλλα και εξεπεμφθησαν.

2) Ep. ad Dioscorum Alexandrinum. « Nam, *inquit*, praeter auctoritatem consuetudinis, quam ex Apostolica novimus venire doctrina, etiam Sacra Scriptura manifestat, quod cum Apostoli Paulum et Barnabam ex praecepto Spiritus Sancti mitterent ad Evangelium Gentibus praedicandum, ieiunantes et orantes imposuerunt eis manus; ut intelligamus, quanta et dantium et accipientium devotione curandum sit, ne tantae benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum. »

impositionem, sed quam comitabantur ieiunium et preces, eaque adhibita ad illam manuum impositionem peragendam, ut ex contexta oratione patet, et confirmatur ex Cap. XIV : 22. Ceterum de hac controversia videsis Salmeronem (Tract. XXXVI in Act. Ap.), Lorinum, Cornelium a Lapide, et Bartholomaeum Petrum (ad h. l.).

4. *Et ipsi quidem missi a Spiritu Sancto*, etc.). Paulus et Barnabas *ergo* (μεν ουν) *emissi* (εκπεμφθεντες, *uitgezonden*) a Spiritu Sancto, *descenderunt* (κατηλθον) Seleuciam, atque hinc navigarunt (απεπλευσαν εις, *zij voeren af naar*) in insulam Cyprum.

Est hic μεν ουν formula *pergentis in narrando*, ut Cap. XI : 31. Dicuntur autem *missi a Spiritu Sancto*, quia Apostolatus eorum non erat *neque ab hominibus*, *neque per hominem* (Gal. I : 1), sed proxime a Deo. — Verbum κατερχομαι eleganter sic dicitur de proficiscentibus in regionem ad mare sitam, qualis erat urbs Seleucia. Nam sermo hic est de Seleucia Syriae Antiochenae urbe, ab Antiochia parum distante et mari mediterraneo apposita. Quae ut distinguatur ab aliis eiusdem nominis urbibus, nunc *Seleucia ad mare* sive *maritima* vocatur, nunc *Seleucia Piëria*, ut quae nempe sub Piërio monte iacebat. Vid. Cellarii *Notitiam orbis antiqui*, Lib. III, Cap. XII, Sect. 2, § XXVI, sq. Rectà ex illius urbis portu traiiciebatur (Polyb. V : 29) in insulam Cyprum. Seleuciae Apostoli non haeserunt, sed statim, quod ex Lucae narratione colligitur, inde traiecerunt in Cyprum, Barnabae patriam (Act. IV : 36), ubi iam paulo ante (Act. XI : 19) ab aliis exordium factum fuerat Evangelicae praedicationis.— De Articulo, iuncto Nominibus propriis urbium et regionum, vide Gr. pag. 105, 7. De Cypro videsis Cellarii *Notitiam orbis antiqui* Lib. III, Cap. VII, § 4, IV, sqq. Meursium, *De Cypro*, et Mannert, *Geographie* VI : 1, p. 372, sqq. —

5. *Et cum venissent Salaminam*, etc.). Graece : *και γενομενοι εν Σαλαμινι*, quod certe reddi potest : *cum essent Salamine;* sed possunt quoque ea verba habere sensum, quem iisdem Interpres noster subiecit. Nam *γενεσθαι* de *veniendo in locum* Lucas etiam alibi dixit (vide Ev. Cap. X : 32; XXII : 40; Act. XXI : 17, coll. 15; XXV : 15); et Verbum *motûs* nonnumquam construi cum Praepositione *εν*, alibi (ad Cap. VII : 45) iam monuimus. — Apostolis Seleuciâ nave vectis proxima erat Cypri urbs Salamis, ut quae sita erat in littore eius insulae orientali. Urbem terraemotu deinceps eversam Constantinus M. reaedificavit, ab eoque dicta fuit Constantia; cuius urbis episcopatum aliquando gessit S. Epiphanius.

praedicaverunt verbum Dei in synagogis Iudaeorum). Missi quidem erant ut Evangelium Gentibus praedicarent, sed ita tamen ut sicubi inter Gentes habitarent Iudaei, *primum his* Evangelium annunciarent. Vide infra ad vs. 46. Paulo et Barnabae *Ioannes Marcus* (supra XII : 12) aderat tamquam *minister* (*ὑπηρετης*). Putaverim autem, sermonem hic esse de *sacro ministerio*, ob Particulam illam *και* in hac oratione : *Paulus et Barnabas praedicabant, habebant autem* ET (*και*) *Ioannem tamquam ministrum;* nam eius orationis hic omnino videtur esse sensus : In doctrina Evangelica Salamine promovenda non soli erant Paulus et Barnabas, primas licet partes ea in re agerent; sed et Ioannes Marcus tamquam horum minister operam suam illi rei praestabat. —

6. *Et cum perambulassent universam*[1] *insulam usque Paphum*, etc.). Urbs Paphos sita erat in Cypri littore occidentali. Itaque ab ortu ad occasum totam insulam Apostoli peragraverant, ubique, quod ex contexta oratione (vs. 5, 6) intelligitur, Evangelii doc-

---

[1]) Var. lect. Vox *ὅλην* (*universam*) legitur in Codd. ABCDE, Vulgata, et in plerisque versionibus antiquis.

trinam praedicantes. — Sermo autem hic est de *nova Papho* (Παφῳ νεᾳ) sexaginta stadiis distante a *Papho vetere* (Παφῳ παλαιᾳ). Utraque urbs dicata fuit infami Veneris cultui, haecque Venus Παφια, *Paphia* ab ea cognominabatur. In nova Papho, quae totius insulae Metropolis erat, sedem suam Proconsul habebat. Cf. Cellarii *Notitiam orbis antiqui*, Lib. III, Cap. VII, § XXVI.

invenerunt (offenderunt ibi) *quemdam virum magum*, etc.). Graece : *ανδρα τινα μαγον*, h. e. *magum quemdam*[1], nam vox *ανηρ* ex Hebraismo hic redundat, ut supra Cap. III : 14; X : 28. Ceterum *magus quidam* tantumdem hic est ac *praestigiator quidam*. Vide supra ad Cap. VIII : 9. Erat hic gente Iudaeus, et pro legato aliquo divino se venditabat. Nomen illi erat *Bar-Iesu* (בַּר יֵשׁוּעַ) hoc est *filius Iesu;* sic nempe vocabatur per denominationem a patre suo. Nomen *Iesu*, ut notum est, commune erat inter Iudaeos; qua de re vide quae monuimus in Commentario in Ep. ad Philippenses, pag. 66—67, edit. 2ae.

7. *qui erat cum Proconsule Sergio*, etc.). Impostor hic, puta ut vir doctrinae cuiusdam, insinuaverat sese in familiaritatem (*την συν*) Sergii Pauli, illius insulae Proconsulis. — « Consules, quod hic notat Kuinoelius, quia Romae erant magistratus supremus, a Graecis dicti sunt ὑπατοι, quod idem est ac ὑπερτατοι, *supremi*, *ανθυπατος Proconsul*, ex *αντι* et ὑπατος, idem quod ὑπερτατος. Verum Cyprus, a Romanis capta, erat provincia στρατηγικη, h. e. *praetoria*, non ὑπατικη, h. e. *consularis;* neque adeo in eam mittebantur *Proconsules*, sed *Propraetores;* dicendus ergo potius fuisset Sergius *αντιστρατηγος*, h. e. *Propraetor*. Strabo IV : Ῥωμαιοι κατεσχον την νησον (Cyprum), και γεγονε στρατηγικη επαρχια καθ' αυτην. Scilicet, libera Republica, provinciae erant vel *consulares*, vel *praetoriae*. In *consulares*, quae plerumque ceteris ma-

---

[1]) In Codd. ABCD, variisque Minusculis legitur, ut in Vulgata, *ανδρα τινα μαγον*.

jores erant, mittebantur fere quotannis cum imperio ii, qui Consulatum in Urbe gessisseut, sed in *praetorias*, qui Romae Praetura functi fuisseut. Proconsules et Propraetores communem habebant iurisdictionem, sed Proconsulibus etiam rei militaris potestas permissa erat, ut exercitibus praessent atque bella gererent. Augustus autem, cum rerum potitus esset, provincias divisit in *caesareas*, quae *consularibus* responderent, et *senatorias*, quae non differrent a *Praetoriis*. Iu utriusque generis provincias mittebantur senatoriae dignitatis viri, et qui caesareis praeerant, dicebantur *Propraetores*, *αντιστρατηγοι*, etiam *legati Caesaris*, et praediti erant codem imperio, quo Proconsules temporibus liberae Reipublicae. Qui vero in provincias senatorias mittebantur, ii *ανθυπατοι*, h. e. *Proconsules* appellabantur. In provinciis autem iis, quas Augustus Senatui Populoque Romano attribuit, erat etiam Cyprus. Dio Cass. 54, p. 523. *Leuncl.* Τοτε δ'ουν, inquit, και την Κυπρον, και την Γαλατιαν την Ναρβωνισιαν απεδωκε τῳ δημῳ, ὡς μηδεν των ὁπλων αυτου δεομενας. Και οὑτως ανθυπατοι και ες εκεινα τα εθνη πεμπεσθαι ηρξαντο. h. c. *Tunc igitur et Cyprum et Galatiam Narbonesiam dedit populo* (Augustus), *utpote quae ipsius armis non indigerent. Atque ita Proconsules quoque ad illas gentes mitti coeperunt.* » Cf. Fischeri *Prolusiones* de vitiis lexicorum N. T. Prolus 18, § IV.

Hic, accersitis Barnaba et Saulo, desiderabat, etc.). Graece : επεζητησεν, *valde desiderabat* audire Barnabam et Saulum novae doctrinae praecones. Nova illa doctrina dicitur *verbum Dei* (ὁ λογος του Θεου), rem sic nominante Luca, non vero Sergio. Hunc Lucas ανδρα συνετον *virum prudentem, intelligentem,* vocat; forte, ut significet causam cur Sergius doctrinae istius Pseudo-prophetae non acquisceret eamque suspectam haberet.

8. *Resistebat autem illis Elymas*, etc.). Brevitati studet Lucas; quo fit ut non raro dicere omittat, quae ex serie narrationis facile

suppleveris. Atque ita hoc loco ex contexta oratione (vs. 7, 8) intelligendum est, *et* vocatos a Sergio Apostolos ad Proconsulem ivisse, *et* hos illi doctrinam Evangelicam exposuisse, *et* Bariesum istum huic expositioni fuisse praesentem, *et* tandem Apostolorum sermones propensis auribus animoque fuisse a Sergio acceptos. Impostor iste Bariesu, aliud nomen illudque Arabicum sibi imposuerat, nomen, inquam, *Elymae* (عليم, *'alim*), quod Arabice tantumdem notat ac Persica vox *mogh* (مغ) *magus*, cui respondet Latina *sapiens*. Vide supra ad Cap. VIII : 9. Puta Lucam scripsisse : *Resistebat autem illis Elymas, hoc est, Magus, nam sic illud nomen redditur.*— Evangelicae doctrinae benignas Proconsul praebebat aures; quod cum Elymas animadvertisset, Apostolis *adversabatur* (ανθιστατο), puta, traducendo tamquam falsa quae illi dicebant, et hoc modo *quaerens* (ζητῶν) Pronconsulem *pervertere* (διαστρεψαι) et avertere *a fide Christi* (απο της πιστεως) amplectenda. — Διαστρεψαι απο *praegnanter* dictum est. Vide supra ad Cap. V : 37.

9. *Saulus autem, qui et Paulus*). Elliptice dicitur ὁ και Παυλος pro ὁ και καλουμενος Παυλος, ut sensus sit : *Saulus autem, qui etiam Paulus vocatur*. Hactenus Lucas de Apostolo locutus fuerat, adhibito semper Hebraico eius nomine, quod est *Saul* (שָׁאוּל), et cum terminatione Graeca Σαυλος : deinceps vero de eodem agit, adhibito semper Latino eiusdem nomine, quod est *Paulus*. Et animadvertendum est, alterum hoc Apostoli nomen, nomen Pauli inquam, a Luca tum *primum* de eo adhiberi, cum narraturus est, ut Proconsul Sergius Paulus illius opera ad Christianam religionem fuerit adductus. Inde enim non improbabiliter coniecceris, in eius rei memoriam factum fuisse, ut qui haetenus dictus fuerat Saulus, deinceps Paulus vocaretur. Fuit in ea sententia S. Hiëronymus (*in epist. ad Philemonem*) « *Diligenter,* inquit, *attende, quod hic primum nomen Pauli acceperit. Ut enim Scipio,*

subiecta Africa, Africani sibi nomen assumpsit, et Metellus, Creta insula subiugata, insigne Cretici suae familiae reportavit, et Imperatores nunc usque Romani ex subiectis gentibus, Adiabenici, Parthici, Sarmatici nuncupantur; ita et Saulus ad praedicationem Gentium missus, a primo Ecclesiae spolio, Proconsule Sergio Paulo, victoriae suae trophaea retulit erexitque vexillum, ut Paulus diceretur e Saulo. » Atque hanc nominis mutationem si quis Apostolo ipsi ob eam causam tribuere nolit, poterit aut comitibus eius eam adscribere, aut ipsi Sergio Paulo.

repletus Spiritu Sancto, etc.). Quum non dicatur πληρης *plenus,* quae vox *statum* notat *habitualem*, sed πλησθεις, quod *actionem* connotat, referendum est quod hic dicitur ad *praesentaneam* quamdam Spiritus Sancti *impulsionem*, qua excitabatur Paulus ad intrepide dicendum et faciendum, quod dixisse et fecisse hic narratur. — De ατενιζειν vide supra ad Cap. I : 10. Duo Participia hic asyndetice componuntur, ut supra Cap. IX : 1.

10. *O plene omni dolo et omni fallacia*). Puta Belgice dici : *O gij, vol van allerlei arglist en van allerlei bedrog.* Scilicet vox ραδιουργια in hac oratione habeuda videtur pro Synonymo antegressae vocis δολος. Thomae Magistro Lexicographo ραδιουργια *etiam* tantundem valet ac ἡ δολιοτης *fraudulentia*. Et in Etymologico Magno ραδιουργειν definitur, ut sit το μετα πανουργιας τι διαπραττεσθαι. — Proprie ραδιουργος (a ραδιος et εργον) dicitur *in omnem rem aptus et paratus;* sed usus voluit, ut ραδιουργος plerumque poneretur in vituperio et hominem notaret *ad mala quaeris promptum*. Si hac notione sumenda hic esset vox ραδιουργια vertendum foret : *O plene omni dolo et proiecta ad omne scelus audacia!* sed, ut dixi, potest ραδιουργια etiam dici de *fraudulentia* sive *fallacia*, quam vocem Interpres noster hoc loco usurpavit.

fili diaboli, inimice omnis iustitiae). Quum impostor iste appellaretur *Bariesu*, i. e. *filius Iesu*, fieri potest, ut peculiari em-

phasi Paulus eum vocet filium non *hominis* sed *diaboli* (geen menschenkind, maar duivelsbroed); puta *non carnis successione*, ut alicubi dicit S. Ambrosius, *sed criminis*. Cf. Ioan. VIII : 44. Vox διαβολος hic, quod raro fit, tamquam nomen Proprium sumitur; quare abest Articulus. Cf. Gr. pag. 116. — Quod sequitur : *inimice omnis iustitiae*, tantumdem est ac si dicas : *cui exosum est quidquid rectum est probumque*. Scilicet vox δικαιοσυνη in Graecitate sacra inter alias notiones etiam hanc obtinet, ut dicatur de *recte factis* aut de *probitate vitae* universe. Vide dicta ad Cap. X : 35.

non desinis, etc.). Graece in Futuro : ου παυση, *non desines* (zult gij niet ophouden) *distorquere* (διαστρεφειν) *rectas Domini vias?* — Oratio metaphorica est. Quia vero non simpliciter dicitur *vias Domini*, sed additur *rectas*, putaverim, intelligendas esse *vias* non *Dei*, ut ita dicam, *ad nos*, sed *nostras ad Deum*. Viae Dei *ad nos* non possunt esse nisi *rectae*; nostrae autem ad Deum viae possunt esse *non rectae*. Impostor iste *rectas ad Deum* (Κυριου Genitivus *obiecti*, ut Matth. X : 5 : ὁδος εθνων) *vias distorquebat*, homines a recto vitae tramite in *vias pravas* deducendo. — De Participio διαστρεφων, iuncto hic verbo Finito παυση, vide supra ad Cap. V : 42.

11. *Et nunc ecce manus Domini super te*, etc.). Dictio *et nunc*, quae refert Hebraicam וְעַתָּה, in hac orationis conformatione valet *itaque*, ut Genes. XXVII : 8. Sensus est : *quum talis sis, ecce ultrix manus Dei super te extenditur* (h. e. poenam tibi infert Deus) : *eris coecus ad tempus!* — De Deo plagas inferente simili phrasi Deuteron. II : 15 dicitur : יַד יְהוָה הָיְתָה בָּם, *manus Iehovae erat contra illos* Quod ad το *coecus eris* additur *non videns solem*, per hoc eo maiori emphasi poena coecitatis illi indicitur. Αχρι καιρου *ad certum tempus aliquod*. Poena infligitur illi in medelam. Tittmannus (*de Synonymis in* N. T. p. 37) αχρι καιρου

tantumdem esse vult quod ἑως τελους sive μεχρι τελους, sed fallitur. Certe αχρι νομου (Rom. Cap. V : 13) non est ἑως του τελους του νομου, sed *usque ad tempus illud, quo Lex data est*, ut ex Versiculis 14 et 20 ibi sequentibus colligitur.

Et confestim cecidit in eum caligo et tenebrae, etc.). Graece αχλυς και σκοτος, quae voces fere aequipollentes sunt (*donkerheid en duisternis*). Significatur hac loquendi ratione, ut mihi videtur, non fuisse heic divinitus factam aliquam visifici eius organi laesionem, sed tantùm impeditum fuisse ad tempus oculorum usum; puta, percussum eum fuisse αορασια, ut de Sodomitis legitur Gen. XIX : 11. Quidquid sit, Elymas divinitus privatus ibi fuit facultate videndi, eodemque in loco, Proconsule spectante, *oberrans* (περιαγων), puta in orbem sese movens et extenta manu palpitans, *quaerebat* (εζητει) *manuductores* (χειραγωγους), unum alterumve, qui ipsum manu duceret. — Περιαγων dictum hic est *intransitive*, sicut verbum simplex αγωμεν *eamus*, Matth. XXVI : 46. Legesis quae hac de re notavit Zeunius ad Vigeri Cap. V, Sect. I, XI.

12. *Tunc Proconsul quum vidisset, credidit*, etc.). Editum fuerat hoc miraculum maxime in confirmationem veritatis Christianae doctrinae, quam impostor ille impugnabat. Et probe hoc intellexit Sergius Paulus. Hic ergo, *quum vidisset* (ιδων) quid Elymae accidisset (το γεγονος), sciretque Deum non posse testimonium perhibere falsitati, divina gratia adiutus Evangelio credidit (επιστευσεν), plenus admiratione (εκπλησσομενος, Particip. Imperf.) ob doctrinam Christianam, ut quae eo miraculo, illi demonstrabatur esse divina.

13. *Et quum a Papho navigassent*). Graece est Particip. Aor. Pass. (cum notione *media*) αναχθεντες, quod verbotenus valet : *quum sursum* (in altum mare) *duxissent*. Nempe αναγομαι, scil. ναυν, in re nautica, ut hic, adhibetur de iis qui solvunt navem e

littore vel portu et in altum mare provehunt. Eodem sensu ανάγεσθαι legitur Luc. VIII : 22; Act. XVI : 11; XXI : 1; XXVII : 12. Exempla ex scriptoribus profanis collegit Wetstenius ad Luc. VIII : 22. Verti potest : *Quum a Papho solvissent.* — Loquendi formam οἱ περι τον Παυλον Interpres noster scite reddidit : *Paulus et qui cum eo erant.* « Duplici modo, inquit Valckenarius (ad h. l.), accipi solet ista forma. Primo periphrasi illa Praepositionis περι *unus* aliquis saepe significatur ; nonnumquam tamen *etiam is*, cuius nomen inservit periphrasi, *cum suis comitibus aut discipulis*... Ubicumque in Patrum scriptis, citantium loca veteris Foederis, legitur οἱ περι Ακυλαν, *unus Aquila* est intelligendus; ubicumque legitur οἱ περι Συμμαχον, *unus Symmachus*... Alexandrinus Grammaticus *Apion* Eustathio citatur eodem modo : οἱ περι Απιωνα... In uno loco Novi Foederis περι eodem modo adhibetur, nempe Ioh. XI : 19, quo Iudaeorum multi venisse dicuntur προς τας περι Μαρθαν και Μαριαν, quod simpliciter significat *ad Martham et Mariam*... Saepe memorantur οἱ περι Πυθαγοραν, οἱ περι Πλατωνα, Ἡρακλειτον, quando non solus *Pythagoras*, *Plato*, vel *Heraclitus* significantur, sed hi Philosophi, quisque *cum suis discipulis*. Αμφι eidem usui saepius inservit. » Videsis etiam Gr. pag. 438. *Adnot.* — Non elliptice dicitur εις Περγην της Παμφυλιας pro εις Περγην πολιν της Παμφυλιας. Perga, provinciae Pamphyliae urbs metropolis, celebris erat ob templum Dianae extra urbem in vicino monte positum. Vide Cellarii notit. orb. antiq. Lib. III, Cap. VI, § XV, et Mannert Geograph. VI : 2, p. 126.

Ioannes discedens ab eis, etc.). Sermo est de Ioanne Marco. Vide ad vs. 5. Non certo scitur, quae causa fuerit cur hic a Paulo et Barnaba discesserit. Quaecumque tandem fuerit, certe non adeo honesta erat, ut Paulo non displiceret. Confer dicta ad Cap. XV : 38.

14. *Illi vero pertranseuntes Pergen*, etc.). Graeca reddideris : *Illi autem* (Paulus et Barnabas) *cum peragrassant a Perga.* Non

videntur Apostoli Pergae haesisse, sed continuato itinere, *pertranseundo* (διελθοντες) Pamphiliam, perexisse Antiochiam Pisidiae. Additur nomen *Pisidiae* provinciae, ut haec Antioehia distinguatur ab Antiochia Syriae, unde profecti fuerant Apostoli (Vide supra vs. 1—3). Antiochiae die Sabbati (των σαββατων) synagogam ingressi, cum ceteris ibi *consederunt* (εκαθισαν), lectionem Legis et Prophetarum audituri. — Promiscue dicitur το σαββατον et τα σαββατα de *uno* die Sabbati.

15. *Post lectionem autem legis et prophetarum*, etc.). In more positum erat apud Iudaeos, ut Sabbati die in synagogis populo praelegeretur Pentateuchi particula aliqua; et adiungebatur ex Prophetarum libris sectio quaedam, cuius argumentum proxime accederet ad materiam textus ex Pentateucho praelegendi. Atque haec est illa, quae hic dicitur αναγνωσις του νομου και των προφητων. Ad eumdem ritum sacrum referenda sunt etiam quae dicuntur infra Cap. XV : 22, et 2 Cor. III : 15. Videsis ea de re late disserentem Vitringam *De Synagoga vetere*, Lib. 3, Part. 2, Cap. VII, sqq. Post leetionem autem illam concio ad populum haberi solebat. De quo more agit idem ibidem Part. I, Cap. V, sqq.

miserunt principes synagogae, etc.). Graece est una vox αρχισυναγωγοι, qua intelliguntur tum ille qui eximie ὁ αρχισυναγωγος (רֹאשׁ הַכְּנֶסֶת) dicebatur (Luc. VIII : 49), tum reliqui minores Synagogae praepositi, פַּרְנָסִים sive *pastores* appellati. Archisynagogi illi aut noverint, aut certe ex Pauli et Barnabae habitu et vultu coniecerint, esse eos viros doctos talesque qui possent verba facere ad populum. Itaque ab illis invitantur, puta per ministrum (τον ὑπηρετην, vide Luc. IV : 20), ut si quem *in animo* (εν ὑμιν) haberent sermonem, qui ad exhortandum populum valeret (λογος παρακλησεως), ad dicendum accederent.

16. *Surgens autem Paulus*, etc.). Paulus autem cum *surrexisset*

(αναστας) e loco ubi sedebat (vs. 14), *manuque mota* silentium indixisset (κατασεισας τῃ χειρι. Vide supra, Cap. XII : 17), sic locutus est : Israëlitae, *et Proselytae!* — Intelliguntur hic *proselytae iustitiae*. Scilicet duae distinguendae sunt *proselytorum* classes; nam eorum alii Iudaicae genti *circumcisione* veluti inserebantur, atque hi *proselyti iustitiae* (גֵּרֵי הַצֶּדֶק) dicebantur; iisdem, ob eam initiationem, Iudaeorum, Hebraeorum, Israëlitarum nomen etiam tribuebatur. Ex quo conficitur, Paulum, quum ab Israëlitis distinguat τους φοβουμενους τον Θεον sive *proselytos*, non respicere *proselytos iustitiae*. Qui vero ad alteram *proselytorum* classem pertinebant, hi *proselyti portae* (גֵּרֵי הַשַּׁעַר) vocabantur, et in Novo Testamento nunc σεβομενοι τον Θεον dicuntur, nunc φοβουμενοι τον Θεον. Hi vero non circumcidebantur. Priores ad servandam legem Mosaicam universam adstringebantur; posteriores vero ad praecepta tantum Noachica, ut vocant. — Videsis ea de re late disserentem Seldenum, *De iure naturae et gentium iuxta disciplinam Hebraeorum*, Lib. II, Cap. 1, sqq.

17. *Deus plebis Israël elegit Patres nostros*, etc.). Dicturus est Paulus, Iesum Nazarenum esse promissum illum Patribus Messiam. Exordium autem dicendi sumit a commemorando beneficia a Deo in gentem Israëliticam collata; quod faceret ad captandam auditorum benevolentiam. — *Deus plebis Israël*, i. e. unicus ille verus Deus, quem gens Israëlitica colit. — Si demta voce Ισραηλ, legeris ὁ Θεος του λαου τουτου, Pronomen hoc *demonstrat* praesentem in illa concione Israëlitarum multitudinem.

elegit Patres nostros, etc.). Graece εξελεξατο (Aor. Med.) *sibi* Deus *elegit* maiores nostros, Abrahamum, Isaacum et Iacobum, ut ex his propagaretur populus, *qui esset ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram*, ut est Deuteron. VII : 6. *Et plebem*, gentem hinc procreatam, *tempore incolatûs eius in Ae-*

gypto (εν τῃ παροικιᾳ, εν γῃ Αιγυπτῳ) *exaltavit* (ὑψωσεν[1]), h. e. illustrem reddidit, puta, cum quia *quo magis* ibi *opprimebantur eo magis multiplicabantur* (Exod. I : 12), et in gentem numerosissimam excrescebant; tum etiam per tot miracula in favorem Israëliticae gentis a Mose in Aegypto patrata. *Et deinde* (και) ex Aegypto illos eduxit *eximia potentia usus;* vel, ut Metaphorice hic dicitur, μετα βραχιονος ὑψηλου, *cum brachio excelso, elato*, h. e. *potenter, cum vi*. Cf. Exod. VI : 6.

18—19. *Et per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit*), h. e. *pravos eorum mores pertulit*. Atque hic illorum verborum sensus est, si legas ετροποφορησεν αυτους. Si vero legas ετροφοφορησεν[2], sensus est : *instar nutritoris eos aluit*, puta, manna coelitus demittendo. — Τροφοφορειν verbum est Denominativum a τροφος. *Et destruens*, graece και καθελων, h. e. *cumque delevisset* in terra Chanaan gentes septem, *harum terram* (την γην αυτων) *inter illos sorte distribuit*, graece κατεκληρονομησε[3], quod verbum in

---

[1]) Var. lect. Post ὑψωσεν addendum est εν τῃ παροικιᾳ, idque secundum communem Codicum lectionem.

[2]) Var. lect. Pro ετροποφορησεν legitur ετροφοφορησεν in Codd. ACE, et in nonnullis Minusculis; eamdem lectionem exhibent antiquae Versiones, Itala, Syriaca, Arab. Copt. Sahid. Aethiop. et Slavon. Atque ita quoque legerunt auctor Constitut. Apostol. Lib. VII, Cap. 36 (apud Sabatier), Athanasius, Cyrillus, Macarius, et Hesychius (apud Wetstenium). Etiam S. Chrysostomum sic legisse ex ipsius Commentario colligi potest; nam scribit ad hunc locum : Και ὁρα πως... ουδαμου τα εγκληματα παραγει εις μεσον, αλλα την του Θεου φιλανθρωπιαν, εκεινα αυτοις αφεις λογιζεσθαι. h. e. « *Et vide quomodo... nusquam crimina in medium afferat, sed Dei benignitatem, illa relinquens ipsis cogitanda.* » Profecto non haec scripsisset Chrysostomus, si legisset ετροποφορησεν, h. e. *mores eorum pertulit*. Accedit, Deuteronomii cap. I, vs. 31, quem locum Paulus forsitan respexit, adhiberi vocem τροφοφορειν non τροποφορειν. Ad haec, non videtur ad rem fuisse, ut in praesenti occasione Paulus Israëlitis, auditoribus suis, patrum suorum ingratos mores objiceret. Quae cum ita sint, profecto concedendum est, lectionem ετροφοφορησεν gravissimam habere auctoritatem.

[3]) Var. lect. Pro κατεκληροδοτησεν legitur κατεκληρονομησεν in plerisque Codd.

versione septuaginta-virali adhibetur nunc quidem de *sorte accipiendo aliquid*, nunc vero de *sorte distribuendo aliquid*, quo posteriore sensu ea vox et in praesenti loco sumenda est. Cf. Schleusneri Thesaurum ad voc. κατακληρονομεω. — De deletis illis gentibus Chananaeis plura dicendi non est hic locus opportunus. Cf. Deuteron. VII : 1; Iosue III : 10, et 2 Esdrae IX : 8. Et videsis ea de re disserentem Pererium ad Cap. XV Geneseos. — De sortitione terrae Promissae vide Numeror. Cap. XXVI : 55, 56; XXXIII : 54; XXXIV, XXXVI; Deuter. 1 : 38; XXXI : 7; Iosue I : 6; et legesis eadem de re Lorinum ad Act. XIII : 19, et Abulensem ad Iosue Cap. VIII. Q. 5.

20. *Quasi post quadringentos et quinquaginta annos*). Haec verba, secundum contextum Vulgatae, cum superioribus connectenda sunt. Vulgatae ergo sensus hic est : Deus terram Chanaan Israëliticae genti possidendam tradidit annis circiter quadringentis et quinquaginta postquam patres nostros elegisset. — Et ratio constat; nam a nato Isaaco usque ad exitum ex Aegypto anni fluxerunt circiter 400; et ab exitu illo usque ad promissae terrae distributionem praeterlapsi sunt anni 45. Vulgatae contextui consentiunt Codd. ABC, varii Minusculi, et versiones antiquae, Coptica, Sahidica, Armenica. Etiam S. Chrysostomum sic legisse, ex eius commentario colligitur[1]. Quae cum ita sint, patet profecto, Vulgatae lectionem gravissimis testibus nequaquam destitui. — Secundum alteram vero Codicum lectionem, versiculi 19 et 20 sic sunt legendi : *Et destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte dis-*

[1]) Hom. XIX ad h. l. : Ειτα την κατοικιαν λεγει· Και καθελων εθνη ἑπτα εν γῃ Χανααν, κατεκληρονομησεν αυτοις την γην αυτων. Και ὁ χρονος πολυς· τετρακοσια γαρ πεντεκοντα ετη. h. e. « Deinde habitationem terrae dicit : *Et deletis gentibus septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum.* Et multum intercesserat tempus, nempe quadringentorum et quinquaginta annorum. »

tribuit eis terram eorum. Et post haec, annis circiter quadringentis et quinquaginta dedit Iudices usque ad Samuelem prophetam. Quorum verborum sensus hic est : Deus post distributionem terrae promissae inter Israëlitas, Iudices illis dedit per annos quadringentos et quinquaginta usque ad Samuëlem. — Etiam hic ratio constat, si nempe anni illi, quibus Israëlitae in epocha Iudicum identidem gentibus finitimis subiecti fuerunt, coniungantur cum annis per quos Iudicum paruerunt imperio.

Quod dicitur ἑως Σαμουηλ, sic intelligendum est, ut ipse Samuel inter illos κριτας computetur. De vocula ἑως vide quae notavimus supra ad Cap. VII : 45.

21. *Et exinde postulaverunt regem*, etc.). Vox εκειθεν, quae alias Adverbium *loci* est, hic dicitur *de tempore a quo*. Sensus est : Inde a diebus Samuelis Iudicis, Israëlitae *petiverunt sibi* (ῃτησαντο) regem. Cf. 1 Reg. VIII, sqq. — Saulum, primum eorum regem, per quadraginta annos titulum regis gessisse, a Paulo hic docemur. Et tot annos regnasse Saulum, memorat quoque Flavius Iosephus (Antiqq. Lib. VI : 14) : Εβασιλευσε Σαουλ, inquit, Σαμουηλου ζωντος, ετη οκτω προς τοις δεκα· τελευτησαντος δε, δυο και εικοσι, h. e. *Regnavit Saul, Samuele vivente, annos octodecim, eoque mortuo, viginti duos*. Traditione hac de re constiterit; nam in libris sacris veteris Testamenti nullibi notatum est, quamdiu Saul regnaverit. De hoc enim non agitur I Reg. Cap. XIII : 1, ubi legimus : *Filius unius anni erat Saul cum regnare coepisset, duobus autem annis regnavit super Israël. Et elegit sibi Saul tria millia de Israël.* Scilicet hic locus ex Hebraico sic reddi potest : *Saul cum per annum unum rex esset (per duos autem annos regnavit super Israël), tum elegit sibi Saul ex Israëlitis tria millia virorum.* Et sane, ea quae in libris sacris a Saulo gesta narrantur, multo plura sunt quam ut duorum annorum spatio contingere omnia potuerint. Nec potuit ergo auctor sacer significare voluisse, annos

non nisi duos fluxisse a quo tempore Saul inunctus fuit rex usque ad eius mortem. Quonam ergo sensu Saul hic tamen dicitur duos annos regnasse? Respondet R. Iesaia (apud Simeonem de Muis in *Variis sacris*, ad 1 Sam. XIII : 1) : יש לפרש ששתי שנים עד שנמשח דוד שמשעה שנמשח דוד כאלו בטלה מלכותו ומה שמלך לאחר כן מלכותא בלא תגא היא h. e. *Explicandum est, duos annos* (regnasse Saulum) *usque ad* (diem illum) quo (*in regem*) *inunctus fuit David; nam ab ea hora qua inunctus fuit David, quasi cessaverat regnum eius* (Sauli), *et quanto tempore regnavit posthac, regnum absque corona fuit.*

22. *Et amoto illo, suscitavit illis David regem*). Sensus est : *Et cum hunc* (Saulum) a regia dignitate Deus *amovisset* (και μεταστησας), in loco eius regem illis constituit Davidem, cui etiam testimonium dedit his verbis : « Inveni Davidem, Isaï filium, *virum mihi gratum* (κατα την καρδιαν μου, i. e. *talem, qualem cor meum desiderat*), qui facturus est omnia mandata mea. » Testimonium hoc, non quidem his verbis sed *ad rem* quod attinet, exstat I Reg. XIII : 14, et Psalmo LXXXVIII : 20, 21. Notat ad hunc locum Stapletonius (in Antidotis Apostolicis in Act. Ap.) : « David, *inquit*, vir vocatur *qui faciet omnes voluntates Dei*, tametsi quaedam fecit contra voluntatem Dei, quia non de illis rarioribus peccatis, sed de continuo eius cursu ac tenore, quo in mandatis Dei ambulavit, *exquirens et custodiens legem Dei in toto corde suo* (Ps. 118), illud Dei testimonium intelligi debet. » Relativum ᾧ (in Dativo *commodi*) iungendum est cum Participio μαρτυρησας.

23—24. *Huius Deus ex semine secundum promissionem*, etc.). Transit nunc Paulus ad dicendum id, quod potissimum volebat, scilicet Iesum Nazarenum esse Messiam illum qui venturus erat. Transitio autem fit per recordationem pollicitationis illius, qua divinitus promissum fuerat fore, ut Messias mittendus stirpis esset

Davidicae. Pollicitationem hanc (την επαγγελιαν) Paulus respicit infra vs. 32.

Quae vs. 23 et 24 dicuntur, una sunt periodus, quam ex Graeco sic paulo liberius reddiderim : *Ex huius* (Davidis) *semine* (stirpe) *Deus, secundum promissionem, Israëlitis* (τῳ Ισραηλ) *salvatorem sive Messiam misit* (ηγαγε[1], *adduxit*, אֵבִיא), *nempe Iesum Nazarenum, postquam ante* (προ προσωπου, לִפְנֵי) *ingressionem* (της εισοδου αυτου) huius in muneris sui functionem, *Ioannes prius praedicasset* (Aor. προκηρυξαντος Ιωαννου) *baptismum poenitentiae* (een boetdoop) *genti Israëliticae universae*.

Quod dicitur ηγαγε τῳ Ισραηλ (Vulg. *eduxit Israël*), non est hoc referendum ad incarnationem Verbi, sed ad illud tempus, quo Iesus, postquam in Iordane baptizatus esset a Ioanne, voce delapsa e coelis, Israëlitis palam exhibitus fuit declaratusque *Filius Dei*, qualem fore Messiam Iudaei erant edocti[2]. Vid. Matth. Cap. III : 7—17; Marc. I : 6—12; Luc. III : 15—17. Itaque sermo hic est de progressu Iesu in publicum, sive de ingressione eius in muneris sui functionem. Et postulat interpretationem hanc contexta oratio; nam id quod de Iesu hic dicitur (ηγαγε τῳ Ισραηλ), accidit hoc *postquam Ioannes prius praedicasset* (προκηρυξαντος Ιωαννου), — De Ioannis illo *baptismo poenitentiae* paucis diximus ad Cap. I : 5, pluribus de re dicturi ad Matthaei Cap. III.

25. *Quum impleret*, etc.). Graece επληρου, in Imperfecto, quo actus sistitur tamquam *continuus*. Itaque sensus est : Cum autem (*toen nu*) Ioannes conficeret *cursum suum* (τον δρομον), (i. e. obiret suum Praecursoris munus), dicebat : Me, quemnam me

---

[1]) Var. lect. Pro ηγειρε est ηγαγε in Codd. ABE, variisque Minusculis; eamque lectionem referunt etiam Vulgata aliaeque versiones antiquae.

[2]) *Confer* Dissertationem Theologicam, qua sententiam vulgo receptam, esse Sacrae Scripturae multiplicem interdum sensum litteralem, nullo fundamento satis firmo niti demonstrare conatur Ioh. Th. Beelen. Lovanii 1845. P. 71, sqq.

esse putatis? Non ego sum Messias, sed, ecce, venturus est post me (h. e. post me in publicum prodibit munere functurus suo), tantoque ille me dignitate praestantior est, ut dignus ego non sim, qui vel soleas solvam a pedibus eius (h. e. vel infimum ministerium illi praestem). — Quae Paulus hic a Baptista de Iesu dicta esse refert, ea et ab Evangelistis scripto consignata sunt. Vid. Matth. III : 11; Marc. I : 7; Luc. III : 15, 16; Ioan. I : 27.

Cum non scribatur ὃν με ὑπονοειτε ειναι, sed τινα με ὑπονοειτε ειναι, sententia, quae hic effertur, interrogative sumenda est. Atque hoc fortasse sibi voluit etiam Interpres noster cum scriberet : *quem me arbitramini esse*. Editores tamen Vulgatae, colon ponendo post vocem *esse*, verba illa pro sententia *relativa* habuere. Si τινα hic pro ὅντινα positum foret, quod non sine exemplo est, nihil praeterea obstaret, quominus ea verba pro sententia relativa haberentur.

Non sum ego). Ita et Graece ουκ ειμι εγω, quae Belgice reddideris : *Ik ben het niet* (je ne le suis pas), scil. ***Messias***, ut plene scribitur in Evangelio S. Ioannis Cap. I : 20 : ουκ ειμι εγω ὁ Χριστος (*de Messias*); quamquam vox *Messias* in simili oratione fere abest, ut quae facile mente supplebatur. Cf. Marc. XIII : 6; Luc. XXI : 8; Joan. XIII : 19. Videsis etiam quae diximus de illa formula in Dissertatione (pagina 53 et sq.), quam modo citavimus.

26. *Viri fratres, filii generis Abraham*, etc.). Ex teneriore animi sensu et ardenti amore (Rom. IX : 3) populares suos Paulus alloquitur, adhortans ut oblatam divinitus salutem recipiant, Iesum Nazarenum pro Messia promisso agnoscendo, illiusque doctrinae et praeceptis sese submittendo. Cf. vs. 39. Non solum autem ad populares suos Israëlitas (υἱοι γενους Αβρααμ) verba dirigit, sed et ad *proselytas* : και οἱ εν ὑμιν φοβουμενοι τον Θεον. Confer hic quae notavimus supra ad vs. 16.

Vobis verbum salutis huius missum est). Demonstrativum ***huius***

(της σωτηριας ταυτης) demonstrat *salutem illam*, quam modo (vs. 23) indicaverat Apostolus, quum diceret: Deus ex stirpe Davidis, praestando quod promiserat, Israëlitis misit *Salvatorem* (σωτηρα). — Praesentis loci locus parallelus est Cap. X : 36—38, ubi legimus : τον λογον, όν απεστειλε (Deus) τοις υἱοις Ισραηλ, ευαγγελιζομενος ειρηνην δια Ιησου Χριστου. Itaque sensus est : Vobis, Abrahamidae! a Deo *missum est* (απεσταλη) praedicandum verbum (ὁ λογος *het woord*) *de salute illa* (της σωτηριας ταυτης, Genitivus *obiecti*) per Iesum obtinenda. Emphasis autem est in voce ὑμιν, quare et in principio sententiae posita est. Scilicet Abrahamidis facta fuerat *promissio* de mittendo Salvatore sive Messia; hos ergo spectabat promissionis adimpletio. Cf. Rom. IX : 4, 5; XV : 8, et ea quae notavimus ad Cap. II : 17, et III : 20.

27. *Qui enim* (γαρ) *habitabant Ierusalem et principes eius,* etc.). Vocula γαρ est hic Particula *inchoantis narrationem*, valetque Nostratium *dan*. Cf. Hoogeveenium ad hanc Particulam, § VIII. Graece : οἱ κατοικουντες Ἱερουσαλημ και οἱ αρχοντες αυτων, i. e. *incolae* urbis Hiërosolymae (de inwoners van Jerusalem), *eorumque principes* (hunne Oversten). Αρχοντες intelliguntur membra Synedrii Hiërosolymitani. Ad reliqua huius commatis verba quod attinet, nota, Participium αγνοησαντες exprimere actum quem *excepit* actus ille qui exprimitur per Participium κρινναντες. Accusativus τας φωνας... αναγινωσκομενας non est casus Participii αγνοησαντες, sed Verbi Finiti επληρωσαν. Coniunctio και iungit Participium αγνοησαντες cum Verbo Finito επληρωσάν, quasi scriptum esset : ηγνοησαν κάι επληρωσαν. Apud Thucydidem (IV : 100) hoc modo legitur : αλλῳ τε τροπῳ πειραζοντες και μηχανην προσηγαγον. De qua Syntaxi vide Kühnerum § 727. Anmerk. 4.

hunc ignorantes). Gr. τουτον αγνοησαντες, *hunc*, quem praecursor eius Ioannes annunciaverat (vs. 25) et digito monstraverat (Ioan. I : 15; 19—28), *hunc*, inquit, *ignorarunt*. Et dicendo *igno-*

rarunt, crimen illorum nonnihil extenuat, ut supra (Cap. III : 17) fecerat etiam Petrus. Confer dicta ad Cap. III : 17.

et... iudicantes impleverunt). Sensus est : *et mortis illum* (supple αυτον ex antegresso τουτον) *damnando* (κρινάντες Aor.), *voces Prophetarum* (i. e. vaticinia de Messia passuro. Cf. Cap. III : 18), *quae singulis Sabbatis* (scil. in synagogis. Vid. supra ad vs. 15) *praeleguntur, impleverunt;* h. e. *sua* erga Iesum agendi ratione vaticiniis illis eventum attulerunt; ea quae praedicta de eo erant, sic fuêre eventu comprobata. — Κρινειν de *damnando* hic dicitur, et elliptica locutio est pro plena : κρινειν θανατου, ut est apud Aelianum V. H. XIII, Cap. 42 : Εκριναν με θανατου. Nempe mortis Iesum damnarunt tam *principes* (οἱ αρχοντες) quam *incolae* Hierosolymae (οἱ κατοικουντες Ιερουσαλημ) : et illi quidem quando in Synedrio conclamarunt : *Reus est mortis* (Matth. XXVI : 66; Marc. XIV : 64); hi vero quando coram Pilato vociferati sunt : *Tolle, crucifige eum* (Matth. XXVII : 23; Ioan. XIX : 15). Cf. dicta ad Cap. III : 18.

28. *Et nullam causam mortis invenientes in eo*, etc.). Graece est Particip. Aor. και... εὑροντες, quod ob contextam orationem (ῃτησαντο κ. τ. λ.) in Verbum Finitum sic resolveris : et quamquam nullam in eo invenissent causam cur esset occidendus, tamen petiverunt a Pilato, ut ipsius opera *sustolleretur* (αναιρεθηναι αυτον), i. e. interficeretur.

29. *Cumque consummassent*, etc.). *i. e.* Cumque sua erga Iesum agendi ratione *eventum dedissent* (ετελεσαν) scriptis de Messia passuro oraculis omnibus (ἁπαντα τα περι αυτου γεγραμμενα), etc. — Subiectum verborum huius commatis idem est ac duorum antecedentium; nec obstat quod ii, qui Iesum *de cruce detraxerunt* (καθελοντες απο του ξυλου) atque *in monumentum posuerunt* (εθηκαν εις μνημειον) sive sepeliverunt, viri erant pii atque a po-

pularium suorum crimine alienissimi. Scilicet eorum qui Iesum sepulturae tradiderunt unus, Nicodemus, inquam, erat ex numero αρχοντων (vs. 27) sive principum Iudaeorum, alter vero, Ioseph ab Arimathaea, ex Hiërosolymae incolis erat. Cf. Ioan. III : 1; XIX : 38, 39.

Scandalum crucis (1 Cor. Cap. I : 23), quod auditores suos avertere posset a suscipienda fide Christiana, Paulus ita removit, ut illud unà verterit in argumentum ad probandum, Iesum Nazarenum esse promissum Messiam. Pergit Apostolus praedicando Iesum a mortuis redivivum; quo miraculo Deus testatus fuerat, Iesum vere eum esse, quem se esse dixerat, id est, Messiam Israëlitis a Deo promissum. Cf. dicta ad Cap. I : 8, et III : 13.

30—31. *Deus vero suscitavit eum a mortuis tertia die*[1], etc.). Deum hic intelligimus sanctissimam Trinitatem, secundum doctrinam supra (ad Cap. X : 38) traditam. *Qui visus est*, etc. Iesum a mortuis resurrexisse Paulus probat, adductis testibus adhuc superstitibus, qui eum redivivum conspexerant. Post resurrectionem suam, inquit, per dies quadraginta (Vide dicta ad Cap. I : 3) pluries visus fuit ab iis (ωφθη τοις pro ὑπο των, ut Cap. II : 3), qui ipsum a Galilaea (Matth. XX : 17; Marc. X : 32) Hiërosolymam, ut moreretur, proficiscentem comitati fuerant, quique (Apostolos intelligit) apud populares nostros (προς τον λαον), in Iudaea et Galilaea habitantes, ipsius sunt praecones. — Praeconium sive testimonium quasnam res complecteretur, supra Cap. X : 37—44 summatim describitur. — Επι cum Accusativo *de tempore*, ut infra Cap. XIX : 10, et Luc. IV : 25. Cf. Gr. pag. 440. β.

32—33. *Et nos vobis annuntiamus*, etc.). Nexus orationis mihi videtur esse hic : *Illi* in Iudaea et Galilaea popularibus nostris

[1]) VAR. LECT. In Vulgata hic additur *tertia die*; quae verba in nullo Graeco Codice leguntur. Pro Latino aliquo glossemata illa habeo.

Messiam praedicant, *et nos pariter vobis* (και ἡμεις ὑμας) extra Iudaeam et Galilaeam degentibus annuntiamus factam maioribus nostris promissionem de Messia ex semine Davidis mittendo, *quod* nempe *hanc* promissionem *Deus* (ὁτι ταυτην ὁ Θεος) *posteris eorum* (τοις τεκνοις αυτων, in Dativo *Commodi*), nobis, inquam (ἡμιν[1]) ratam fecit sive *adimplevit* (εκπεπληρωκε), *Iesum* Israëlitis *mittendo* (αναστησας Ιησουν). — Quod hic dicit Apostolus αναστησας Ιησουν, sumendum hoc videtur non de *revocando in vitam*, sed de *mittendo, hominibus exhibendo, manifestando*, ut supra Cap. III : 22, 26.

sicut et in Psalmo secundo scriptum est : Filius meus es tu, ego hodie genui te). Iesum Nazarenum eum esse, quem se, quum inter homines versaretur, praedicabat, nempe promissum Messiam, ex testimonio Baptistae de Iesu (24—25), et ex eius a mortuis resurrectione (30—31) Paulus haetenus probaverat. Nunc vero, in confirmationem suae theseos, adducit Prophetarum oracula, ad ostendendum, in Iesum Nazarenum quadrare, quae de Messia venturo fuerant praedicta. Et duo quidem allegat oracula : unum de Messia palam mundo exhibendo, alterum de eodem a morte ad vitam revocando.

Iesus dici potest tunc tamquam Messias missus palamque *hominibus exhibitus* fuisse, quando in Iordane a Ioanne baptizatus, (Matth. III) voce delapsa e coelo divinitus declaratus fuit *filius Dei*. Putem autem, *exhibitionem* sive *missionem* hanc praedictam fuisse verbis Psalmi a Paulo hic citatis : *Dominus dixit ad me* : *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Itaque verba haec Paulus recitaverit, ut probaret, in Iesu Nazareno suum habuisse complementum[2] id, quod de Messia fuerat praedictum. Exhibendus mundo

---

[1]) Var. lect. Pro αυτων ἡμιν legitur ἡμων in Codd. ABC* D, quam lectionem etiam Vulgata nostra exhibet.

[2]) S. Iustinus (Dial. cum Tryphone, p. 486, in edit. Mon. Cong. S. Mauri : Το πνευμα το ἁγιον, inquit, δια τους ανθρωπους... εν ειδει περιστερας επεπτη αυτῳ, και φωνη εκ

Messias divinitus annunciandus erat tamquam *Filius Dei;* atqui Iesus Nazarenus tamquam talis mundo fuerat exhibitus. Vid. Matth. III. — Credibile autem est, ob publicam rei famam, Iudaeos, ad quos sermonem habebat Paulus, non latuisse ea quae circa Iesum gesta fuerant ad ripas Iordanis.

De hoc Actorum loco prolixe egimus in Dissertatione supra (pag. 342) citata; ibique (pag. 61—78) variis argumentis firmare conati sumus nostram perdifficilis huius loci interpretationem.

34—35. *Quod autem suscitavit eum a mortuis,* etc.). Pergit iam Apostolus ex Prophetarum scriptis docere, venturum Messiam a morte ad vitam fuisse revocandum, idque ita ut non denuo esset moriturus. Quod oraculum deinde ostendit eventum suum habuisse in persona Iesu Nazareni (34—38). Sensus est : *Quod autem* (δε[1]) *Deus erat suscitaturus* (ανεστησεν) *Messiam a mortuis posthac non rediturum in mortem* (εις διαφθοραν), *olim per Isaiam prophetam ita dixit : Conferam vobis beneficia, Davidi olim promissa, beneficia perpetuo stabilia quaeque in aeternum sunt duratura. Ideo,* nempe ad idem declarandum, *Deus etiam in alio* (και εν ετερῳ) *Psalmo per os Davidis, in Messiae persona loquentis, dicit : Non permittes, ut Sanctus tuus videat corruptionem.* —

Ex verbis Psalmi hic citatis liquet, Messiam *ne semel quidem* experturum iri corporis sui putrefactionem. Ergo in verbis μηκετι

των ουρανων ἁμα εληλυθει, ἡτις και δια Δαβιδ λεγομενη, ὡς απο προσωπου αυτου λεγοντος ὁπερ αυτῳ απο του πατρος εμελλε λεγεσθαι· υἱος μου ει συ· εγω σημερον γεγεννηκα σε· τοτε γενεσιν αυτου λεγων γενεσθαι τοις ανθρωποις, εξοτου ἡ γνωσις αυτου εμελλε γενεσθαι. *h. e.* « Spiritus Sanctus propter homines in specie columbae in eum involavit, ac vox a coelo venit, quae per Davidem dicta fuerat tamquam ex Christi persona proferentem quod ei Pater erat dicturus : *Filius meus es tu, ego hodie genui te;* tum demum eum nasci hominibus et oriri asserens, cum eis innotesceret. »

[1]) Particula δε hic novum quid inducit valetque tantumdem ac και. De qua Particulae δε notione vide Gr. pag. 467. ζ, et Hermannum ad Vig. Pag. 845.

μελλοντα ὑποστρεφειν αυτον εις διαφθοραν, locutio εις διαφθοραν ὑποστρεφειν eo sensu sumenda est, ut simpliciter valeat *ire in mortem*. — Ὑποστρεφειν hic significat intransitive, ut supra VIII : 28, et saepe alibi. — Ὁτι (ὁτι δωσω) est hic Particula *recitativa*, ut supra Cap. III : 22.

Oraculum hoc : δωσω ὑμιν τα ὁσια Δαβιδ τα πιστα (Vulg. *dabo vobis sancta David fidelia*) sumtum est ex Isaiae Cap. LV : 3. — Pro ὁσια Δαβιδ τα πιστα, ut et in Septuaginta virali versione ibi legitur, Hebraice est חַסְדֵי דָוִד הַנֶּאֱמָנִים, h. e. *gratias* (beneficia) *Davidis* (Genitivus *Obiecti*), i. e. Davidi promissas de eius filio Messia huiusque regno perpetuo[1], *firmas*, constantes semperque duraturas. — Atqui non fuissent *gratiae illae firmae* constantesque, nisi Messias statim a morte surrexisset immortalis. Ergo hoc oraculo implicite continebatur praedictio de Messia mox a morte (Isai. Cap. 53) revocando ad vitam perennem. Atque ita patet, quam recte illud oraculum ad propositum Pauli faciat. Nec minus eò valet alterum, quod ad idem docendum affert oraculum : *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Cuius oraculi verba interpretati iam sumus supra ad Cap. II : 27.

Quod in Septuaginta-virali versione et hinc apud Lucam legitur τα ὁσια Δαβιδ (*sancta Davidis*), id non verbotenus respondet Hebraico חַסְדֵי דָוִד, sed horum verborum sensum refert. « Τα ὁσια, ait Tittmann (*De Synonymis in Novo Testamento*, p. 25, sq.) sunt vel quae fas est facere, vel quae non facere nefas est pietatis officia. Sed singulari sensu occurrit Act. XIII : 34, ὁτι δωσω ὑμιν τα ὁσια Δαβιδ τα πιστα. Plerique interpretes recurrunt ad Hebraicum חָסִיד, quod cum ab Alexandrinis aliquoties reddatur

[1]) Psalm. 88, vs. 36—38 : *Semel iuravi in sancto meo, si David mentiar : semen eius in aeternum manebit. Et thronus eius sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in aeternum : et testis in coelo fidelis.* Ibid. vs. 4, 5 : *Iuravi David servo meo : usque in aeternum praeparabo* (stabiliam) *semen tuum. Et aedificabo in generationem sedem tuam* (thronum tuum). Cf. hic etiam ea, quae leguntur 2 Reg. Cap. VII.

ὁσιος, in hoc loco τα ὁσια Δαβιδ nihil aliud sunt quam foedus factum cum Davide (cf. Ps. LXXXVIII : 4). Docent hoc ipsa verba Isaiae (ex versione LXX) : και διαθησομαι ὑμιν διαθηκην αιωνιον, τα ὁσια Δαβιδ τα πιστα. Posterioribus verbis explicatur de quonam foedere sermo sit. Τα ὁσια πιστα idem sunt quod ὁρκια πιστα apud Homerum.

36—37. *David enim in sua generatione*, etc.). Probat (γαρ) iam Apostolus, superiora duo oracula (vs. 34, 35) ad Davidem referri non posse; eventum autem suum habuisse in persona Iesu Nazareni. Sensus est : De Davide oracula haec intelligi nequeunt; David enim postquam in regimine popularium suorum coaetaneorum (ἰδιᾳ γενεᾳ in Dativo *commodi*) subserviisset Dei consiliis (ὑπηρετησας τῃ του Θεου βουλῃ), obdormivit, et appositus est ad patres suos (id est : mortuus est), et passus est putrefactionem (ειδε διαφθοραν). At vero is (ὁν δε), quem Deus excitavit (ηγειρεν, הֵקִים, *ad Israëlitas misit*, vs. 23), Iesus Nazarenus, inquam, hic non est passus putrefactionem (ουκ ειδε διαφθοραν), quippe qui statim a morte ad vitam est revocatus (vs. 30); hic ergo est ille *Sanctus Dei* (supra vs. 35 : τον ὁσιον σου) sive promissus Messias.

38—39. *Notum igitur sit vobis*, etc.). Incipit hic antegressae concionis peroratio (ουν), qua populares suos Apostolus adhortatur, ut quandoquidem Iesus Nazarenus promissus esset Messias, huic, et doctrinae eius credendo, et praeceptis eius obediendo, se submittant, hac lege adepturi per ipsum remissionem peccatorum veramque iustificationem. Sensus est : Notum sit itaque vobis, fratres, *quod per hunc* (ὁτι δια τουτου) Iesum, i. e. per huius merita, vobis nostro ministerio annuntiatur oblinenda remissio peccatorum, et quod (*sequens sententia pendet a praecedente* ὁτι) ab omnibus (απο παντων in Neutro genere : *van alles;* de tout ce)

a quibus[1] (waarvan, dont) non poteratis (ηδυνηθητε Aor.) iustificari per legem Mosaicam, ab his per hunc iustificatur quicumque illi credit.

Voces εν τουτῳ iungendae non sunt cum ὁ πιστευων sed cum δικαιουται, ut patet ex antithesi : εν τῳ νομῳ δικαιωθηναι. Illud autem εν τῳ νομῳ, ad sensum quod attinet, valet quidem *per Legem*, sed verbotenus est *in Lege;* hoc vero eo sensu sumendum est, quasi dictum esset : non poteratis iustificari *in unione cum Lege* qua tali. Et sic mox εν τουτῳ, scil. Ιησου, verbotenus est *in hoc*, quod pariter sumendum est, quasi diceretur *in unione cum Iesu, Iesu Christo inserti*. Sed cum nullius prorsus peccati vera remissio fieri posset per instituta legis Mosaicae, conficitur, illud απο παντων ὡν (*ab omnibus a quibus*) non eo sensu dici, quasi *quaedam* tamen essent peccata, quae per illa instituta potuissent vere deleri. Quid ergo? *Duo* hic in *unam* sententiam *coniuncta* dicuntur; unum : per Iesum iustificari quis potest ab omni peccato; alterum : in nullo peccato id praestari poterat per legem Mosaicam. — Interpres noster voces απο παντων ὡν reddidit *ab omnibus, quibus*, non advertens, απο παντων ὡν dictum esse pro απο παντων, αφ' ὡν. Graeci scilicet sicubi posita est Praepositio ante Substantivum, hanc saepe omittunt ante sequens Relativum. Varia huius rei exempla videsis apud Kühnerum § 625. 3. — Denique notandum est *praegnanter* dici δικαιουται απο, quasi pro δικαιουται ελευθερωθεις απο. Cf. Rom. VI : 18.

« Nulla veterum ceremoniarum exercitia, nulla sacrificia ad peccatorum expiationem valebant, sed erant tantum *iustitiae carnis;* fides autem veterum in Christum venturum, quam illis sacrificiis et ceremoniis profitebantur, ad remissionem peccatorum valebat; quae etiam fides contritione et poenitentia non carebat... Veteribus illis iustis sola mors Christi perpetuum erat et quoti-

[1]) Graece ὡν pro αφ' ὡν. Vide Gr. pag. 448. *Adnot.* 2.

dianum delendis peccatis piaculum, sed interveniente fide in Messiam venturum, quam illis sacrificiis protestabantur, et exercebant non sine contritione et satisfactione. Dato enim de pecoribus suis *sacrificio pro peccato* iuxta Legis praescriptum, tum peccatum suum aliquo modo confitebantur, tum de eo se poenitere illa data oblatione profitebantur, quando cum peccati manente affectu et in peccato persistendi proposito illa fidei suae professio, et legis obedientia et externa ceremonia, ad remissionem peccatorum consequendam inane et ludicrum fuisset exercitium. » Haec Stapletonius in *Antidotis Apostolicis* ad Act. XIII : 38.

40—41. *Videte ergo ne superveniat vobis*, etc.). Orationem suam claudit Apostolus, incredulis et Iesum Messiam repudiantibus minatus poenas tales, quales olim a Chaldaeis passi fuerant Israëlitae. Sensus est : Cum haec ita sint, ut dixi, *cavete ergo* (βλεπετε ουν), ne vobis propter incredulitatem vestram *superveniat* poena, qualem Deus olim per ministerium Prophetae Habacuc (Cap. I : 5) maioribus vestris hisce verbis minatus est, quamque deinde etiam inflixit : Videte, o contemtores, inquiebat, et *evanescite* (αφανισθητε) prae stupore : nam (*vindictae*) opus ego operaturus sum in diebus vestris (*vestra aetate*), quod nequaquam crederetis, si quis vobis illud narraret (adeo grave, ut omnium opinionem et fidem excedat) : Ecce ego suscitabo Chaldaeos, etc.

Oraculum hoc Iudaeis notissimum fuerit; quare suffecerit Apostolo eiusdem prima tantum citasse verba. Sermo autem ibi est, ut iam innuimus, de calamitate Israëlitis a Chaldaeis inferenda, et deinceps reapse illata. Similem autem calamitatem incredula gens Iudaica passa est a Romanis.

Quod dicitur εν τοις Προφηταις, cum tamen unius tantum Habacuci vaticinium citetur, id ita intelligendum est, quasi scriptum esset : in illa sacrorum librorum parte quae inscribitur : *Prophetae*. Cf. Ioan. VI : 45, et Luc. XXIV : 44. Integra Scriptura

Sacra veteris Testamenti antiquitus dividebatur in partes tres, quae erant תּוֹרָה *Lex*, נְבִיאִים *Prophetae*, et כְּתוּבִים *hagiographa*. De qua divisione accuratius dicendi non est hic locus. — In locutione οἱ καταφρονηται pro Vocativo est Nominativus cum Articulo. De quo Nominativi usu vide Gr. pag. 182. 1. — Quemadmodum hic in praesenti Actorum loco, ita etiam in Septuaginta-virali versione legitur οἱ καταφρονηται, pro qua voce Hebraice, in Codicibus qui supersunt, legitur בגוים, h. e. *inter gentes*. Videntur ergo Septuaginta pro בגוים legisse בגדים (Partic. ag. Kal. a בגד), quod Graece valet καταφρονηται. Idque eo facilius crediderim, quòd paululum infra (vs. 13 eiusdem capitis) Hebraica לָמָּה תַבִּיט בּוֹגְדִים reddiderunt per ἱνα τι επιβλεπεις επι καταφρονουντας. Etiam Syrus interpres vs. 5 non legit בגוים, sed pariter בגדים legisse videtur, quum vertat ܡܫܝܛܢܐ h. e. *arrogantes*, *protervi*. Lectioni בגדים apprime favet contexta vaticinii oratio; contra si בגוים ibi legeris, dubito, an perspicuo aliquo modo poteris eam vocem interpretari.

42. *Exeuntibus autem illis*, etc.). Cum Paulus et Barnabas e Synagoga exirent, rogabant eos Iudaei ibi praesentes, ut *sibi* (αυτοις) *insequente sabbato eadem* (τα αυτα) *doctrina* (ρηματα) *exponeretur* (λαληθηναι). Εις το μεταξυ σαββατον, zij verzochten *voor den volgenden Sabbathdag*.

Sermonem hic esse non de *medio tempore inter duo sabbata*, sed de *insequente sabbato*, ex serie narrationis (vs. 44) satis certo colligitur. Dicendum itaque est, το μεταξυ hic valere *posterum*, adeoque vocem μεταξυ hoc loco habere notionem vocis ἑξης sive μετεπειτα, *post*, quod nounumquam fieri, exempla probant a Lud. Capello (in Critic. Sacr. ad h. l.) et Kuinoelio (ad h. l.) allata. Sic, verbi gratia, Flavius Iosephus (de B. I. Lib. V, Cap. IV : 2) scripsit : Δαβιδ τε και Σολομωντος, ετι δε των μεταξυ τουτων βασιλεων, h. e. *Davidis et Salomonis, et eorum qui hos reges secuti sunt*. Sane nulli intercesserunt inter Davidem et Salomouem reges,

sed multi eos secuti sunt; itaque planum est, isthic μεταξυ significare non *inter* sed *postea*. Ceterum observandum est, Adverbium, quod ibi inter Articulum et Nomen positum est, Adiectivi locum tenere; fitque hoc frequenter, v. g. 2 Cor. IV : 16, et 2 Petri I : 9.

43. *Cumque dimissa esset synagoga,* etc.). Graeca : λυθεισης δε της συναγωγης, pressius reddi possent : *soluta autem congregatione.* Sensus est : dimisso coetu, multi partim *Iudaei nati* (των Ιουδαιων), partim *proselyti* (των σεβομενων προσηλυτων. Vid. supra ad vs. 16) secuti sunt Paulum et Barnabam in suum hospitium redeuntes; qui (οἵτινες scil. Paulus et Barnabas), cum his colloquentes, ipsis suadebant, ut *in gratia Dei permanerent* (επιμενειν τη χαριτι του Θεου).— Doctrina Evangelica, per Metonymiam quamdam, in Scripturis nonnumquam vocatur *gratia Dei* (ἡ χαρις του Θεου), ut 1 Pet. V : 12; Act. XIV : 3. Et putem, etiam historiographum nostrum hoc loco uti voluisse denominatione *gratiae Dei* (της χαριτος του Θεου) ad eamdem rem significandam. Itaque crediderim, Iudaeos illos et proselytos fuisse tales, qui ad praedicationem Pauli, divina auxiliante gratia, fidem Christianam amplexi, quo plenius edocerentur, Apostolos convenerint; qui illos tum fuerint adhortati, ut *in fide Christiana* (τῃ χαριτι του Θεου) profitenda constanter *perseverarent* (επιμενειν, ut Rom. XI : 23; Coloss. I : 23). Non tamen statim catechumenos illos baptizasse videntur Apostoli : postea id fecerint; aut certe facere potuerunt, quum per aliquod temporis spatium ibi sint commorati. Δια τι, ait S. Chrysostomus (Hom. XXX in Act.), αυτους ουκ εβαπτισεν ευθεως; Ουκ ην καιρος· πεισαι εδει ὡστε βεβαιως εμμενειν. h. e. *Cur illos non statim baptizavit? Non erat tempus; persuadere oportebat, ut firmi manerent.*

45. *Sequenti vero sabbato,* etc.). Sensus eòdem redit, sive hic legas τῳ ερχομενῳ[1], sive τῳ εχομενῳ. Nam verba ερχεσθαι et εχεσθαι

---

[1]) Var. lect. Pro ερχομενῳ legitur εχομενῳ in Codd. ACE* variisque Minusculis.

in hac re promiscue adhibentur. Exempla dant Kuinoelius et Wetstenius (ad h. l.). — Brevi per urbem percrebuerat, doctores externos, Paulum et Barnabam, qui nuper eò advenissent, illo sabbato verba facturos ad populum. Itaque eo die non Iudaei tantum et proselyti, verum etiam Gentiles magno numero convenerant (σχεδον πασα ἡ πολις), audituri *verbum Dei.* — Ex *sua* mente Historiographus noster doctrinam quam Apostoli praedicaturi essent, *verbum Dei*, τον λογον του Θεου vocat. Confer dicta ad vs. 7.

45. *Videntes autem turbas Iudaei, repleti sunt zelo*, etc.). Iudaei vulgò erant in falsa illa opinione, ut crederent, promissum Messiam ad Gentiles minime pertinere, venturum verò esse solis Iudaeis. Illi ergo *cum viderent* (ιδοντες) hominum, maximam partem Gentilium (σχεδον πασα ἡ πολις. vs. 44), congregatam multitudinem (τους οχλους), cui Paulus annunciabat salutem per Iesum Messiam obtinendam, *vehementer indignati sunt* (επλησθησαν ζηλου), et *contradicebant* his quae dicebantur a Paulo, tamquam falsò dicta ea traducentes, *additis etiam conviciis* (αντιλεγοντες και[1] βλασφημουντες).

46. *Tunc constanter dixerunt*, etc.). Sensus est : *libere autem* (παρρησιασαμενοι δε, vid. supra ad Cap. IX : 27) Paulus et Barnabas, istorum ira nihil territi, dixerunt : Vobis omnium primis debebamus ex Domini praecepto (Luc. XXIV : 47) praedicare Evangelium; atque huic mandato obtemperavimus (supra vs. 14), eramusque hodie parati officium illud ulterius persequi; quoniam vero verbum Dei repudiatis, et vestro facto hoc ipsi de vobis iudicium fertis, indignos vos esse aeterna vita per Iesum obtinenda, ecce, vobis relictis, ad Gentiles nos convertimus!

---

[1]) Var. lect. Voces αντιλεγοντες και non leguntur in Codd. ABC, ut nec in variis Minusculis.

47. *Sic enim praecepit*, etc.). Nec privata, inquiunt, auctoritate iam Gentibus praedicatum ibimus Evangelium; *nam* (γαρ) *dedit nobis Deus mandatum hoc* (οὑτω γαρ εντεταλται ἡμιν ὁ Κυριος) : *Posui te in lucem Gentium, ut sis*, etc. — Effatum hoc legitur in Isaiae vaticinio (Cap. XLIX : 6). Iehova ibi inducitur ad Messiam loquens in hanc sententiam : *Constitui te illuminatorem gentium, ut salutem afferas universis orbis terrarum nationibus*. Apostoli ergo id quod ad Messiam dictum fuerat, ad se transferunt. Et recte quidem; nam hoc vaticinium impleri debebat per Messiae legatos sive Apostolos, quibus adeo per ipsum hoc vaticinium *implicite* praeceptum fuerat, ut Iesum Messiam Gentibus praedicarent. — Εντεταλται (ab εντελλομαι) est Perfectum Passivum cum notione Media, ut supra vs. 2 προσκεκλημαι. — Του ειναι σε ut supra IX : 15.

48. *Audientes autem gentes*, etc.). *Cum autem* Gentiles *audirent* (ακουοντα, Particip. Imperf.) Apostolos haec (vs. 46, 47) dicentes, gavisi sunt de suo bono, *et glorificabant* (εδοξαζον, Imp.) *verbum Domini*; non, ut Iudaei illi, conviciis doctrinam Evangelicam incessebant; sed contra honorifice de illa loquebantur, laudibus eamdem extollentes.

et crediderunt quotquot erant praeordinati ad vitam aeternam). Sensus horum verborum est : Fidem Christianam amplexi sunt quotquot erant a Deo praeordinati sive praedestinati *ad vitam aeternam*[1]. — Est autem *vita aeterna* hic intelligenda ut in antegresso (vs. 46) effato : *quoniam indignos vos iudicatis aeternae vitae*; postulat hoc contexta Historiographi oratio. Atqui ibi (ut et Ioan. XVII : 3) *vita aeterna* per Metonymiam dicitur de fide

---

[1]) S. Chrys. Hom. XXX in Act. Τεταγμενοι δε ειπεν, ἱνα δειξῃ ὡς ου κατ' αναγκην. Οὓς γαρ προεγνω, φησι, και προωρισεν. h. e. « *Praeordinati* dicit, ut ostendat id non per necessitatem fieri. *Quos enim praescivit*, inquit, *et praedestinavit*. »

salvifica, qua nempe *pervenitur ad vitam aeternam.* Itaque non hic agitur de praedestinatione, ut vocant, *ad gloriam*, sed de praedestinatione *ad fidem et gratiam iustificantem.* Hanc vero praedestinationem Lucas hic cogitasse videtur ut pendentem a libero credendi actu hominis ad fidem amplectendam a Deo excitati, illuminati, et adiuti. Atque hanc esse eius mentem, id quidem colligo ex illa antithesi, qua Iudaeis *contradicentibus et blasphemantibus* (vs. 45) et Evangelicam doctrinam repudiantibus (vs. 46) opponuntur Gentiles, qui *verbum Dei glorificabant* (vs. 48) *neque, ut isti, indignos se iudicabant vita aeterna.* Senserit ergo Lucas, Deum Gentiles hos ab aeterno praeordinasse ad fidem Evangelicam, quia ab aeterno praesciverat futurum ut, adiuti divinae gratiae auxilio, fidem libere amplecterentur.

49. ***Disseminabatur autem***, etc.). Notat hic sacer historiographus, doctrinam Evangelicam per universum Antiochiae Pisidiae territorium (δι' ὅλης τῆς χωρας) *fuisse dispersam.* Quod eo sensu intelligimus ac si dixisset, Religionem Christianam per universam illam regionem passim *fuisse receptam;* haud dubie ad Pauli et Barnabae praedicationem. Videntur autem novelli illi Christiani maximam partem Gentiles fuisse; nam Apostoli, missis huius regionis Iudaeis (vs. 46), deinceps Gentilibus ibi Evangelium praedicarunt.

50. ***Iudaei autem concitaverunt mulieres religiosas et honestas***, etc.). Graece : τας σεβομενας γυναικας και τας ευσχημονας. Haec si demtà voculà και legamus[1], sermo hic erit de *una* tantum mulierem classe, eruntque eaedem *αἱ σεβομεναι* quae *αἱ ευσχημονες.* Sunt autem *αἱ σεβομεναι*, ut supra vs. 16 et 43, *proselytae;* erantque hae proselytae mulieres non *vulgares,* sed *ευσχημονες* (ut infra

---

[1]) Var. lect. Vocula και non legitur in Codd. ABCD variisque Minusculis.

Cap. XVII : 12) h. e. *matronae* inter Antiochenas *primariae*. Vid. Gr. pag. 17. (*voorname*, *aanzienlijke proselytinnen*). Sensus est : Iudaei autem Antiocheni cum eam Christianae religionis propagationem aegre ferrent, in Apostolos *instigarunt* (παρωτρυναν) *proselytas* Antiochiae *primarias* (τας σεβομενας γυναικας τας ευσχημονας), et (harum operâ) *viros eius civitatis primarios* (και τους πρωτους πολεως), puta gentiles magistratus; ac per hos excitarunt (Iudaei) persecutionem in Paulum et Barnabam, eosque e finibus sui territorii (vs. 49) expulerunt. — Persecutionem hanc Apostolus uno verbo memorat in 2 ad Timoth. Cap. III : 11.

51. *At illi, excusso pulvere pedum in eos*, etc.). Apostolis suis Iesus dixerat (Matth. X : 14; Luc. IX : 5) : *Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos* (εις μαρτυριον επ' αυτους). Paulum et Barnabam ex Antiocheno territorio egredientes hoc fecisse, Lucas hic commemorat. Erat autem haec pulveris excussio actio quaedam symbolica, qua quis significabat, se nihil amplius commercii habere velle cum alio, eumque detestari. — Επι αυτους tantumdem hic valet quod εις μαρτυριον επ' αυτους, vel εις μαρτυριον αυτοις, ut in locis parallelis Marc. VI : 11 et Luc. IX : 5 legitur. Genitivus των ποδων non pendet a τον κονιορτον sed ab εκτιναξαμενοι. Cum pulverem a suis pedibus excussissent *adversus illos* (επ' αυτους, q. d. detestationem suam illis declarandi causa), inde profecti sunt Iconium. Iconium antea provinciae Phrygiae urbs (Xenoph. Anab. I : 2. 19), tunc temporis Lycaoniae Metropolis erat. Cf. Wineri *Biblisches Realwörterbuch*, ad h. v.

52. *Discipuli quoque*, etc.). Graece est : οι δε μαθηται i. e. *discipuli autem*. Et sensus est : Apostoli quidem ita ab incredulis Antiochensibus a finibus suis expulsi sunt; novelli *autem* (δε)

Christiani inter Antiochenses (οἱ δὲ μαθηταὶ), minime ideo deiecti, *replebantur* (ἐπληρουντο) gaudio Spiritus Sancti (χαρας και Πνευματος ἁγιου per Hendiaden pro χαρας του Πνευματος ἁγιου). Intelligitur gaudium illud, quod Apostolus ad Thessalonicenses scribens (Cap. I : 6) vocat *gaudium Spiritus Sancti*, i. e. cuius auctor est Spiritus Sanctus. Cf. Rom. XIV : 17 et Gal. V : 22.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Argumentum. Paulus et Barnabas Iconii, ubi diutius commorantur, quamplurimos Iudaeos ad fidem Christianam adducunt, Deo per varia miracula confirmante doctrinam, quam Apostoli praedicabant. Sed ea res incredulos ex Iudaeis male habet; quare Evangelii praeconibus necem machinantur, vs. 1—8. Quod cum Apostoli intellexissent, digressi inde, Lyaconiae civitates Lystram et Derben adeunt, ibique, ut et in universa regione circumiacente, Evangelium praedicant, vs. 6. Lystris Paulus quempiam ab utero matris claudum verbo sanitati restituit, vs. 7—9. Quo miraculo Lystrenses stupore veluti abrepti, Iovem et Mercurium humana specie coelitus ad se descendisse exclamant; et mox Iovis sacerdos, allatis victimis, Paulo et Barnabae, tamquam diis, sacrificare parat, vs. 10—13. Sed, re cognita, impium hunc zelum Apostoli conveniente oratione reprimunt, vs. 14—17. Dum haec aguntur Lystris, eò superveniunt ab Antiochia Pisidiae et ab Iconio Iudaei quidam Apostolis infensi. Quorum calumniis seducti Lystrenses unà cum Iudaeis Paulum tumultuarie lapidibus obruunt, lapidatumque extra civitatem trahunt, vs. 18. Ibi Paulum, pro mortuo relictum, cum novelli ex Lystrensibus Christiani sepelire vellent, ille subito miraculose ad se reversus sanatusque assurgit, atque in urbem redit. Postridie unà cum Barnaba Derben proficiscitur, vs. 19. Ibi cum Evangelium praedicassent, revertuntur Lystram, Iconium, et Antiochiam Pisidiae, ubique novellos Christianos ad perseverantiam exhortantes, et singulis ecclesiis presbyteros praeficientes, vs 20-23. Inde digressi transeunt Pisidiam, venientque in provinciam Pamphiliam, praedicatoque in eius provinciae urbe Porga Evangelio, hinc proficiscuntur Attaliam, quae altera Pamphyliae urbs est ad mare sita; atque inde navigant Antiochiam Syriae, unde primum solverant, Evangelium Gentibus praedicaturi. Apostoli a prima illa peregrinatione Antiochiam reduces, diutius ibi commorantur, vs. 23—27.

1. *Factum est autem Iconii*, etc.). Iconium quum pervenissent Apostoli, pro more Synagogam Iudaeorum ingressi sunt *simul* (κατα το αυτο); ibique *ita* (οὕτως) i. e. tanto cum fructu Evangelium praedicarunt (λαλησαι), *ut crederet* (ὥστε πιστευσαι) Christique religionem amplecteretur copiosa multitudo Iudaeorum et

Graecorum (Ἑλλήνων). — *Graecos* hic intelligo homines non religioso cultu gentiles, sed *proselytos portae* (Vide supra ad XIII : 16). Et postulat hunc intelleetum contexta oratio, quum mox (vs. 2) Graecis illis opponantur τα εθνη.

De Syntaxi hac : εγενετο—εισελθειν αυτους, vide supra ad Cap. IX : 5; ut ibi, ita et in praesenti loco εγενετο illud fere sensu caret. — Κατα το αυτο, *eodem tempore=simul*, ut επι το αυτο, de quo vide supra ad Cap. III : 1. Herodotus (VII. Cap. 206) sic dixit: Ην γαρ κατα τωὐτο Ολυμπιας τουτοισι τοισι πρηγμασι συμπεσουσα. Cf. *Lamb. Bos ellipses Graecae*, p. 209, sq. in structura qualis est haec : λαλησαι οὑτως ὡστε πιστευσαι, vocula οὑτως fere abesse solet per Ellipsin. Vox λαλειν *absolute* hic dicitur de *docendo* sive *tradendo* religionem Christianam, ut et infra Cap. XVIII : 9.

2. *Qui vero increduli fuerunt Iudaei*, etc.). Si hic legas απειθησαντες[1], vertendum est : *qui vero increduli fuerant;* sin vero legas απειθουντες, vertas : *qui vero increduli erant*. — Iudaeorum, qui Apostolos in Synagoga concionantes audierant, alii crediderant, alii vero non. Ergo increduli hi Iconiensium *gentilium animos* (τας ψυχας των εθνων) *adversus novellos Christianos* (κατα των αδελφων, ut supra Cap. IX : 30) *concitaverunt* (επηγειραν) *maleque affectos* (malevolos) *reddiderunt* (εκακωσαν). « Hanc verbi κακουν significationem, ut notat Kuinoelius (ad h. l.), interpretes nonnulli plane insolentem habuerunt, sed temere; ea enim apud probae notae scriptores occurrit, ut Kypkius et Krebsius variis exemplis ad h. l. demonstarunt. Sic apud Iosephum (Antiqq. Lib. XVI. Cap. VII : 3) de Herode per mala domestica excruciato et ad crudelitatem irritato dicitur : εκακουτο δε ταὶς ὑποψιαις, και χειρων αει γενομενος, ἁπασιν κατα παντων επιστευεν, i. e. *irritabatur suspicionibus, et*

[1]) Var. lect. Pro απειθουντες est απειθησαντες in Codd. ABC variisque Minusculis; eamque lectionem etiam Vulgata exhibet.

peior in dies factus, omnibus contra omnes credebat. Ibidem (Cap. VIII : 6) κακουσθαι est *contra aliquem irritari*, cui tamquam Synonymum οργης αναπλησθησεσθαι iungitur. Sic hoc loco eius Synonymum est επηγειραν. »

3. ***Multo igitur tempore***, etc.). Ἱκανον μεν ουν... (vs. 4) εσχισθη δε. Particularum μεν et δε usus hic est μεταβατικος, quo, ubi ab una historiae parte ad aliam transitur, μεν claudit antecedentia, et δε inchoat sequentia. Vide supra ad Cap. VIII : 25. Particula ουν respicit illud (vs. 1) ὥστε πιστευσαι—πληθος, tamquam *causam cur* Apostoli Iconii *diutius* commorarentur. Παρρησιαζομενοι, *libere* in re Evangelica *agentes*, i. e. intrepide Evangelium praedicantes. Vide supra ad Cap. IX : 27. Quod sequitur επι τῳ Κυριῳ, eo significatur id *in quo* ipsorum παρρησια niteretur. Haec autem nitebatur *Deo* (επι τῳ Κυριῳ), *qui* nempe *testimonium perhibebat* (τῳ μαρτυρουντι Particip. Imperfecti) *verbo gratiae suae* (doctrinae Evangelii), concedendo illis, ut per illorum manus continuò ederentur *varii generis miracula* (σημεια και τερατα). — Participium διδοντι non *novum* quid *addit*, sed explicat, *quonam modo* Deus testimonium illud perhibuerit. Itaque rectissime antegresso Participio μαρτυρουντι, sequens διδοντι asyndetice iungitur. Utrumque pendet a Praepositione επι. Confer locum parallelum in Epistola ad Hebraeos, Cap. II : 3, 4. — Doctrina Evangelica vocatur hic *verbum gratiae Dei* (ὁ λογος της χαριτος αυτου), et alibi (infra (Cap. XX : 24) *Evangelium gratiae Dei* (το ευαγγελιον της χαριτος του Θεου); ubi της χαριτος est Genitivus *obiecti* : sermo, quo annunciatur gratia Dei credentibus.

4. ***Divisa est autem***, etc.). Graece εσχισθη, *scissa est ;* quo sensu Virgilius (Aen. II : 39) dixit : SCINDITUR *interea studia in contraria vulgus.* — Incredulorum istorum (vs. 2) operâ Iconienses (το πληθος της πολεως, *le peuple de la ville*) scissi sunt in duas partes,

quarum una stabat a Iudaeis incredulis, altera favebat Apostolis. — Ubi sermo est de aliquo dissidio, ibi ειναι συν τινι notat *partes alicuius sequi.*

5—6. *Quum autem factus esset impetus*, etc.). Pro *impetus* Graece est vox ὁρμη. Haec alibi quidem de *impetu* sive *incursione* usurpatur, hic vero, quod contexta oratio (vs. 6) postulat, *ad animum* referenda est, diciturque de *appetitione* animi, de *animi proposito,* inquam, sive de *consilio*, ut in hoc Iacobi (Cap. III : 4): Τα πλοια... μεταγεται ὑπο ελαχιστου πηδαλιου, ὁπου αν ἡ ὁρμη του ευθυνοντος βουληται. Vulgata : *Naves... circumferuntur a modico gubernaculo, ubi impetus* (quòcumque voluntas) *dirigentis voluerit*. Hesychius : ὁρμη· βουλη, επιθυμια. — Ὑβρισαι est *contumeliose tractare*, quod, quia hic iungitur cum λιθοβολησαι, sumendum est de contumelia non tam verbis quam potius factis inferenda, ut Matth. XXII : 6. Demosthenes sic alicubi dixit : Πληγας ειληφως και ὑβρισμενος. — Sensus ergo est : Ubi vero Gentiles et Iudaei cum primoribus suis consilium cepissent, Apostolos contumeliose tractare atque lapidare, *re cognita* (συνιδοντες), profugerunt in urbes Lycaoniae, Lystram et Derben, regionemque circumiacentem, ibique Evangelium praedicarunt.

7. *Et quidam vir Lystris*, etc.). Erat hic utroque pede claudus (αδυνατος τοις ποσιν, q. d. *pedibus invalidus*), idque inde a nativitate (εκ κοιλιας μητρος. — εκ de tempore *ex quo*), neque umquam per omnem vitam ingredi pedibus valuerat. Claudus ille *sedebat* (εκαθητο, *hij zat daar;* Imperfect. Verb. Depon. καθημαι), puta alicubi in platea ad eleëmosynam. Dicitur Λυστρα, ας, et Λυστρα, ων.

8-9. *Hic Paulum loquentem audivit*, etc.). Pro Aoristo ηκουσε[1]

---

[1]) VAR. LECT. Pro ηκουε est ηκουσεν in Codd ADE, variisque Minusculis.

malim hic legere Imperfectum ηκουε (*audiebat*), quo audiendi actus significetur tamquam *continuus*. Claudus ille dum unà cum aliis aures praeberet Paulo publice sermocinanti, hic hominem *intuitus* (ατενισας αυτῳ. Vid. supra ad I : 10), *cum* ex vultu, oculis, gestuque audientis *vidisset* (Aor. ιδων) quod *fidem haberet*[1] *quae valeret* (cf. Matth. IX : 28, 29; Marc. IX : 22) *ad obtinendam sanitatem* (ότι πιστιν εχει σωθηναι, *dat hij geloof had om gezond te* (kunnen) *worden*), elata voce illi dixit : Surgito (αναστηθι[2] Aor. 2 Act. *subrigito te*) in pedes tuos, ita ut stes *rectus* (ορθος). Quo dicto, claudus statim exsiliit (ἥλατο[3] Aor.), et ambulabat (περιεπατει Imperf.).

10—11. *Turbae autem quum vidissent*, etc.). Miraculosam hanc sanationem quum vidissent Lystrenses, in admirationem rapti, alta voce *Lycaonice* (λυκαονιστι) dixerunt : Dii, *similes facti hominibus* (ὁμοιωθεντες ανθρωποις), i. e. assumpta hominum specie, e coelis descenderunt ad nos! Et Barnabam quidem habebant pro Iove; pro Mercurio vero Paulum, quòd is esset *dux sermonis*, ὁ ἡγουμενος του λογου, *de woordvoerder*, i. e. quòd is soleret concionari ad populum. Iovem potius quam alium quempiam ex Diis ad se venisse Lystrenses crediderint, quia prope urbem templum habebant Iovi sacrum. Credebant autem veteres, deos loca potissimum sibi sacra nonnumquam invisere, et Iovem, si quò descenderet, pro comite fere habere Mercurium, quem et pro deo eloquentiae atque Iovis interprete habebant[4]. Atque hinc

---

[1]) « *Iste ex fide salutem quaerit ab Apostolis.* » Ven. Beda in Act. Ap. ad h. l.

[2]) Var. lect. Ante αναστηθι leguntur verba : σοι λεγω εν τῳ ονοματι του Κυριου Ιησου Χριστου, in Codd. CDE variisque Minusculis. Forsitan glossema sunt, ex Cap. III : 9 assumptum. Putaverim, Iconienses Paulum non habituros fuisse pro Iove, si illa verba ab eo fuissent prolata.

[3]) Var. lect. Pro ἥλλετο est ἥλατο (Aor.) in Codd. ABC multisque Minusculis.

[4]) Legesis Homer. Iliad. a. 424, sqq. Plaut. Amphitr. 1. 1. 1. Ovid. Metamorph. VIII : 626. Horat. Odar. I : 10. 1. Catullus dixit : *sese mortali ostendere*

satis intelligitur, quam ob causam Lystrenses putaverint, Iovem ad se venisse, quem Mercurius comitaretur; item cur, quum Paulum haberent pro *Mercurio*, Barnabam *Iovem* suspicarentur.

Lingua Lycaonica quaenam fuerit, nondum, quod sciam, satis compertum est. Sentit S. Ioannes Chrysostomus[1], Lucam ideo hic notasse, ea quae Lystrenses illi dicebant, Lycaonice[2] ab eis dicta fuisse, ut significaret, Apostolos non intellexisse quae dicerentur, utpote dicta sermone ipsis ignoto, ideoque et tacuisse ad istorum impietatem. Quae sententia an conciliari possit cum dono linguarum, quo donatum se fuisse Paulus affirmat (1 Cor. XIV : 18), dicturi sumus ad 1 Cor. XIV, quum ibi huius quaestionis propria veluti sedes sit.

12. *Sacerdos quoque Iovis qui erat,* etc.). Relativum *qui* referendum est ad antegressum *Iovis*, quod ex Graeco liquet : ὁ δε ἱερευς Διος του οντος. *Iupiter* autem, *qui erat* (του οντος) *ante civitatem* (προ της πολεως), intelligendus est, quod hic notat Kuinoelius, Ζευς

---

coetu Coelicolae nondum spreta pietate solebant. Apollodor. III : 10. 2 : Ζευς δε αυτον (Ἑρμην) κηρυκα ἑαυτου και Θεων ὑποχθονιων τιθησι. Haec et alia veterum scriptorum loca, quae huc faciunt, legere est apud Cornelium a Lapide (ad h. l.), Grotium, Pricaeum (in Critic. Sacr. ad h. l), et Wetstenium (ad h. l.).

[1]) Τῃ οικειᾳ φωνῃ εφθεγγοντο, λεγοντες· ὁτι οἱ θεοι ὁμοιωθεντες ανθρωποις κατεβησαν προς ἡμας. Δια τουτο ουδεν αυτοις ελεγον· επειδη δε ειδον τα στεμματα, τοτε εξελθοντες, διερρηξαν τα ἱματια αὐτων. h. e. « Domestica sua lingua utentes dicebant : *Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos.* Idcirco nihil ad haec illis dixerunt. Ut autem coronas viderunt, tum egressi (Apostoli) vestes suas dilacerarunt. »

[2]) « Lycaones, quamvis essent ιδρες εν πολεμοισι, *bellicosi*, ut observat *Dionysius* (Perieg. v. 857), Alexandro M. tamen non restiterunt, sed potentiae cedentes se dediderunt, ut Curtius memoriae prodidit, Lib. IV, Cap. 5. Postquam Alexander diem suum obiit, varios experti sunt dominos... Sequentibus vero temporibus Lycaoniam nunc Capadociae reges, nunc peculiares tyranni tenuerunt sibi subiectam, donec a Romanis sub Augusto in Provinciam redigeretur. Quibus ultimis temporibus, ut plurimi Orientis populi, linguam Graecam didicerunt, sic tamen ut patrium sermonem retinerent et διγλωττοι (*bilingues*) essent. » Iablonski *Disquisit. de Lingua Lycaonica*, § 18.

προπυλος, qui, quòd πολιουχος, urbis *Deus tutelaris, custos* et conservator esset, in suburbio coleretur, ibique *templum* haberet sibi sacrum. Nam de simplici simulacro Iovis ante urbis portam posito, hoc loco sermo esse non potest, quum deorum statuae sic sub dio collocatae suos certe non haberent sacerdotes. Intelligendum ergo est *templum Iovis ante urbem* positum. Sensus est : Sacerdos quoque (δε) templi Iovis suburbani, *ad fores* (επι τους πυλονας[1]) vestibuli aedium in quibus Paulus et Barnabas diversabantur, tauros et coronas adferebat, Apostolis ibi tamquam diis praesentibus *sacrificaturus* (ηθελε θυειν) *unà cum populo* (συν τοις οχλοις).

Coronae illae (στεμματα) destinatae erant coronandis tum sacerdoti eiusque ministris, tum etiam victimis et arae. Nam, teste Tertulliano (*de Coronis*, Cap. X), in more positum erat apud Gentiles, ut ad peragendum sacrificium *ipsae hostiae et arae, et ipsi ministri et sacerdotes eorum coronarentur.* Varia scriptorum veterum loca, hunc ritus spectantia, collegerunt Doughtaeus (in *Analectis sacris.* Excurs. 54), et Wetstenius (ad h. l.).

13—14. *Quod ubi audierunt Apostoli*, etc.). Quamprimum Apostoli, nescio a quo, *audivissent* (ακουσαντες) id agi ut ipsis sacrificaretur, minime tulerunt tantam impietatem, sed tunicis, pro more Iudaeorum (Matth. XXVI : 65), prae indignatione *discissis* (διαρρηξαντες), ex hospitio suo *prosilierunt* (εξεπηδησαν) in turbam, clamantes : Viri! *cur* (τι=δια τι) ista facitis? *etiam nos*, perinde ac vos, *homines sumus* (και ἡμεις ὁμοιοπαθεις εσμεν ὑμιν ανθρωποι), qui vobis *praedicamus* (ευαγγελιζομενοι. Med.), *oportere* vos *a vanis istis* Diis (απο τουτων των ματαιων, scil. θεων) *convertere vos* (επιστρεφειν) ad Deum vivum et verum, qui creavit coelum et terram, etc.

Vox ὁμοιοπαθης, *similiter affectus*, in usu adhibetur quoque

---

[1]) Vid. Henric. Steph. in Thess. ad h. v.

pro simplici ὁμοιος (vide Sap. Cap. VII : 3, et Iacob. Cap. V : 17). Quo sensu etiam in praesenti loco vox ὁμοιοπαθης sumi potest, ut fecit Interpres noster. — Ευαγγελιζεσθαι in libris sacris Novi Testamenti dicitur, latiore significatione, etiam de *praedicando*, vel *docendo*; v. g. Luc. III : 18; Act. XV : 35. — Ante επιστρεφειν mente supplendum est δεῖν, *oportere*, quod faciendum est etiam infra Cap. XV : 24. De qua Ellipsi videsis *Lamb. Bos ellips. Graec. edit. Schaefer*, p. 596. Verbum autem επιστρεφειν hoc loco significat *intransitive*, ut supra (vs. 34) ὑποστρεφειν.

15—16. *Qui in praeteritis generationibus*, etc.). Sensus est : qui (Deus) praeteritis *aetatibus* (γενεαις), puta, ante Evangelii promulgationem, *permisit* (ειασε Aor. *sivit, passus est*) Gentes omnes, excepta Israëlitica, *ingredi vias suas* (ταις ὁδοις αυτων, Dativus *normae*, ut Ep. Iud. vs. 11), h. e. secundum propriam suam vivere voluntatem, non dans illis, sicut Iudaeis, scriptam legem, nec identidem, ut ad Iudaeos, prophetas ad eos mittendo; *quamquam quidem* (καιτοι γε) *non sivit semetipsum* (αφηκε ἑαυτον sc. ειναι) illis *intestatum* (αμαρτυρον) esse, h. e. cognoscendum se illis praebuit, dum beneficus (αγαθοποιων) coelitus daret pluvias, atque frugifera anni tempora, *dum impleret corda nostra cibo et laetitia* (εμπιπλων τροφης καὶ ευφροσυνης τας καρδιας ἡμων). — Dum corpus cibo nutritur atque ita recreatur, etiam animus nonnihil inde exhilaratur. — De Particulis καιτοι γε videsis *Klotzium ad Devarium*, Vol. 2, p. 654, sq.

« Quamvis speciali Dei cura atque indulgentia populum Israëliticum constat electum, omnesque aliae nationes *suas vias ingredi*, hoc est, secundum propriam permissae sint vivere voluntatem; non ita se tamen aeterna creatoris bonitas ab illis hominibus avertit, ut eos ad cognoscendum se atque metuendum, nullis significationibus admoneret. Coelum quippe ac terra et mare, omnisque creatura quae videri atque intelligi potest, ad hanc praecipue dis-

posita est humani generis utilitatem, ut natura rationalis de contemplatione tot specierum, de experimentis tot munerum, ad cultum et dilectionem sui imbueretur auctoris, implente omnia Spiritu Dei, *in quo vivimus, et movemur et sumus* (Act. VII : 28). Quoniam etsi *longe est a peccatoribus salus* (Psalm. 118), praesentiâ tamen salutis ipsius ac virtute nihil vacuum est. Igitur, sicut dicit Propheta, *misericordia Domini plena est terra* (Ps. 35), quae nullis umquam seculis, nullis generationibus defuit, eamque providentiam, qua universitatem rerum administrat et continet, regendis alendisque naturis semper impendit, dispositum habens ex incommutabilis aeternitate consilii quid quibus temporibus distribueret, et multiformis gratiae suae inscrutabiles investigabilesque mensuras, per quae dona ac sacramenta variaret. Sicut enim ista gratiae largitas, quae in omnes gentes novissima fluxit, non evacuat eam, quae super unum Israël sub Lege roravit, nec praesentes divitiae fidem praeteritae abrogant parcitati : ita nec de illa cura Dei, quae Patriarcharum filiis proprie praesidebat, coniiciendum est, gubernacula divinae misericordiae ceteris hominibus fuisse substracta. Qui quidem in comparatione electorum videntur abiecti, sed numquam sunt a manifestis occultisque beneficiis abdicati. Legimus enim in Actibus, Apostolos Lycaoniis dicere : *Viri, quid haec facitis? Et nos mortales sumus similes vobis homines, annunciantes vobis, ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit coelum, et terram, et mare, et omnia quae in eis sunt; qui in praeteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens, de coelo dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et laetitia corda vestra.* Quod est autem hoc testimonium, quod semper Domino deservivit et numquam de eius bonitate conticuit, nisi ipsa totius mundi inenarrabilis pulcritudo, et inenarrabilium beneficiorum eius dives et ordinata largitio; per quae humanis cordibus quaedam aeternae legis tabulae praebebantur, ut in paginis

elementorum ac voluminibus temporum, communis et publica divinae institutionis doctrina legeretur. Coelum ergo cunctaque coelestia, mare et terra, omniaque quae in eis sunt, consono speciei suae ordinationique concentu protestabantur gloriam Dei et praedicatione perpetua maiestatem sui loquebantur auctoris... Quod ergo in Israël per constitutionem Legis et prophetica eloquia gerebatur, hoc in universis nationibus totius creaturae testimonia et bonitatis Dei miracula semper egerunt. » Haec auctor antiquus (Saec. V) in Tractatu *de vocatione omnium gentium*, Lib. II, Cap. IV. Legitur inter dubia opera S. Prosperi Aquitani.

17. *Et haec dicentes vix sedaverunt*, etc.). Miraculum a Paulo patratum Lystrensium animos quodam veluti stupore perculerat; quare *quamquam* Apostoli haec *dicebant* (vs. 14—16) (και ταυτα λεγοντες), vix tamen compescuerunt multitudinem, ne ipsis tamquam Diis sacrificaret. — De Particula και Participiis iuncta cum notione *quamquam*, videsis Valcken. ad Phoen. Euripid. p. 98. — Genitivus του μη θυειν αυτοις pendet a verbo Finito κατεπαυσαν. Vide Gr. pag. 357. *Adnot.*

18. *Supervenerunt autem quidam Iudaei*, etc.). Cum Lystris adhuc versarentur Apostoli, eò venerunt Iudaei quidam, pars ab Antiochia Pisidiae, pars ab Iconio huc profecti. Nec dubium, quin fuerint ex eorum numero, qui paulo ante sese Evangelio rebelles et Apostolis infensos exhibuerant (vid. Cap. XIII : 45—50, et XIV : 5). Illuc ergo venerant animo persequendi Apostolos. Quod et fecerunt. Nam, ut narrat Lucas, *postquam multitudinem persuasissent* (πεισαντες τους οχλους) ut cum ipsis sentirent, concitato, ut videtur, tumultu, Paulum, τον ἡγουμενον του λογου (vs. 11) ideoque magis illis invisum, lapidibus obruerunt. — Forma τεθναναι contracta est ex τεθνηκεναι[1].

---

[1]) Var. lect. Pro forma contracta τεθναναι est τεθνηκεναι in Codd. ABC, variisque Minusculis.

19. *Circumdantibus autem eum discipulis*, etc.). Lapidatum Paulum cum mortuum crederent, extra urbem protraxerunt. Scilicet intra urbem humare defunctos, ut Latinis, ita et Graecis nefas erat. Cf. Brünings Compend. Antiqq. Graec. Cap. XXIX:3; et Fuss. Antiqq. Rom. § 332. Novelli autem ex Lystrensibus Christiani cum Apostolum pro mortuo relictum *circumdedissent* (κυκλωσαντων), funus eius, ut videtur, curaturi, protinus ille surrexit, urbemque repetiit, sed clanculum, ut pronum est iudicare. — Est autem instantanea haec Pauli curatio haud dubie pro miraculosa habenda. Recte Cornelius (ad h. l.) : « Miraculo, *inquit*, Deus illico restituit sanitatem et vires Paulo, ut qui lapidibus obrutus, confractus, et quasi enecatus iacebat, illico surgeret, ac postridie valens validusque pergeret in Derben... Sic S. Sebastianus sagittis confixus ac pro mortuo relictus, illico Dei virtute convaluit, adiensque Diocletianum impiam eius crudelitatem redarguit. » Lapidationem hanc Apostolus memorat in Ep. 2 ad Cor. XI : 25 : *semel lapidatus sum*.

20—21. *Cumque evangelizassent*, etc.). Postridie suae lapidationis Paulus Derben profectus est unà cum Barnaba (vs. 19). Quumque in hac civitate Evangelium praedicassent (ευαγγελισαμενοι τε Particip. Aor. Med.) την πολιν εκεινην, q. d. *cumque evangelizassent hanc civitatem*), multosque ibi (Cf. Cap. XV : 36 cum XVI : 1) adduxissent ad Christi religionem (μαθητευσαντες, *discipulos fecissent*), imperterriti reversi sunt (ὑπεστρεψαν, ut supra Cap. XIII : 34) Lystram, Iconium, et Antiochiam Pisidiae (Cap. XIII : 14). Revisere illas civitates voluerunt, ut novellos, qui ibi erant, Christianos in suscepta fide confirmarent, et presbyteros illis praeficerent, ut vs. 21 et 22 enarratur. —

Sensus vs. 21 hic est : Apostoli novellorum Christianorum animos adhortationibus suis confirmarunt, admonendo nempe

illos, ut in suscepta fide constantes permanerent[1], neque ob persecutiones, quibus subiacerent, se abduci ab ea paterentur; cogitarent viam, qua *oportet* (δε) *nos* (ἡμας) Christianos intrare in regnum Dei, *per* (δια) multas ducere tribulationes. « Aeterna et irrevocabili Dei lege sancitum est, ait hic Cornelius, ut via ad coelum sit tribulatio; et ab hoc decreto neminem excepit.

Verba in ευειν fere significant *intransitive*, atque ita μαθητευειν Matth. XXVII : 57; sed hoc loco μαθητευειν *transitive* significat. Voci επιστηριζειν subiicitur hic notio scriptoribus profanis incognita. Talia reperiuntur, quod hic notat Valckenarius, in his libris permulta; quod non sane mirandum est, quum divini scriptores de rebus saepe loquantur antea prorsus incognitis. Itaque aut nova vocabula erant adhibenda, aut usitatis nova quaedam tribuenda erat significatio. — Participium επιστηριζοντες pendet a verbo Finito ὑπεστρεψαν : per varias illas civitates dum redirent eò unde venerant, simul *confirmantes* erant *animos eorum*, *quos ibi ad Christum converterant* (τας ψυχας των μαθητων). — Participium παρακαλουντες antegresso Participio *asyndetice* coniungitur, quia nihil *novi* additur, sed *exponitur* tantum, quanam in re illud επιστηριζειν constiterit. — Verba και ὁτι δει non directo pendent a παρακαλουντες, sed ab aliquo cognatae notionis verbo, ex παρακαλουντες sumendo, v. g. λεγοντες. Itaque puta, scriptum hic esse : και λεγοντες ὁτι, κ. τ. λ. Varia istiusmodi ellipseos exempla collegit Raphelius (Annotatt. philolog. in N. T. ad h. l.).

22. *Et cum constituissent*, etc.). Graece est : χειροτονησαντες δε αυτοις... προσευξαμενοι... παρεθεντο, scil. Παυλος και Βαρναβας (vs. 20). Ex qua structura liquet, actum illum, qui per vocem χει-

[1]) Ad rem Lorinus : Exhortatio, *inquit*, in fide, et confirmatio animorum facta ab Apostolis, penitus evertit fraudulentam Calvini doctrinam, non posse fidem semel acceptam animo excidere, nec umquam a dono perseverantiae separari. Lorinus, in Comment. in Acta Apostolorum (ad h. l.).

ροτονησαντες exprimitur, tribuendum esse solis Apostolis, nec ullam fieri mentionem *suffragiorum* populi, quae Calvinus[1] hic comminiscitur. Et vero si electionem per *suffragia populi* Lucas hic indicare voluisset, ipsi populo non verò Paulo et Barnabae illud χειροτονειν tribuisset; quemadmodum supra (Cap. VI : 2—6) memorat, septem viros ad officium diaconatus, Apostolorum concessu, electos fuisse a Christianis Hiërosolymitanis, quibus viris Apostoli deinde consecrantes suas manus imposuerunt. Apud scriptores graecos profanos χειροτονειν quidem dicitur de electione quae fit a populo *manibus elatis*, sed et simpliciter saepe notat *absque suffragiis eligere aliquem, creare, constituere.* « Quamquam, inquit Grotius (de Imper. summ. Potest. apud Wolf. ad h. l.) in Graecis civitatibus χειροτονια de comitiali electione dici coeperit, certum tamen est, usu arbitro, ad quaevis electionis genera porrectam vocem. Ita Appianus ad significandas electiones Magistratuum a Caesaribus factas non alia utitur voce; et posteriores Historici filios dicunt a Patribus imperatoribus χειροτονηθηναι. Philoni Moses Rex et Legislator dicitur ὑπο Θεου χειροτονηθεις. » Neque alio sensu ipse Lucas supra (Cap. X : 41) eam vocem usurpavit. Itaque χειροτονειν hoc loco valet *eligere, creare*, vel *constituere*, quam postremam vocem Interpres noster hic adhibuit.

Iam vero cum χειροτονιαν hanc comitarentur *ieiunium et preces* (προσευξαμενοι μετα νηστειων), dubitare non possumus, si ad locum parallelum (Cap. XIII : 3) attendimus, quin χειροτονια, quae hic dicitur, sumenda sit de consecratrice manuum impositione, h. e.

---

[1]) Institut. Lib. IX. C. 3. N° 15. Refert Lucas, *inquit*, constitutos esse per ecclesias presbyteros a Paulo et Barnaba; sed rationem vel modum simul notat, quum dixit, factum id esse suffragiis : χειροτονησαντες πρεσβυτερους. Creabant ergo ipsi duo; sed tota multitudo, ut mos Graecorum in electionibus erat, manibus sublatis declarabat, quem habere vellet.— Calvino concinunt auctores versionis Bibliorum Belgicae (vulgo *de Staten-bybel*), qui praesentem Lucae locum sic reddiderunt : *Ende als zy haer in elcke Gemeynte met opsteecken der handen Ouderlingen verkooren hadden*, cet.

de sacra Ordinatione. — Voces χειροτονια et χειροτονειν de sacra Ordinatione frequenter usupari in scriptis Patrum graecorum, notius est quam ut probatione indigeat; atque is loquendi usus inter Christianos graecos forsitan ex praesenti Lucae loco originem duxit. Reliquum est ut notemus, Participium χειροτονησαντες sine copula[1] iungi alteri Participio προσευξαμενοι, qua structura significatur, ea quae hic dicuntur eodem temporis spatio peracta fuisse; ut adeo sensus sit : Et quum (Paulus et Barnabas) novellis Christianis (αυτοις) per singulas ecclesias (i. e. Lystrae, Iconii, et Antiochiae vs. 20) inter preces et ieiunia per impositionem manuum Presbyteros creassent, utrisque, et novellis Christianis et saeris ministris recens constitutis valedixerunt, *commendantes illos Domino, in quem crediderant* (πεπιστευκεισαν Plusq. Perf. sine Augm.).

23—25. *Transeuntesque Pisidiam*, etc.). Apostoli a prima sua Evangelica peregrinatione reversuri Antiochiam Syriae, unde iter instituerant, relicta urbe Antiochia Pisidiae, hanc provinciam pertranseunt veniuntque in provinciam Pamphiliam. Cumque Pergae, quae Pamphiliae urbs est, nunc (vid. supra ad Cap. XIII : 14) *evangelium praedicassent* (λαλησαντες εν Περγη τον λογον), inde *descenderunt* (κατεβησαν) Attaliam, quae eiusdem provinciae urbs littoralis est. Hinc vero navigaverunt Antiochiam (Syriae), unde *fuerant divinae gratiae commendati* (οθεν ησαν παραδιδομενοι τη χαριτι του Θεου) sive dimissi *ad* (εις) agendum sacrum *opus*, quod iam nunc *expleverant* (επληρωσαν).

26—27. *Cum autem venissent*, etc.). Apostoli Antiochiam reversi (παραγενομενοι Aor.), *congregatoque* ibi (συναγαγοντες Aor.

---

[1]) In Vulgata quidem legitur ET *orassent*, sed nulla in ullo Graeco codice copula hic legitur. De suo interpres hanc adiecerit.

2. Vid. supra ad Cap. V : 27) Christianorum coetu, renuntiarunt, quanta *Deus fecisset cum ipsis* (h. e. *fecisset illis*. Cf. Tob. Cap. III : 6 et VIII : 18. Sensus est : quam potenti auxilio Deus illis adstitisset), *et quod* (καὶ ὅτι) Deus *aperuisset Gentibus ostium fidei*, i. e. quod Deus Gentes ad fidem admisisset, multique passim Gentiles religionem Christianam fuissent amplexi. — Paulus et Barnabas antequam novam peregrinationem Evangelicam instituunt, diutius apud Christianos Antiochenses commorantur.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

ARGUMENTUM. Quo tempore Paulus et Barnabas Antiochiae commorantur, illuc e Iudaea veniunt Iudaeo-Christiani nonnulli, qui contenderent, Gentiles ad fidem Christi conversos Mosaico ritu circumcidendos esse, si vellent esse participes salutis. His Paulus et Barnabas fortiter resistunt; sed non acquiescunt isti. Itaque ad litem hanc dirimendam Paulus et Barnabas aliique nonnulli mittuntur Hierosolymam, vs. 1—6. Coacto concilio, conveniunt ibi Apostoli cum presbyteris, consulturi quid ea in re esset statuendum. Definitur autem, ad observationem legis Mosaicae minime teneri qui ex Gentilibus Christiani fierent; et decretum Concilii, ad formam epistolae scripto mandatum, Antiochiam perferendum datur Iudae Barsabae et Silae, qui cum Paulo et Barnaba in eum finem Antiochiam redeunt, vs. 7—31. Mandato suo perfunctus, Iudas paulo post Hierosolymam revertitur; Silas vero Antiochiae permanet, ubi pariter Paulus quoque et Barnabas, commorabantur in praedicando Evangelio occupati, vs. 32-36. Sed post breve tempus Paulus Barnabam invitat ad revisendos novellos Christianos per omnes civitates, in quibus Evangelium praedicassent. Placet Barnabae Pauli propositum; sed cum ille novae huius evangelicae peregrinationis comitem esse velit Ioannem Marcum, id quod Paulus non vult, oritur inter eos dissidium; quo fit, ut uterque ab altero seiungatur ita, ut Barnabas, adiuncto sibi Marco, in Cyprum naviget, Paulus vero, comite adscito sibi Sila, Syriam peragret et Ciliciam, vs. 36—41.

1. *Et quidam descendentes*, etc.). Quo tempore Paulus et Barnabas Antiochiae commorabantur, illuc e Iudaea *venerunt* (κατελθόντες) nonnulli Iudaeo-Christiani, qui *ethnico-Christianos Antiochenos docebant* (ἐδίδασκον τοὺς ἀδελφοὺς), ad salutem obtinendam non sufficere fide et opere religionem profiteri Christianam, verum insuper oportere eos circumcidi *ritu Mosaico* (τῷ ἔθει (Dativ. Normae) Μωυσέως). Ὅτι *Recitativum*, ut supra Cap. VI : 11.

2. *Facta ergo seditione*, etc.). Quum *ergo* (ουν, nempe *propter* illam doctrinam) *Paulo et Barnabae* (τῳ Παύλῳ και τῳ Βαρναβᾳ, Dativ. *incommodi*) non exigua inde nata esset cum istis disceptatio (στασις προς αυτους, *tegenstand tegen hen*), statuerunt (scil. οἱ αδελφοι (vs. 1) *Christiani Antiochenses*. Vide dicta ad Cap. VIII : 14), ut Paulus et Barnabas aliique nonnulli (inter quos Titus fuit. Vid. Ep. ad Gal. Cap. II : 1) proficiscerentur Hiërosolymam ad Petrum et Apostolos ibi commorantes, ut illorum auctoritate quaestio haec finiretur. — Hiërosolymitani huius itineris mentionem facit Apostolus in Ep. ad Gal. Cap. II : 1, sqq.[1].

---

[1]) « Vergleichen wir, inquit Windischmannus, die Act. XV beschriebene Reise mit der unsrigen (Gal. II: 1, sqq.), so finden wir Zug für Zug die vollste Uebereinstimmung. Nach Act. XV : 1 waren Juden nach Antiochien gekommen, welche durch ihre Behauptung: die Beschneidung sei zum Heile nöthig, Unruhen und Streitigkeiten mit Paulus und Barnabas erregten. Diese Eindringlinge in die Antiochenische Gemeinde schildert Paulus hier (vs. 4) mit jener Lebendigkeit, welche die persönliche Betheiligung an dem erzählten Ereignisz dem Erzähler zu geben pflegt. In Folge dieser Unruhen reisen, nach Act. XV : 2, Paulus and Barnabas και τινες αλλοι nach Jerusalem; hier sehen wir auszer Barnabas noch Titus genannt, diesen namentlich, weil seine Beschneidung von den Gegern gefordert wurde. Nach Act. XV : 12 legten Paulus und Barnabas der versammelten Gemeinde und den Aposteln das Ergebnisz ihrer Predigt unter den Heiden vor; hier heiszt es: ανεθεμην αυτοις το ευαγγελιον, ὁ κηρυσσω εν τοις εθνεσι; vergl. vs. 7—9. Bei dem Concilium zu Jerusalem sprechen Petrus und Jakobus, hier werden Paulus, Jakobus und Joannes erwähnt. Dasz die Apostelgeschichte letzteren nicht nennt, beweist nichts gegen uns; aus ihrer Redeweise geht unwidersprechlich hervor, dasz mehrere Apostel gegenwärtig waren und dasz sie eben nur die nannte, deren Reden mitgetheilt werden sollten. Endlich ist das Resultat des Concils ganz dem entsprechend, was Paulus hier von dem Benehmen der Apostel gegen sich erzählt. Hierzu kommen noch einige Aehnlichkeiten selbst der Sprechweise Act. XV: 10 und 28, vergl. mit Gal. V : 1, VI : 13. — Dasz neben diesen groszen und unläugbaren Aehnlichkeiten auch einige Verschiedenheiten der Erzählung bestehen, erklärt sich vollkommen daher, dasz Lukas objectiv, Paulus nach seiner subjectiven Stimmung berichtet; so konnte die Reise nach Lukas durch die Antiochenische Gemeinde veranlaszt werden, und dennoch konnte bei Paulus der Hauptgrund eine ihm subjectiv zu Theil gewordene Offenbarung sein; daher hier κατ' αποκαλυψιν, was wohl niemand mehr anders versteht, als es 2 Cor. XII : 1 zu verstehen ist. Auch dürfen wir nicht vergessen, dasz Paulus hier die Vorgänge zu Jerusalem in ganz anderer Absicht darstellt, als Lukas. Diesem kam es darauf an, den

Si cum nostro Interprete pro εξ αυτων[1] legeris εξ αλλων, poteris id cum Cornelio a Lapide in eam sententiam interpretari, ut Lucas dicere voluerit, fuisse unà cum Paulo et Barnaba quosdam etiam ex Iudaizantibus missos Hierosolymam, ut ibi, inquit Cornelius, utraque dissidentium pars suas rationes Apostolis proponeret.

3. *Illi ergo deducti*, etc.). Illi ergo (Paulus et Barnabas, et τινες αλλοι εξ αυτων) per aliquam partem viae *deducti* (προπεμφθεντες, *uitgeleide gedaan*) a Christianis nonnullis, quibus hoc officium commissum fuerat *a coetu Antiochensi* (ὑπο της εκκλησιας), pertransierunt Phoenicen ac Samariam, ubique Christianis, quos per has regiones viatores salutabant, enarrantes Gentilium ad fidem Christi *conversionem* (την επιστροφην) : quae res magno gaudio affecit Christianos illos sine discrimine *omnes*, tam Ethnico-Christianos, quam illos, qui ex Iudaeis Christo nomen dederant.

4—5. *Cum autem venissent Hiërosolymam*, etc.). Hiërosolymam *cum pervenissent* (παραγενομενοι, Aor.) Paulus et reliqui legati Antiochenses, tamquam tales *excepti fuere* (απεδεχθησαν) ab *Hiërosolymitano coetu Christiano* (ὑπο της εκκλησιας), ut et ab Apostolis et a Presbyteris; quibus congregatis exposuere *quanta Deus fecisset cum illis.* — Paulum, qui ibi verba fecerit (cf. Cap. XIV : 11), retulisse etiam, quam felici eventu Evangelium prae-

einfachen Verlauf der Geschichte zu geben und es war ihm daher das Resultat der Versammlung : die Befreiung der Heiden vom mosaischen Gesetz Hauptsache. Dies letztere war aber für Paulus hier ganz unerheblich; das wuszten die Galater unstreitig schon lange, und er brauchte es deszhalb nicht hervorzuheben; ihm lag vielmehr daran zu beweisen, dasz er damals von den Aposteln als ebenbürtiger Apostel anerkannt, und dasz seine evangelische Verkündiging in keinem Punkte von ihnen beanstandet worden sei. » *Erklärung des Briefes an die Galater von Dr F. Windischmann, Domcapitular zu München—Freising*, enz. Mainz. 1843, p. 42, sq.

[1]) Var. lect. Pro αυτων est inter Velesianas lectio αλλων, quam et Vulgata hoc loco exhibet; sed nusquam alibi, neque in Codd., neque in Versionibus antiquis lectio αλλων comparet.

dicasset Gentilibus, per se intelligitur. Et crediderim, Lucam per formulam : ὁσα ὁ Θεος εποιησε μετ' αυτων, etiam hoc exprimere voluisse. Expositam quoque ibi fuisse controversiam Antiochiae inde natam, ut et susceptae legationis causam, ex iis quae sequuntur, facile colligitur. Nempe, quod supra (ad Cap. XIII : 8) iam monuimus, Lucas brevitati studet; quo fit, ut hic illic dicere omittat, quae ex serie narrationis facile intelliguntur. Ergo, ut Lucas narrare pergit (vs. 5), aderant in eo coetu *nonnulli ex Iudaeo-Christianis* (τινες των απο της αἱρεσεως των Φαρισαιων πεπιστευκοτες, *nonnulli e secta Pharisaeorum qui Evangelio crediderant*); qui quum accepissent, admissos ad gratiam Evangelii Gentiles ad observationem legis Mosaicae non fuisse adstrictos, quod nefas esse putarent, inter sedentes *surrexerunt* (ἐξανεστησαν Aor. 2 Act.) *dicentes :* Gentiles illos (αυτους) esse circumcidendos, atque iisdem praecipiendum, ut Mosaicam legem servarent.

6. *Conveneruntque Apostoli, et Seniores*, etc.). Ex Versu quarto antegresso vidimus, *Apostolos et Presbyteros congregatos* fuisse, quum ea fierent quae vs. 3—5 enarrantur. Quod ergo hic (vs. 6) dicit Lucas, *convenerunt Apostoli et Presbyteri*, referendum hoc est ad conventum distinctum ab eo, de quo hactenus sermo fuerat. Sequenti forsitan die locum habuit primum illud de re fidei concilium. Indixerat illud, haud dubie, Petrus, Apostolorum Princeps; qui et primus, post multam habitam de re disceptationem (vs. 7), tamquam controversiae iudex supremus, in eodem locutus est. Concilio interfuisse plures ex laicis Hiërosolymitanis ex vs. 22 conficitur; intererant autem tamquam meri auditores et spectatores, ut ex totius narrationis serie manifesto liquet. Nam *ad dispiciendum de ea re* (ιδειν Infinitivus *finis*, ut supra Cap. V : 31), quid nempe de illa esset statuendum, soli convenerunt *Apostoli et Presbyteri* (οἱ Αποστολοι και οἱ Πρεσβυτεροι). Quos Presbyteros

Bellarminus[1] censet, fuisse sacerdotes secundi ordinis; in quo assentientem me habet[2]. Ad Apostolos autem quod attinet, praeter Paulum et Barnabam non alii ibi adfuisse videntur quam Petrus, Iacobus minor, Hiërosolymae episcopus, et Ioannes. Colligitur hoc ex Epistola ad Galatas (Cap. II : 9), ubi Paulus de se dixit : *Iacobus, Cephas, et Ioannes dextras societatis dederunt mihi et Barnabae.* Atqui profecto fecissent id ceteri quoque Apostoli, si Hiërosolymae tunc temporis adfuissent.

7. *Cum autem magna conquisitio fieret*, etc.). Quaestio non erat, utrum nec-ne abrogata Iudaeis esset Mosaica lex ritualis, verum an Gentiles, qui Christiani fierent, ad eam legem observandam tenerentur. *Postquam* autem hac de re magna *fuisset* (γενομενης, Aor.) *disceptatio* (συζητησις, ut ζητησις 1 Tim. 1, 4),

---

[1]) « Respondeo, *inquit*, in isto concilio interfuisse Apostolns, tamquam iudices ad definiendum, Presbyteros autem ad consultandum; plebem autem non esse vocatam, sed tamen adfuisse et consensisse, non quidem definiendo, vel disputando, sed tantum audiendo, et nnn reclamando; quod ita esse probatur dupliciter. *Primum*, ex consuetudine Ecclesiae, quae est optima Scripturarum interpres; nam cum in omnibus conciliis, quae post Apostolica tempora sunt celebrata, hunc ordinem observatum esse constet, ut soli Episcopi fuerint iudices, licet praesentes adfuerint multi alii, vel clerici, vel laici, idem omnino in Apostolico concilio servatum esse, credere debemus. Nec enim Ecclesia universa, ac praesertim primis illis temporibus ab Apostolorum exemplo et traditione discessisset. *Deinde*, hoc idem ex ipso contoxtu demonstrari potest : nam quod Apostoli et Presbyteri tantum vocati sint, patet ex eo quod ibi dicitur : *Convenerunt Apnstoli et Seniores videre de verbo hoc;* ubi nulla mentio fit plebis. *Deinde* quod tam Apostoli quam Seniores loquuti sint, donec discutiebatur controversia, colligitur ex illis verbis : *et cum magna disquisitio fieret.* Quod vero post disputationem, in qua Apostoli et Presbytori loquuti erant, soli Apostoli sententias definitivas dixerint, patet ex eo quod soli Petrus, Paulus, Barbabas et Iacobus introducuntur a Luca loquentes. Et quod nulli alii sententias dixerint, patet ex continuatione textus : nam post Potri sententiam, mox subditur : *Tacuit autem omnis multitudo, et audiebant Paulum et Barnabam.* Deinde subditur : *Et postquam tacuerunt*, nimirum Paulus et Barnabas, *respondit Iacobus, dicens*; et mox finitâ Iacobi oratione, subiungitur : *Tunc placuit Apostolis*, etc.

[2]) Videsis quae hanc in rem notavi ad Cap. 1, vs. 1. Ep. ad Philippenses.

Petrus, tamquam supremus Ecclesiae Pastor, sententiam suam dicturus *assurrexit* (αναστας), atque in hunc modum locutus est : Viri fratres, *vos ipsi* (ὑμεις) scitis, quod Deus *iam dudum* (αφ' ἡμερων αρχαιων) *inter nos* Apostolos (εν ἡμιν) *sibi elegit* (εξελεξατο Aor. Med.), ut per os meum Gentiles audirent Evangelicam doctrinam, atque ita fide eam amplexi Christiani fierent. — Respicit Petrus praeceptum illud divinum, quo iussus fuerat Caesaream ire ad Cornelium centurionem, hominem Gentilem, ut illi Evangelium praedicaret. Cf. Cap. X : 9—48, et XI : 1—18. Et videsis quae notavimus ad Cap. X : 22.

Locutionem αφ' ἡμερων αρχαιων (Vulg. *ab antiquis diebus*) hoc loco adhiberi de re ante aliquot annos peracta, id quidem liquet inde quòd Iacobus (infra vs. 14) hoc sensu intellexit quod dictum fuerat a Petro; nam recolens quae hic dixerat, pro αφ' ἡμερων αρχαιων, usurpat (vs. 14) πρωτον (Adverb.), h. e. *primitus*, puta, in principio praedicati Evangelii. — Obiectum verbi εξελεξατο est : δια του στοματος μου ακουσαι τα εθνη... και πιστευσαι. Graeca Belgice explicaveris, si dicas : *God deed onder ons deze keus, dat door mijnen mond de Heidenen*, etc.

8—9. *Et qui novit corda Deus*, etc.). Nexus hic est : Deus non tantum mandatum mihi dedit de praedicando Gentilibus Evangelio, sed et (και) facto declaravit incircumcisos, qua tales, ineptos non esse ad obtinendam salutem a Christo allatam, si fidem Christianam sincero corde amplecterentur; id quod recte novit ille qui est *cordis cognitor* (ὁ καρδιογνωστης) Deus. — Pergit Petrus : Et cognitor cordis Deus *illis*, scil. τοις εθνεσι (vs. 7) *Gentilibus* (Dativ. *commodi* : in favorem Gentilium) *testificatus est* (εμαρτυρησεν) hoc, scil. Gentiles nec circumcisos nec Mosaicam legem professos haudquaquam ideo esse ineptos ad obtinendam salutem a Christo allatam. *Quo* vero *modo* Deus hoc testificatus est? Testificatus hoc est δους αυτοις το Πνευμα το ἁγιον, καθως και ἡμιν,

dando illis (scil. Gentilibus, quales erant Cornelius cum suis) *Spiritum sanctum* cum visibili eius dono, nempe dono linguarum (vide ad Cap. X : 44—46), *sicut* quondam, die Pentecostes (Cap. II : 4) dederat *nobis* Apostolis. Et nulla ratione (ουδεν vid. Kühner § 537. Anm. 4) discrimen fecit inter nos Apostolos circumcisos et Gentiles incircumcisos, τῃ πιστει καθαρισας τας καρδιας αυτων, *per fidem* (τῃ πιστει Dativ. *instrumenti*) *eorum corda purificando.* « Occurrit, inquit Cornelius a Lapide (ad h. l.), obiectioni Iudaïzantium. Dicebant enim isti : Gentiles sunt *impuri,* utpote idololatrae et scelerati... Respondet Petrus, Gentiles in Gentilismo fuisse impuros, sed Deum *per fidem eos purificasse* tum ab idololatria, tum a sceleribus. Per fidem enim agnoverant, idola esse falsos Deos, Deumque verum esse unum in essentia et trinum in personis. Rursum per fidem *purificati,* id est, iustificati sunt a peccatis. Intellige fidem, non nudam, sed sese exserentem in actus spei, contritionis, charitatis observatioais, mandatorum, et bonorum operum. »

10—11. *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum,* etc.). Sensus est : Quum Deus adeo evidenter testificatus sit, Gentiles incircumcisos nec Mosaicam legem professos, haudquaquam ineptos esse ad obtineadam salutem Christianam, *quid igitur* (τι ουν) *nunc* (νυν i. e. quum sic res se habeat) Deum tentatis, *volentes imponere* (επιθειναι Infinitiv. epexegeticus. Vide Gr. pag. 356. *Adnot.*) cervicibus Gentilium, discipulorum Christi, iugum (Mosaicae legis ritualis), quod neque patres nostri, neque nos (*communicative*) portare potuimus, *nisi cum maxima difficultate?* Nec sane eo quòd circumcisi sumus, *sed* (αλλα) per gratiam Domini Iesu Christi nos Iudaeo-Christiani credimus aeternam salutem aliquando cousequi (Aor. σωθηναι), quemadmodum *et illi* (κακεινοι scil. οἱ πατερες ἡμων vs. 10) salutem consecuti non sunt nisi per merita Messiae venturi. —

Christianae fidei dogma, quod hic tangit beatus Apostolus,

Sacrae Scripturae Novi Testamenti saepissime inculcant. Loca pleraque, quae huc faciunt, collegit Andreas Vega in suo opere *de Iustificatione*, libro IV, capite tertio, quod inscripsit : *Neminem unquam iustificari potuisse, nisi per Christi iustitiam;* ubi *iustitiam* intelligit Iesu Christi merita, quemadmodum vox iustitia intelligitur etiam in hoc Pauli effato (Ep. ad Rom. Cap. V : 18) : *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem : sic et per unius (Iesu Christi) iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae.* Videsis etiam quae a nobis de eodem dogmate notata sunt supra ad Cap. IV : 12. *Gratiam* autem Domini Iesu Christi, quam hic dicit Petrus, cum Salmerone (Tract. 43 in Act. Ap.) dictam sumimus de gratuita Christi erga nos benevolentia, qua pro nobis iustificandis et ad salutem perducendis sanguinem suum in cruce effusum Deo Patri obtulit. Praesentem locum urget S. Augustinus (Lib. 2 contra Pelag. Cap. XXI) contra Pelagianos : « *Dicit Petrus Apostolus,* inquit, *per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus nos salvos fieri, quemadmodum et illi, scilicet Patres. Hoc vos non vultis, inimici gratiae Dei, ut eadem gratia Christi salvi credantur antiqui, sed distribuitis tempora secundum Pelagium, in cuius libris hoc legitur; et ante Legem dicitis salvos factos esse per naturam, deinde per Legem, postremo per Christum; quasi hominibus duorum superiorum temporum, ante Legem scilicet, et in Lege, sanguis Christi non fuerit necessarius, evacuantes quod dictum est :* Unus Deus, et unus mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus. »

Gentes ad salutem Christianam alia via duci velle, quam ea quam Deus evidenter approbasset, erat hoc *tentare Deum*, i. e. Deum quasi provocare, ut voluntatem suam declararet ulciscendo istam incredulitatem. *Tentare Deum* ergo sit *ad iram* eum *provocare*, ut Deuteron. Cap. VI : 16, coll. 14 et 15, Psalm. 77, vs. 18, coll. vs. 17. Cf. etiam vs. 41 et 46, ubi ex sententiarum

parallelismo liquet, *Deum tentare* tantumdem esse ac *Deum exacerbare*. — Ob ingentem praeceptorum numerum Petrus Legem ritualem vocat *iugum*[1] *difficile portatu;* nam sic intelligendum est quod dicit : *quod neque patres nostri neque nos portare potuimus.* Videsis de hoc themate pluribus agentem Lorinum ad h. l.

Particula αλλα *antithetice* respicit nonnumquam rem non quidem verbis expressam, sed tamen animo cogitatam. Cf. Klotz ad Devar. Vol. 2, p. 7. De significatione Aor. Infinitivi post verba *credendi*, *sperandi* et similia, vide Kühner § 445. Anm. 2.

12. *Tacuit autem omnis multitudo*, etc.). Graece ἁπαν το πληθος. De discrimine inter πας et ἁπας vide supra ad Cap. II : 1. Postquam Petrus suam de re dixisset sententiam, *tacuere universi omnes,* ait Lucas, quo significat, neminem ibi fuisse qui Petro non adsentiretur, aut ulterius contrariam sententiam defenderet. Itaque, nemine Petro obloquente, ad confirmandam huius sententiam deinceps verba fecerunt Barnabas et Paulus. Dicebant hi, *quanta varii generis miracula* (ὁσα σημεια και τερατα) Deus per ipsos edidisset inter Gentiles, quos ad salutem Evangelicam admisissent, nequaquam tamen Mosaicae legis iugo eosdem onerantes; quam agendi rationem quum tot miraculis Deus comprobasset, hoc ipso Deum testificatum fuisse, placere sibi, ut Gentiles ad gratiam Evangelii absque Legis onere reciperentur.

13. *Et postquam tacuerunt*, etc.). Et *postquam tacuissent* (μετα δε το σιγησαι), i. e. finem dicendi fecissent *Paulus et Barnabas* (αυτους), Iacobus, dictus *minor*, Apostolus idemque Hiërosolymae Episcopus (vid. ad Cap. XII : 2), sic *dicere exorsus est* (απεκριθη. Vid. ad Cap. X : 47) : *Simon narravit*, etc.

---

[1]) Theophyl. ad h. l. Ζυγον ειπων, inquit, το βαρυ της εν Νομῳ δουλειας δηλοῖ.

14—15. *Simon* (Petrus) *narravit, quemadmodum*, etc.).Iacobus sententiam Petri confirmat iam ex dictis Prophetarum. Ubi nota, quod noster Paludanus[1] observat, Scripturarum testimonium a Iacobo proferri non ad decidendam quaestionem de Legalibus, quae proprie hic agebatur, sed ad comprobandam Gentium vocationem, quam Petrus pro suae causae fundamento posuerat. — Sic fatur Iacobus : Viri fratres, inquit, iam aures praebete mihi! Simon (Συμεων[2]) Petrus modò (vs. 7 sq.) vobis enarravit, quemadmodum *primum* (πρωτον, ut vs. 7 : αφ' ἡμερων αρχαιων), i. e. in principio praedicati Evangelii, Deus Gentiles *benevole adspexerit* (επεσκεψατο Depon. Med. Aor.), ita ut ex illis *sumeret* (λαβειν) *populum* (λαον, un peuple) *nomini suo* (τῳ ονοματι αὑτου Dativ. *Commodi*) i. e. qui unà nobiscum *nomen eius invocaret*. Atque *huic* (τουτῳ in Neutro Genere) rei *concinunt* (συμφωνουσιν) *verba Prophetarum* (*q. d.* quod Simon factum esse narravit, illud aliquando futurum esse, praedictum fuit vaticiniis Prophetarum), *sicut scriptum est*, verbi gratia, in vaticinio Prophetae Amos : *Post haec revertar*, etc. — Ex vaticiniis de vocatione Gentium unum tantum a Luca affertur, exempli causa; nam credibile est, plura a Iacobo fuisse prolata.

Post haec revertar, etc.). Effatum propheticum, quod Iacobus hic allegat, sumtum est ex vaticinio Prophetae Amos Cap. IX : 11, 12. Allegatio autem, ut in praesenti Actorum loco legitur, refert septuaginta-viralem istius vaticinii versionem, et fere verbotenus eam refert[3]. Versio Septuaginta-viralis a contextu Hebraico, quod

---

1) *Vindiciae Theologicae adversus verbi Dei corruptelas, auct. Jo. Paludano* (Mechliniensi) *SS. Litter. in Acad. Lov. Prof. Antverpiae* 1620, ad h. l. Urget hunc locum Paludanus contra Haereticos, qui dicerent, non licere aliquid definire quod non sit expressis verbis in Scripturis contentum.

2) Nomen hoc tunc temporis promiscue nunc quidem שִׁמְעוֹן (Συμεων), nunc vero שִׁימוֹן (Συμων) efferebatur.

3) Subiicimus hic illius vaticinii Versionem septuaginta-viralem, et ipsa Amosi verba Hebraica.

In Versione LXX Vaticinium illud sic legitur : Εν τῃ ἡμερᾳ εκεινῃ ανασ-

attinet ad verba, nonnihil differt; nam sensus utrobique eòdem redit. Age vero, breviter Graeca cum Hebraicis conferamus.

Post haec). Septuaginta hic habent : Εν τῃ ἡμερᾳ ταυτῃ, quod et in textu originali, hic legitur : בַּיּוֹם הַהוּא. Res eòdem recidit. Nam utraque locutio, בַּיּוֹם הַהוּא *in die illa*, et μετα ταυτα, אַחֲרֵי כֵן *post sic*, in libris sacris veteris Testamenti promiscue adhibetur ad indicanda Novi Testamenti tempora. Quem in finem inservit etiam phrasis בְּאַחֲרִית הַיָּמִים. Confer quae notavimus supra ad Cap. II : 17.

revertar). Gr. αναστρεψω, quod Hebraice foret אָשׁוּב. Sed hoc verbum nec in Hebraeo legitur, nec in versione septuaginta-virali; de suo Iacobus illud addiderit. Itaque dixerit memoriter citando : אַחֲרֵי כֵן אָשׁוּב וְאָקִים; nam putaverim, verba Prophetae Hebraice a Iacobo fuisse recitata, etsi cetera dixerit suo usus idiomate, nempe Aramaeo-Iudaico. *Reverti* dicitur Deus, stylo veteris Testamenti, quando qui *iratus* quasi *recesserat*, iam *propitium* sese exhibet. Ex quo patet, licuisse illud *revertar* addi a Iacobo, ad magis declarandam Prophetae sententiam.

reaedificabo tabernaculum David quod decidit). Pro ανοικοδομησω est in versione LXX vox αναστησω (*suscitabo*), quae respon-

---

τησω την σκηνην Δαβιδ την πεπτωκυιαν, και ανοικοδομησω τα πεπτωκοτα αυτης (Edit. Complut. : αυτων), και τα κατεσκαμμενα αυτης (Edit. Complut. : αυτων) αναστησω, και ανοικοδομησω αυτην καθως αἱ ἡμεραι του αιωνος, ὁπως εκζητωσιν οἱ καταλοιποι των ανθρωπων (Cod. Alexandr. addit : τον Κυριον), και παντα τα εθνη, εφ' οὑς επικεκληται το ονομα μου επ' αυτους, λεγει Κυριος ὁ ποιων παντα ταυτα (Cod. Alexandr.: ταυτα absque παντα).

Hebraice vero Vaticinium sic sonat : בַּיּוֹם הַהוּא אָקִים אֶת־סֻכַּת דָּוִיד הַנֹּפֶלֶת וְגָדַרְתִּי אֶת־פִּרְצֵיהֶן וַהֲרִסֹתָיו אָקִים וּבְנִיתִיהָ כִּימֵי עוֹלָם לְמַעַן יִירְשׁוּ אֶת־שְׁאֵרִית אֱדוֹם וְכָל־הַגּוֹיִם אֲשֶׁר נִקְרָא שְׁמִי עֲלֵיהֶם נְאֻם־יְהוָה עֹשֶׂה זֹּאת Locus hic in Vulgata sic redditur : *In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit : et reaedificabo illud sicut in diebus antiquis. Ut possideant reliquias Idumeae, et omnes nationes, eo quòd invocatum sit nomen meum super eos : dicit Dominus, faciens haec.*

det voci אָקִים quam Amos adhibuit. Cetera hac parte conveniunt omnia.

et diruta eius reaedificabo, et erigam illud). Haec pars antegressae nihil *novi* addit, sed tantum distinctius declarat id quod antecesserat : *reaedificabo tabernaculum David quod decidit.* In Hebraico illa pars sic legitur : *et obsepi* (וְגָדַרְתִּי Praeteritum propheticum) *rupturas eorum* (פִּרְצֵיהֶן scil. των סֻכּוֹת *tabernaculorum*), *et diruta* (הֲרִסֹתָיו demolitiones) *eius* (Davidis) *erigo*, *et aedificavi illud* (בְּנִיתִיהָ scil. סֻכַּת דָּוִיד) scil. tabernaculum Davidis *sicut pristinis diebus* (כִּימֵי עוֹלָם); q. d. quale olim fuit, tale denuo erit. — Itaque patet, ea quae hac parte a Iacobo dicuntur, Hebraici vaticinii referre non quidem verba, sed ipsam tamen sententiam. Pro וְגָדַרְתִּי אֶת־פִּרְצֵיהֶן est apud LXX : *και ανοικοδομησω τα πεπτωκοτα αυτης* (Ed. Complut. : *αυτων*); et verba וַהֲרִסֹתָיו אָקִים reddiderunt : *και τα κατεσκαμμενα* (*suffossa=demolitiones*) *αυτης αναστησω.*

Ut requirant ceteri hominum Dominum et omnes gentes). Graece : *ὁπως αν εκζητησωσιν οἱ καταλοιποι των ανθρωπων τον Κυριον και παντα τα εθνη.* Atque ita haec pars legitur etiam in versione Septuaginta-virali, si expungas voces *τον Κυριον*, quas Codex Vaticanus non agnoscit. In Hebraico textu vero ea pars sic effertur : לְמַעַן יִירְשׁוּ אֶת־שְׁאֵרִית אֱדוֹם וְכָל־הַגּוֹיִם, quae Vulgata reddidit : *ut possideant reliquias Idumeae et omnes nationes.* Sunt qui putent, LXX Interpretes Hebraica sic legisse : לְמַעַן יִדְרְשׁוּ שְׁאֵרִית אָדָם אֶת יְהוָה וְכָל־הַגּוֹיִם h. e. *ut requirant reliquiae hominum Iehovam et omnes nationes.* Sed coniectura haec mihi non videtur probabilis, quum nimium distet a lectione in Codd. MSS. ubique sibi constante. Dicendum vero est, LXX Interpretes hac parte vaticinii non verba annumerasse, sed verborum sensum exposuisse; quod non infrequenter ab iisdem factum fuisse, notum est.

super quas invocatum est nomen meum). Graece *εφ' οὑς επικεκληται το ονομα μου επ' αυτους.* Ita quoque Septuaginta, qui He-

braica verbotenus hic reddiderunt. Graecum επ' αυτους refert Hebraicum עֲלֵיהֶם. Oratio Graeca hic serviliter hebraizat, ut facile animadvertent qui Hebraice sciunt. Hebraica vertere malim : *super quas invocatum fuerit nomen meum.* Sensus est : qui post susceptam fidem, *filii Dei* vocabuntur; quod nomen datur Christianis. Hoc sensu locutio נִקְרָא שְׁמִי עַל legitur Deuter. XXVIII : 10; 2 Chron. VII : 14; Isa. LXIII : 19; Iac. II : 7.

dicit Dominus faciens haec). Gr. λεγει Κυριος ὁ ποιων ταυτα, atque ita quoque in versione LXX, et in textu Hebraico נְאֻם־יְהוָה עֹשֶׂה זֹּאת h. e. *effatum Iehovae qui facturus est hoc*, i. e. qui quod praedixit, etiam opere praestabit. Sunt haec ad modum epiphonematis dicta in confirmationem superioris promissi. Sed iam, age, Amosi vaticinium integrum legamus : *In illa die*, inquit, *erigam tugurium* (סֻכַּת) *Davidis collapsum* (הַנֹּפֶלֶת[1]), *et muro claudam rupturas* (פִּרְצֵיהֶן) eorum[2], *et ruinas eius*[3] *erigam, et instaurabo*[4] *illud ut diebus saeculi*, h. e. ita ut sit sicut fuit priscis illis temporibus, quando erat florentissimum regnum Davidis; nam regnum Davidis intelligitur illud *tugurium collapsum*[5]; nam collapsum foret quo tempore nasceretur filius David, Iesus Messias; quod tempus Propheta respicit.

Sequitur Amos : *ut possideant* (Israëlitae[6]) *reliquias Edomi, et omnes gentes super quas invocatum fuerit nomen meum.*

---

[1]) Vox הַנֹּפֶלֶת vertenda est, non *collabascens* sed *collapsum*, quia, ut notat Rosenmuller (ad Amos. Cap. IX : 11), Participium Benoni, HE demonstrativo praeposito, Praeteriti notionem habere solet. Ita supra vs. 6. הַבּוֹנֶה *qui aedificavit*, הַהֹלֵךְ *qui abiit* (Ierem. XXII : 10), הַמֹּלֵךְ *qui regnavit* (ibid. vs. 11), הַיּוֹצְאִים *qui exierunt* (Ios. V : 5), הַשָּׁבִים *qui reverterant* (Esdr. VI : 21).

[2]) Affixum Plur. Femin. הֶן referendum est ad סֻכַּת דָּוִיד, collectivo sumendum.

[3]) הֲרִיסֹתָיו *diruta eius.* Suffixum Masculinum referendum est ad Davidem, cuius est tugurium.

[4]) בָּנָה dicitur tam de *aedificando* quam de *instaurando.*

[5]) Rem sic intellexit etiam Paraphrastes Chaldaeus; qui hanc partem sic reddit : בְּעִידָּנָא הַהִיא אֲקִים יַת מַלְכוּתָא דְבֵית דָּוִד דִּנְפַלַת, *in tempore illo erigam regnum domus David, quod collapsum est.*

[6]) Subiectum verbi יִירְשׁוּ non exprimitur, sed supplendum est ex contexta

Vaticinium hoc, uti patet, dici non potest complementum suum habuisse, aut tempore Ezechiae, quod Aben-Ezrae in mentem venit; aut post reditum e Babylonica captivitate, ut alii voluerunt; aut denique aetate Maccabaeorum, quod Grotio placuit. Nam quando umquam illis temporibus Israëlitica gens dici potuit *possedisse gentes omnes?* Itaque sermo hic est de collapso regno Davidis, quod altiori modo restitutum fuit a magno eius filio, Iesu Messia, de quo Angelus (Luc. I : 32) : *et dabit illi Dominus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum.* Restitutum autem hoc regnum intelligitur Ecclesia Christi, ad quam vocatae et in quam admissae fuere *gentes omnes*. Atque hunc illius vaticinii sensum esse, certissimum nobis est ex ratiocinio Iacobi Apostoli, qui illud protulit, ut ex eo demonstraret *vocationem gentium* earumque *possessionem spiritualem* cum instaurato *tugurio Davidis in regno Christi Iesu.*

Pauca haec de illo vaticinio hic dixisse sufficiat, quum praesens Actorum locus interpretationem eiusdem uberiorem accuratioremque postulare non videatur. Illud tamen operae pretium fuerit praeterea notasse, scilicet vaticinium hoc Amosi expositum esse de vocatione Gentium etiam in *Bereshith rabbah* (apud Du Voisin, in notis in prooemium *Pugionis fidei* Raymundi Martini) Sect. 88: נאמר ביום ההוא אקים את סוכת דוד שיהיו כל העולם אגודה אחת שנאמר כי אז אהפוך אל עמים שפה ברורה לקרוא כלם בשם יי׳ ולעבדו שכם אחד. h. e. « Dicitur (Amos. IX : 11) : *illo die reaedificabo tabernaculum David*, etc.; ita ut universus mundus fiat una collectio, iuxta illud (Sophoniae Cap. III : 9) : *quia tunc dabo gentibus labium*

---

oratione. Supplemus itaque ex vs. 9 antegresso בֵּית יִשְׂרָאֵל h. e. *domus Israël, Israëlitae.* Facit hoc etiam Paraphrastes Chaldaeus, qui hanc partem sic vertit : בְּדִיל דְיָרְתוּן יַת שְׁאָרָא דֶאֱדוֹם וְכָל עַמְמַיָא בֵּית יִשְׂרָאֵל h. e. *ut possideat domus Israël reliquias Edomi et omnes gentes.* Sic et Rashi interpretatur : למען יירשו ישראל את שארית אדום ואת כל הגוים h. e. *ut possideant Israëlitae reliquias Edomi et omnes gentes.*

electum, ut invocent omnes nomen Domini, et serviant ei humero uno. »

18. *Notum a saeculo est Domino opus suum*). Verba sunt non Prophetae Amos, sed Iacobi, qui post recitatum oraculum de vocatione Gentium, quod nunc impleri videret, ad modum epiphonematis addit : Ab aeterno Deus praescivit, quid facturus esset cum Gentibus.

19—20. *Propter quod ego iudico*, etc.). Suam de re sententiam iam profert etiam Iacobus. Cum videam, inquit, praedictum fuisse, fore ut post adventum regis Messiae Gentes sine discrimine omnes ad eius regnum admitterentur, cumque in facto Petri divinitus fuerimus edocti, Gentiles, atque adeo homines nec circumcisos nec Mosaicam legem professos, esse aptos ad obtinendam salutem a Messia allatam, *propterea* (διο) *ego existimo* (κρινω, ut infra Cap. XXVI : 8, et 2 Cor. V : 15), *non esse molestias afferendas* (μη (supple δειν. Vid. supra ad XIV : 14) παρενοχλειν) his, qui ex Gentibus convertuntur (επιστρεφειν intransitive ut supra) ad cultum veri Dei; *sed* tamen (αλλα), quo minus offensioni sint concivibus suis Iudaeo-Christianis, et quo facilius hi cum illis in unam Ecclesiae societatem conveniant, censeo, *litteris datis praecipiendum illis esse* (δειν επιστειλαι αυτοις), *ut abstineant se* (του απεχεσθαι. Vide Gr. pag. 358, β. *Adnot.*) *ab inquinamentis* (απο των αλισγηματων) simulacrorum, et *scortatione* (της πορνειας), et *suffocato* (του πνικτου) et *sanguine* (του αιματος). Genitivi tres posteriores pendent a Praepositione απο.

Vox αλισγηματα[1] significat *inquinamenta;* quaenam autem *si-*

---

[1]) De huius vocis etymo haec notat Valckenarius (ad h. l.) : « A vetere verbo αλω ductum αλιω notabat apud veteres *volvere*. Αλισαι a Grammaticis redditur κυλισαι. Inde factum εξαλισας (in *Nub.* Aristophanis vs. 32) redditur in Scholiis εκκυλισθηναι ποιησας. Ab αλιω Macedones et Alexan-

mulacrorum inquinamenta hic intelligenda sint, dubium non est, quum eadem mox (infra vs. 29) vocentur ειδωλοθυτα (scil. κρεα), *idolis immolatae carnes*. In locutione αλισγηματα των ειδωλων Genitivus est *Subiecti* : ea *quae idola inquinaverunt*, *inquinata per idola*. — Το πνικτον *suffocatum*, dicitur *animal*, puta e minoribus, *sine emissione sanguinis occisum*. Praeter το πνικτον recensetur etiam το αἱμα *sanguis*, quo intelligitur *effusus animalium mactatorum sanguis*, quocumque demum modo ab homine haustus aut comestus. Denique ἡ πορνεια sumitur hic, sensu huius vocis obvio, *de fornicatione* quam *simplicem* Theologi vocant. Hanc Gentiles pro re αδιαφορῳ habebant. *Non est flagitium, mihi crede, adolescentulum scortari*, ait Micio apud Terentium (Adelph. 1, 2, 21). Alia testimonia collegit Grotius ad Act. XV : 20.

Solebant Gentiles, sacrificio peracto concessâque sacerdotibus oblatae victimae parte, ex carnibus residuis epulari cum amicis sive in fano (ιδωλειῳ. Vulg. *in idolio*. I Cor. VIII : 10), sive in aedibus privatis. Istiusmodi idolothytorum esu Mosaica lege (Exod. XXXIV : 15) Iudaeis interdictum erat. Eadem lege praeceptum erat abstinere a sanguine aut suffocato (Levit. III : 17; VII : 26; XVII : 13, 14). Causa interdicti erat, *quia anima carnis in sanguine est*. Levit. XVIII : 14). Peculiari itidem lege prohibita erat fornicatio (Deuter. XXIII : 17), quam, ut iam dixi, Gentiles pro re αδιαφορῳ habebant. Sed non satis liquet, ut mihi quidem videtur, quid causae fuerit cur Iacobus tamquam vitanda ab Ethnico-Christianis quatuor illa (idolothytorum, suffocati et sanguinis esum

---

drini formarunt αλισγω et αλισγεω, quae nusquam in Veterum scriptis reperta sunt, praeterquam in Alexandrina versione. Hesychius tamen oportet repererit Participium αλισγοντες, quod ipsi redditur μολυνοντες, μιαινοντες. Significavit itaque vocabulum illud, notione secundaria a *volvendo* ducta, *inquinare*, *contaminare*. Adhibetur ab Interprete *Danielis* Cap. I : 8 : ὡς μη αλισγηθῃ, *ut ne inquinaretur* cibis de mensa regia delatis; et *Malach.* I : 7, dicuntur in altaro obtulisse αρτους ηλισγημενους. » Videsis etiam Sturzium, *De dialecto Macedonica et Alexandrina*, § 12, ad h. v.

atque fornicationem), nec plura nec alia nominaverit. Ad tria priora quod attinet, forsitan causa fuit, quia istiusmodi ciborum usus Iudaeo-Christianis praecipuae cuidam abominationi esset, quum talibus vesci cibis idololatriam saperet[1]. In quorum gratiam Iacobus etiam de scortatione disertam prohibitionem fieri forsitan ideo voluerit, ut hinc iisdem certo constaret, eos qui ex Ethnicis Christiani fierent hac prohibitione meliora edoctos, haud amplius scortationem pro re αδιαφορῳ habere.

21. *Moyses enim a temporibus antiquis*, etc.). Causam (γαρ) dat Iacobus, cur existimet istiusmodi praeceptum dandum esse Ethnico-Christianis; *Nam Moses*, inquit, iam inde *ex antiquo* (εκ γενεων αρχαιων) *in singulis civitatibus habet qui eum* (i. e. Mosaicae legis praecepta) *praedicent*, *quippe qui* (Moses, h. e. libri Mosis, sive Pentateuchus) *singulis sabbatis in synagogis praelegitur*. Sed fateor me non satis perspicere, *quanam* tandem *ratione* versiculo 20 contineatur *causa cur* Iacobus voluerit ut ea, quae dixerat vs. 20, Ethnico-Christianis praeciperentur; nec ullum adhuc legi interpretem, qui rem, mea quidem sententia, recte explicaverit.

22—23. *Tunc placuit Apostolis*, etc.). Graecorum verborum structura hoc loco paulo difficilior est; nam pro εκλεξαμενους exspectasses εκλεξαμενοις, et, quandoquidem scriptum erat εκλεξαμενους, infra vs. 23 pro γραψαντες scripsisses γραψαντας. Certe usitata Syntaxis postulasset ut scriberetur : εδοξε τοις Αποστολοις... εκλεξαμενοις ανδρας; sed et ea structura, qua hoc loco usus est Lucas, obvia est, nec ita raro, apud scriptores Graecos profanos. Exempla eiusmodi syntaxeos ex uno Herodoto varia collegit Raphelius (Annott. in N. T. ad h. l.). Sic, exempli gratia, Hero-

[1]) Vide Baronium ad An. Ch. 51, § 20.

dotus scripsit (Lib. I, p. 2) : τοισιν Ἑλλησι δοξαι, πεμψαντας αγγελους απαιτεειν Ἑλενην. Similia exempla legere est apud Zeunium ad Vigeri Cap. VI, Sect. 1. XII. Est autem in εκλεξαμενους ανδρας πεμψαι, agnoscenda Syntaxis Accusativi cum Infinitivo, quae in verbum Finitum resoluta Latine valeret : placuit Apostolis *ut, postquam elegissent viros aliquot ex se* (εκλεξαμενους εξ αυτων ανδρας), *mitterent*, etc. — Quod autem post εκλεξαμενους non scribitur γραψαντὰς sed γραψαντες, est hoc anacoluthon Graecis non infrequens. Vide Gr. pag. 519. B. 2. Simile anacoluthon est in hoc Paulino (Ep. ad Ephes. III : 16—18 : Ἱνα δωη ὑμιν... κατοικησαι τον Χριστον εν ταις καρδιαις ὑμων, εν αγαπη ερριζωμενοι και τεθεμελιωμενοι, κ. τ. λ. —

Sensus est : *Tunc*, quum dicendi finem fecisset Iacobus, unaque esset omnium de re sententia, placuit Apostolis et presbyteris *simulque toti fidelium coetui* (συν ὁλη τη εκκλησια), *ex ipsorum numero* (εξ' αὐτων) eligere viros aliquot, scilicet Iudam cognomine Barsabam, et Silam, viros inter Christianos ex primariis (ἡγουμενους), atque *per hos* (δια χειρος αυτων) *epistolam mandare* (γραψαντες) *hanc* (ταδε) : *Apostoli et Seniores fratres salutem*[1] (χαιρειν scil. λεγουσιν) dicunt fratribus Ethnico-Christianis Antiochiae et per reliquam Syriam et in provincia Cilicia commorantibus.

Ἡγεομαι verbum Depon. Med. *dux sum*, *praecedo*. Iudas ille Barsabas forsitan frater fuit Iosephi Barsabae, de quo mentio fit supra Cap. I, vs. 23. Silas autem, qui alibi Silvanus (Σιλουανος) dicitur, deinceps comes fuit Pauli in eius itineribus per Asiam Minorem et Graeciam factis. Ad perferendum Antiochiam concilii decretum, Paulo et Barnabae comites adduntur duo illi ex Chris-

[1]) Var. lect. Pro vocibus : και οἱ πρεσβυτεροι και οἱ αδελφοι, simpliciter και οἱ πρεσβυτεροι αδελφοι legitur in Codd. ABCD nonnullisque Minusculis, ut et in Versionibus antiquis, Itala (in Cod. Cantabrig.), Vulgata, et Armenica. Ita quoque legerunt hunc locum S. Pacianus et Vigilius Tapsensis (apud Sabatier), et S. Athanasius (apud Calmetum ad h. l.). Itaque non est, cur huic lectioni alteram praeferamus.

tiano coetu Hiërosolymitano viri primarii, ut hi apud Antiochenos *verbis* referrent quae epistola continebat (cf. vs. 27), certosque redderent omnes, allatam epistolam esse genuinam. — Δια χειρος refert Hebraicum בְּיַד. Ex inscriptione epistolae colligere licet, non in urbe Antiochiae tantum, verum etiam in reliqua Syria, ut et in Cilicia, errorem illum Iudaizantium sparsum fuisse.

24. *Quoniam audivimus*, etc.). Causa exponitur habiti concilii: Postquam, inquiunt, certa relatione accepissemus, quod nonnulli *ex nostris* (ἐξ ἡμων[1]) hinc *profecti* suis sermonibus (λογοις) vos perturbaverint, *a vero abducentes* (ανασκευαζοντες) animos vestros, docendo scilicet, oportere vos circumcidi et Mosaicam servare legem; quibus viris nihil tale mandaveramus; placuit nobis, etc.

Vocabulo ανασκευαζειν opponitur κατασκευαζειν. Aristoteles (*in Topicis, apud Stapleton. ad h. l.*) argumentorum loca quae ad rei confirmationem faciunt, vocat κατασκευαστικα, quae ad destructionem, ανασκευαστικα. Κατασκευαζειν est *instruere*, ανασκευαζειν *destruere*, quod hic metaphorice dictum est de *corrumpendo* falsa doctrina *animos*. — In locutione λεγοντες περιτεμνεσθαι Ellipsis est vocis δειν. Vide supra ad Cap. XIV : 14. — Ex verbis οἱς ου διεστειλαμεθα forsitan intelligendum est, Iudaizantes illos doctores Apostolorum auctoritatem dogmati suo falsò praescripsisse.

25—27. *Placuit nobis collectis in unum*, etc.). Graece γενομενοις ὁμοθυμαδον, *unà congregatis*. Vide supra ad Cap. II : 46. — De syntaxi verborum εδοξεν ἡμιν—εκλεξαμενους ανδρας πεμψαι, dictum est supra ad vs. 22. Obiter commendantur Paulus et Barnabas tamquam viri Petro ceterisque Apostolis totique Ecclesiae Hiërosolymitanae carissimi, et integerrimi, quique non credendi

[1] Var. lect. Pleraque Codices habent ἐξ ἡμων εξελθοντες, quam lectionem etiam Vulgata nostra exhibet.

sint quidquam facere sui causâ, quippe qui non dubitassent *cuivis periculo et vitae discrimini se exponere* (παραδεδωκασι τας ψυχας αὐτων) propter Iesum Christum praedicandum. — Misimus *ergo* (ουν respicit vs. 25) Iudam et Silam, qui etiam ipsi *eadem* (τα αυτα) quae his litteris continentur, *verbis* (δια λογου) coram *annunciant* (απαγγελλοντας Particip. Praes., quo res tamquam iam praesens cogitatur. Interpres noster forsitan legit Participium Futuri απαγγελοντας).

28—29. *Visum est enim*, etc.). Sequitur iam ipsum Concilii decretum[1]. Particula γαρ hoc loco non habet vim αιτιολογικην sive *causalem*, sed valet *scilicet*, ut Matth. XIV : 3, et alibi. Videsis de hac Particulae γαρ notione *Klotz ad Devarium* Vol. III, p. 234, sqq. *Visum est*, inquiunt, *Spiritui Sancto et nobis;* in quibus verbis notandum est, decretum hoc Apostolicum non tantum tribui Spiritui Sancto, qui congregatis adstitisset ut ne in decernendo errarent, verum etiam Apostolis, sua illis a Christo collata docendi ac definiendi potestate hic utentibus. Cf. Cap. seq. vs. 4.

nihil ultra, etc.). Sensus : nullum aliud (μηδεν πλεον, *nullum amplius*) vobis imponere onus praeter haec necessaria, videlicet

[1]) Bene Fasseinus (Epitome Chronologo-Theologo-Geographica historiae sacrae. Tom. IV ad annum Ch. 51. Articulo II) : « Nota, inquit, praemitti decreto praeambulum : *Visum est Spiritui Sancto*, quod factum non est dum ageretur (supra vs. 25) de mittendis nuntiis Antiochiam ad promulgandum ibi et in aliis locis determinatis Concilii decretum. Illic enim sine ullo praeambulo dicitur : *Placuit Apostolis et senioribus cum omni Ecclesia eligere viros*, etc. Cuius disparitatis ratio est, quod in primo casu agebatur de materia fidei et morum, in qua dirimenda requirebatur promissa per Christum specialis assistentia Spiritus Sancti, mentem Ecclesiae, in Concilio in nomine illius congregatae, illuminantis ac dirigentis in efformandis decretis fidei et morum. In secundo autem casu agebatur dumtaxat de delectu virorum, qui praedictum decretum in Concilio formatum deferrent ac publicarent. Ad hoc autem sufficiebat prudentiae lumen, ac notitia probitatis et idoneitatis virorum mittendorum. Atque ideo ad hanc electionem tota Ecclesia habuit votum consultatorium... At vero ad decidendam conciliariter motam controversiam, soli Apostoli et Episcopi habuerunt votum decisivum. »

ut abstineatis ab idolothytis, et ceteris; a quibus rebus si vobis caveatis, id facietis quod officii ratio a vobis postulat.

Επαναγκες forma neutra est Adiectivi επαναγκης (ab επι et αναγκη) *necessarius*, sed επαναγκες *adverbialiter* usurpatur pro *necessariò;* et, addito Articulo, Adverbium επαναγκες vim Adiectivi obtinet. Itaque τα επαναγκες (scil. οντα) sunt *necessaria.* « Dicuntur autem quatuor illae res *necessariae*, ut notat Stapletonius[1], non quia eorum observatio ex sua natura et necessitate finis necessaria erat (sola excepta fornicatione), sed quia quatenus ad tempus praecepta, et causa praecepti vigente, necessario necessitate praecepti observanda a fidelibus erant. Quo exemplo manifeste docetur, posse Ecclesiam leges temporarias ad certum utilem finem, puta pacis ecclesiasticae servandae causa (ut hic suffocato et sanguine prohibendo), vel vitandi scandali causa (ut hic abstinentiam ab idolothytis praecipiendo), fidelibus imponere per modum praecepti, quod illos in conscientia et coram Deo ad debitam obedientiam obstringat. »

Genitivus ειδωλοθυτων pendet a Praepositione απο verbi compositi απεχεσθαι (Med. *zich onthouden van*); de qua Syntaxi vide Gr. p. 452, sqq. Vocabulum ειδωλοθυτα una voce Latina Interpres reddere non poterat; quare vertit *immolata simulacrorum*, h. e. ea quae immolantur simulacris. Vide supra ad vs. 20. Locutio διατηρειν ἑαυτον εκ τινος, quae legitur hic, et Ioan. XVII : 15, refert Nostratium *zich voor iets wachten.*

Duo in illo concilio Hiërosolymitano fuere decreta : *unum*, Gentiles qui Christianam fidem amplecterentur, nullatenus teneri ad observandam legem Mosis ritualem; eratque hoc iuris divini; *alterum*, abstinendum esse ab idolothytis, suffocato, et sanguine[2];

---

[1]) Antidota Apostolica in Acta Ap. ad h. l.

[2]) Quae tamen non fuère praecepta tamquam obligatoria vi legis Mosaicae, sed quia Apostolis eorum observatio videbatur in praesenti necessaria, ut cum Ethnico-Christianis concives Iudaeo-Christiani facilius in unam Ecclesiae societatem convenirent. Decernentes autem ut Gentes a fornicatione abstinerent, Apostoli nihil novi praeceperunt, sed tantum e divinis praeceptis unum, ob causam quam dixi (supra p. 60), expressis verbis memorarunt.

atque hactenus Concilium legem tulerat iuris Ecclesiastici; quae lex abrogari potuit, et, quod ex Ecclesiae consuetudine constat, reapse abrogata est. Qua de re legenda est Natalis Alexandri *Dissertatio de abstinentia a sanguine et a suffocatis*[1].

30—31. *Illi ergo dimissi*, etc.). Iudas, Silas, Paulus, et Barnabas (vs. 25) cum decretali illa epistola dimissi venerunt Antiochiam; ubi *quum* multitudinem fidelium *congregassent* (συναγαγοντες. Vide supra ad Cap. V : 27), epistolam tradiderunt. Quam cum legissent, gavisi sunt *de consolatione* (επι τῃ παρακλησει), quam continebat. Nempe magno solatio illis erat, nunc Spiritus Sancti oraculo didicisse, minime subeundum sibi esse iugum legis Mosaicae ad salutem Evangelicam consequendam.

32. *Iudas autem et Silas et ipsi cum essent prophetae*). h. e. quum *etiam ipsi* (και αυτοι), sicut illi qui Cap. XIII : 1 recensentur, *essent prophetae* (προφηται οντες), i. e. prophetiae charisma (Vide supra ad Cap. XI : 27) haberent, tamquam tales *crebris sermonibus* (δια πολλου λογου) *Christianos* Antiochenos (τους αδελφους) *exhortati sunt* (παρεκαλεσαν, ut infra Cap. XX : 2), eorumque animos ad constantem Christianae religionis professionem confirmarunt.

33—34. *Facto autem ibi aliquanto tempore*, etc.). Postquam Iudas et Silas *aliquamdiu* (χρονον, *een tijd*) Antiochiae commorati essent, a coetu fidelium (απο των αδελφων) *iussi bene valere* (μετ᾽ ειρηνης), *dimissi sunt* (απελυθησαν), data illis potestate redeundi, si vellent, *ad eos qui miserant illos* (προς τους αποστειλαντας αυτους[2]). Silas tamen maluit Antiochiae remanere; quo

[1]) Legitur in Zaccariae Thesauri Theologici tomo VII. Vide etiam Salmeronem, Tract. 44 in Act. Ap., et Estium in loc. difficiliora (ad h. l.).

[2]) Var. lect. Pro αποστολους legitur αποστειλαντας αυτους in Codd.

factum est, ut Iudas Barsabas sine comite Hiërosolymam rediret[1].

Ποιειν χρονον de *transigendo tempus aliquod*, phrasis est in libris sacris non infrequens, sed, notante Valckenario, Graecis elegantioribus insolens, quamquam Demosthenes invenitur hoc sensu semel dixisse ποιειν χρονον. — Απελυθησαν προς *praegnans* est locutio.

35. *Paulus autem et Barnabas*, etc.). Paulus et Barnabas tunc temporis Antiochiae *commorabantur* (διετριβον) ibidem unà cum aliis multis in praedicando Evangelio occupati. Scilicet magna ibi fuerit messis facienda.

36. *Post aliquot autem dies*, etc.). Postquam Paulus aliquod temporis spatium Antiochiae in praedicando Evangelio occupatus transegisset, bonus pastor de novello suo grege in Asia Minori sollicitus, hunc revisendi cepit concilium. Itaque dixit collegae suo Barnabae : *Agedum* (δη) revertamus et invisamus (επιστρεψαντες επισκεψωμεθα *reversi invisamus*) *Christianos* (τους αδελφους) *per omnes civitates* (κατα πασιν πολιν), in quibus adhuc Evangelium praedicavimus, ut videamus *quomodo sese habeant* (πως εχουσι) quod attinet ad professionem fidei Christianae, et vitae rationem ad huius fidei normam instituendam.

Illud εν αἱς refertur ad πασαν πολιν per structuram *secundum sensum*. Nempe πασα πολις Grammatice quidem dictum est in *Singulari*, sed logice *pluralitatem* infert. In locutione επισκεψωμεθα τους αδελφους πως εχουσι *attractio* quaedam est, de qua vide Gr. pag. 515. 4. Cf. etiam Raphelii Anuott. ad h. l.

37—38. *Barnabas autem*, etc.). Placuit Barnabae Pauli consi-

ABCD variisque Minusculis. Eamdem lectionem exhibent Vulgata, aliaeque antiquae versiones.

[1]) Ea quae in Vulgata versu 34 continentur, in plerisque Codicibus Graecis non leguntur.

lium; sed *voleb it ille* (εβουλετο) novae huius peregrinationis comitem esse Ioannem Marcum. Paulus autem *aequum censebat* (ηξιου) *hominem, qui sua sponte discessisset ab illis* (τον αποσταντα απ' αυτων) *inde a* (απο) *Pamphylia*, nec ivisset cum illis *ad opus* (εις το εργον) praedicationis Evangelii, *hunc* (τουτον) ad eius peregrinationis consortium *non esse socium assumendum* (συμπαραλαβειν supple δεῖν, ut supra Cap. XIV : 14). Sentit Oecumenius, Ioannem Marcum refugisse graviores praedicationis Evangelicae labores et pericula, ac propterea tunc temporis (Cap. XIII : 13) a Paulo et Barnaba discessisse[1]. Erat is Ioannes consobrinus Barnabae (Coloss. Cap. IV : 10), et videtur Antiochiae fuisse, quo tempore Paulus consilium cepit de revisendis Christianis in Asia Minori.

39—41. *Facta est autem dissensio*, etc.). Dum uterque ardenter contenderet obtinere id quod rei Evangelicae magis expedire arbitrabatur, nata est inter eos animorum quaedam *exacerbatio* (παροξυσμος), idque *ita ut*, quum neuter alteri cedere vellet, *uterque ab altero seiungeretur* (ὡστε αποχωρισθηναι αυτους απ' αλληλων), et Barnabas, adiuncto sibi Marco, navigaret (εκπλευσαι) in Cyprum. Paulus vero, *quum sibi Silam* peregrinationis instituendae comitem *elegisset* (επιλεξαμενος Σιλαν), Dei gratiae a fratribus *commendatus* (παραδοθεις), Antiochia *profectus est* (εξηλθε) novumque iter Apostolicum suscepit. Peragrabat autem primum reliquam

---

1) Occumenius in Act. A. (ad h. l.). Μαρκος, inquit, ὡς ανθρωπος ναρκησας, και μη ευτονων προς τον δρομον τον τοσουτον και προς τους εν ἑκαστῃ πολει ανακυπτοντας αγωνας και κινδυνους, αποταξαμενος τῳ δρομῳ των Αποστολων, επανηλθεν εις την Παλαιστινην, ου Χριστον αρνησαμενος, αλλα τον δρομον τον πολυν και βαρυν παραιτησαμενος. « *Marcus, ut homo segnis nec sufficiens ad tantum cursum et ad certamina ac pericula quae in quaque civitate emergebant, cursui Apostolorum renuncians reversus est in Palaestinam, non Christum abnegans, sed longum gravemque cursum deritans.*

Syriam, deinde Ciliciam, pastorali sua cura et sollicitudine ubique id agens, ut *novellos Christianos confirmaret* (επιστηριζων τας εκκλησιας) in profitenda fide Evangelica et ducenda vita Christiano homine digna. Iisdem quoque praecipiebat ut et ea observarent, quae nuperrime in Hiërosolymitano Concilio fuissent statuta[1]. — Rei Evangelicae profuit haec Apostolorum dissensio, quum iam Barnabae opera ad alias et plures regiones perveniret Evangelii praedicatio. Ab hoc inde tempore de Barnaba nulla amplius in hoc libro mentio occurrit.

---

[1]) Var. lect. Post verba : επιστηριζων τας εκκλησιας (*confirmans ecclesias*), unus codex D hic addit : παραδιδους τας εντολας των πρεσβυτερων. Inter lectiones autem Velesianas et haec notatur : παραγγειλας τας εντολας τηρειν (al. φυλασσειν) των Αποστολων και των πρεσβυτερων, quae lectio cum Vulgatae lectione convenit. Sed nescimus ex quali codice Velesiana illa lectio desumta sit. Calmetus (ad h. l.) arbitratur, verba haec : *praecipiens custodire praecepta Apostolorum et seniorum*, glossema esse ex Cap. XVI : 4. — Lovanienses Vulgatae (an. 1587) editores notant, se vidisse quatuor codices MSS. a quibus illa verba aberant.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

ARGUMENTUM. Paulus et Silas, peragrata Cilicia, transeunt in provinciam Lycaoniam, perveniuntque Derben, deinde Lystram, quae duae sunt ex eius provinciae civitatibus. Lystris apostolici itineris comes adscitur Christianus quidam, Timotheüs nomine, vs. 1-4. Apostoli quae nuper Hierosolymis fuerant decreta, ubique Ethnico-Christianis servanda tradunt; novelli quos invisebant Christiani continuo in fide confirmabantur, et numero indies accrescebant, vs. 4-6. Porro Evangelium praedicant in Phrygia et in Galatia; quas regiones cum peragrassent, venissentque in Asiam proconsularem, vetiti sunt a Spiritu Sancto Evangelium ibi annunciare. A Galatia in Mysiam veniunt atque hinc in Bithyniam proficisci cogitant, sed ut hoc facerent non permittit illis Spiritus Iesu. Quare reflectentes ad occasum, per Mysiam veniunt Troadem, ubi Paulus divinitus admonetur, ut cum sociis illinc naviget in Macedoniam, ad Evangelium in illa regione praedicandum, vs. 4-11. Itaque solventes Troade, appellunt ad urbem Macedoniae Philippos. Ibi Paulus Evangelium primum praedicat mulieribus nonnullis, quarum una, Lydia nomine, ad eius praedicationem fidem Christianam professa ab eodem baptizatur, vs. 11-16. Ibidem paulo post spiritum fatidicum eiicit ex ancilla quadam, quae divinando magnum quaestum adferebat dominis suis. Qui dolentes sibi periisse quaestum suum, Paulum et Silam apprehensos sistunt apud urbis magistratus, tamquam publicae quietis perturbatores; simulque Philippica plebs tumultuose in Apostolos insurgit, vs. 16-22. Quare magistratus ut furentibus satisfaciant, Paulum et Silam indemnatos flagris coedi iubent et in carcerem detrudi, vs. 22—25. Media autem nocte fit terrae motus, et ianuae carceris aperiuntur; quare custos carceris ratus effugisse vinctos, necem sibi parat. Sed ab eo scelere Paulus virum prohibet, quin et Iesu Christo eumdem lucratur, vs. 25-35. Cum illuxisset, Apostoli honorifice a magistratibus e carcere dimittuntur, visisque Lydia et reliquis Christianis Philippensibus, aliò proficiscuntur, vs. 35-40.

1—3. *Pervenit autem Derben et Lystram,* etc.). Peragrata Cilicia, Paulus, Sila comite, adiit Lycaoniae civitates, Derben et Lystram, ubi antea, Barnaba adiutore (Cap. XIV : 6—23), prospero eventu, Evangelium praedicaverat. *Degebat* (ἦν) autem Lystrae *Christianus quidam* (μαθητης τις) *nomine* (ονοματι. Vide ad IX : 33) Timotheüs; is *matrem habebat* Euniceen (2 Timoth. I : 5), *mulierem Iudaeo-Christianam* (υἱος γυναικος Ιουδαιας πιστης), *patrem autem Gentilem* (πατρος δε Ἑλληνος). Scilicet non quaevis cum Gentilibus matrimonia Iudaeis erant prohibita. *Habebat* Timotheüs ille *vitae bene Christianae testimonium* (εμαρτυρειτο, ut supra VI : 3) a Christianis non tantum Lystrensibus, concivibus,

verum etiam a vicinis Iconiensibus. — Praecipua quadam probitate vitae eminere debuit, cuius fama pervenisset ad vicinas etiam civitates. — Hunc ergo (τουτον) Timotheum, etsi iuvenem (cf. I Timoth. IV : 12), Paulus sibi comitem adiungere voluit, ut eius ministerio in praedicando Evangelio uteretur. Ante tamen quam praedicationis officium Timotheo committeret, *eumdem circumcidit* (λαβων περιετεμεν αυτον. Cf. dicta ad Cap. VIII : 35); idque fecit *propter Iudaeos in illis locis commorantes*, et Timothei opera ad fidem Christi convertendos. Nam quum omnes scirent, Timotheum natum esse patre ethnico[1], adeoque non fuisse circumcisum[2], noluissent familiariter cum eo versari (vide supra Cap. XI : 2, 3), nedum ab eo accipere doctrinam Evangelii. Itaque Timotheum circumcidit Paulus ex prudenti quadam indulgentia, nec alia de causa, *factus Iudaeis tamquam Iudaeus, ut Iudaeos lucrifaceret* (I Cor. IX : 20).

4—5. *Cum autem pertransirent civitates*, etc.). Paulus, Silas, et Timotheüs dum *pertransibant* (διεπορευοντο Imperf.) urbes *illas* (τας), in quibus antea Pauli et Barnabae opera fundatae fuerant Ecclesiae (cf. Cap. XV : 36), simul *Ethnico-Christianis inibi commorantibus* (αυτοις constructio ad sensum) tradebant observanda *placita* (τα δογματα), quae nuper Hiërosolymis ab Apostolis et presbyteris fuerant *decreta* (κεκριμενα). — Ecclesiarum autem, quas in illis regionibus Paulus antea plantaverat et nunc invisebat prosperrimus erat status : nam fideles et *in fide continuo fiebant firmiores* (τῃ πιστει εστερουντο. Imperf.), et numero indies augescebant (επερισσευον τῳ αριθμῳ καθ' ἡμεραν, *numero erant in dies copiosiores*.— Valet hic locus ad probandum, legibus ecclesiasticis

---

[1]) Verborum ῃδεισαν... τον πατερα αυτου, ὁτι Ελλην ὑπηρχεν syntaxis est per *Attractionem*, ut supra Cap. XV : 36.

[2]) « Non fuerat circumcisus, quia, ut Talmudici tradunt, non erat ius matris filium circumcidere, patre invito. » Grotius ad h. l.

piam obedientiam esse praestandam. Qua de re praeclare ad hunc locum (l. l.) agit contra Calvinum noster Stapletonius. — Tῃ πιστει et τῳ ἀριθμῳ sunt Dativi *relationis*. Vide Gr. p. 216. 3. — Δογμα Graece proprie non *doctrinam* significat, sed *decretum*, sive *placitum*.

6—7. *Transeuntes autem Phrygiam*, etc.). Occurrunt hoc loco Aoristi Participia tria (διελθοντες... κωλυθεντες.., ελθοντες) asyndetice composita; inter quae haec ratio est, ut κωλυθεντες et ελθοντες proxime pertineant ad verbum Finitum επειραζον. Solutis Participiis in verba Finita, praesentem locum Latine sic reddideris : *Cum autem peragrassent Phrygiam et Galaticam regionem, vetarenturque a Spiritu Sancto verbum Dei loqui in Asia, in Mysiam venerunt, atque inde tentabant proficisci in Bithyniam; verum id illis non permisit Spiritus Iesu.*

In illa per Galaticam regionem peregrinatione tunc temporis a Paulo plantatam fuisse Galatarum Ecclesiam, sat certo tibi constabit, si ea quae scripsit ad Galatas (Cap. IV, vs. 13, sqq. collato vs. 19) contuleris cum relatione Lucae (Act. XVIII : 23) de Christianis Galatis a Paulo visitatis et in suscepta fide confirmatis. Nullo enim argumento effici potest, Paulum *ter* in Galatia fuisse. Asia autem quae hic dicitur, intelligitur Asia *proconsularis* (Mysia, Lydia, et Caria), ut supra Cap. II, vs. 9. — Evangelium ibi praedicare vetiti sunt interno quodam Spiritus Sancti dictamine. Nimirum voluntas Dei erat, ut iam lux Evangelica in Europa exoriretur. Locutio *Spiritus Iesu* docet *Spiritum Sanctum* procedere etiam a Filio. Cf. Rom. VIII : 9 et Philipp. Cap. I : 19.

8. *Cum autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem*). Troas *et* regionis *et* urbis nomen est. Troas *regio* erat terrae tractus ab utraque Mysia, minori et maiori, inclusus, et tunc temporis sui iuris, nec ad Asiam proconsularem, nec ad Bithyniam

pertinens. In Troade regione erat Troas *urbs*, in littore ad mare Aegeum sita inter Sigeüm et Lectum promontoria. Haec saepe etiam *Alexandrea Troas* (Αλεξανδρεα ἡ Τροας) cognominata est. Cf. Cellarii *Notitia orbis antiqui*, Lib. III, Cap. 3, Sect. II, §§ 40 et 56. Apostoli ergo quum non possent (vs. 7) iter continuare Septentrionem versus in Bithyniam, reflectentes ad Occasum, Mysiam *pertransierunt*, atque ita venerunt in Troadem.

9. *Et visio per noctem*, etc.). Disputari potest de hac visione, utrum nempe dormienti an vigilanti Paulo fuerit oblata; neutrum enim perspicuis verbis declaratur. Quia tamen dicitur, visionem hanc a Paulo *conspectam fuisse* (ωφθη τῳ Παυλῳ. vide ad Cap. VII : 2) PER NOCTEM, ideo facile adducor ut credam, sermonem hic esse de somnio dormienti Paulo divinitus immisso. In qua sententia fuisse video etiam S. Ioannem Chrysostomum (Hom. 34 in Act.). Scilicet is modus unus est inter extraordinarios illos, quibus homo divinitus aliquid edoceri potest; qua de re paucis diximus supra ad Cap. X : 3. Itaque Pauli animo in somnis divinitus informata fuerit imago viri illi adstantis, quem ex toto corporis habitu pro Macedone aliquo agnosceret, quique illum deprecaretur, dicens : *Transgressus* (διαβας) *in Macedoniam, succurre nobis!*

10. *Ut autem visum vidit*, etc.). Eam visionem (το ὁραμα) ubi Paulus *vidisset* (ειδεν), statim, inquit Lucas, in Macedoniam proficisci *studuimus* (εζητησαμεν[1]), ex illo viso nocturno *firmiter conficientes* (συμβιβαζοντες) quod eò *vocasset* (προσκεκληται· vide ad Cap. XIII : 2) nos Deus[2] ad Evangelium *illis* (Macedonibus) praedicandum.

---

[1]) Hoc primum loco Lucas loquitur in prima persona plurali; ex quo colligitur, Lucam in Troade se Paulo ceterisque comitem adiunxisse.

[2]) VAR. LECT. Pro ὁ Κυριος est ὁ Θεος in Codd. ABCE et aliquot Minusculis, ut et in Vulgata et nonnullis aliis antiquis Versionibus.

11—12. *Navigantes autem a Troade*, etc.). *Itaque* (ουν) Troade *provecti* (αναχθεντες), *recto cursu pervenimus* (ευθυδρομησαμεν εις dictum est *praegnanter* pro ευθυδρομησαντες ηλθομεν, ut est Cap. XXI : 1) ad insulam Samothraciam, et *postero die* (τη επιουση scil. ἡμερᾳ, ab επειμι *advenio*) Neapolim, atque inde Philippos. — Neapolis, urbs succincta portu, sita erat in Thraciae et Macedoniae confinio, non ultra XII millia passuum distans ab urbe Philippis, quae introrsum iacebat. — De Philippis videsis *Prolegomena* nostra (§ 1) *in Epistolam ad Philippenses*.

quae (Philippi) *est prima partis Macedoniae civitas, colonia*). Urbs Neapolis eo adhuc tempore ad Thraciam pertinebat, et sub Vespasiano demum recensita fuit inter urbes Macedoniae. Vide *Wineri Biblisches Realwörterbuch*, ad voc. *Neapolis*. Notandum porro est, terrae tractum illum, qui est inter fluvios Strymonem et Nestum, antea Thraciae partem, deinceps a Rege Philippo Macedoniae fuisse adiectam. Iacebat autem in hoc terrae tractu urbs Philippi, idque ita quidem, ut venientibus a Neapoli, tunc temporis, ut diximus, Thraciae urbe, Philippi essent Macedonica urbs *prima* (πρωτη) sive proxima. Cf. *Cellarii Notit. Orbis Antiq.* Lib. 2, Cap. XIII, Sect. III, § 85. Coniicio autem, ob additum Articulum (της μεριδος), fieri potuisse, ut ille terrae tractus, Macedoniae a Philippo adiectus, proprio nomine Lucae tempore vocaretur ἡ μερις της Μακεδονιας. Tractus hic passim vocatur *Macedonia adiecta*. Apostoli ergo quum ex divino monito in Macedoniam ire deberent, a Neapoli, ait Lucas, iverunt Philippos, *quippe quae* (ἡτις) *esset prima* (proxima) *Macedoniae adiectae civitas*, eaque *colonia*.— Sic et Plinius Lib. IV, Cap. XI : *Intus Philippi, colonia.* Haec beneficio Caesaris Augusti iure Italico fuerat donata. Cf. *Prolegomena* nostra (§ 1) *in Ep. ad Philippenses*. — Philippos ergo cum venissent Apostoli, per aliquot dies ibi erant *consistentes* (διατριβοντες), exspectantes opportunitatem inchoandi Evangelii praedicationem.

13. *Die autem sabbatorum*, etc.). Die *sabbati*, inquit (de *uno* sabbato promiscue dicitur το σαββατον, et τα σαββατα), egressi sumus *extra* (εξω) portam urbis ad flumen, ubi *moris erat* (ενομιζετο[1]. vide Prolegom. in Ep. ad Philipp. § 2) *haberi oratorium* (προσευχη). Scilicet sicubi Iudaei synagogam in urbe habere non possent, mos illis erat oratoria sua ad fluminum ripas aut litora maris constituere, quo aqua suppeteret ad lotiones eorum rituales. Pertinet huc id quod legitur in Decreto Halicarnassensium[2] : Δεδοχθαι ἡμιν, Ιουδαιων τους βουλομενους ανδρας τε και γυναικας τατε σαββατα αγειν και τα ἱερα συντελειν κατα τους Ιουδαϊκους νομους, και τας προσευχας ποιεισθαι προς τῃ θαλασσῃ κατα το πατριον εθος. Hoc est : *Placuit nobis, ex Iudaeis quicumque voluerint, viri sive mulieres, tum sabbata celebrare, tum sacra peragere iuxta leges Iudaicas, et proseuchas facere ad mare pro patrio more.* » Quod si putes, vocem προσευχη dictam esse non de *precandi loco*, sed de *ipsa precatione*, vertas : *ubi solebat precatio esse*, i. e. ubi haberi solebat religiosus Iudaeorum conventus.

et sedentes, etc.). Ibi *cum consedissemus* (καθισαντες), *mulieribus, quae* illuc ad precandum *convenerant, loquebamur*, doctrinam Evangelicam illis annunciantes.

14. *Et quaedam mulier nomine Lydia*, etc.). Proprium hoc eius nomen erat, non vero Gentilitium, quasi Lydia dicta esset, utpote ex Lydia oriunda, quod Grotio placuit; nam si hoc, cum Articulo scriptum esset ἡ Λυδια, aut γυνη τις Λυδια dixisset Lucas. Nomen hoc *Lydiae*, mulieri proprium, antiquis inusitatum

---

1) Var. lect. Pro ενομιζετο προσευχη est ενομιζομεν προσευχην in Codd. A**C; et in Cod. D legitur εδοκει προσευχη, quam lectionem Vulgata nostra refert. Lectio vulgaris ενομιζετο προσευχη ceteris difficilior est, atque hanc ex illa natam dixeris.

2) Editum decretum hoc est a Iac. Gronovio in *Decretis Romanis et Asiaticis pro Iudaeis*, p. 22 (apud Wolf. in *Curis*, ad h. l.).

non fuisse, fidem faciunt Horatius (Carm. I : 8), et antiqua inscriptio haec (apud Gruterum, p. 918) : *Lydiae secundissimae, quae vixit ann. XVI. Sit tibi terra levis.* — Erat haec mulier πορφυροπολις, *venditrix purpurae*, puta, lanae purpurae, vestiumque inde confectarum. Hesychius : πορφυροπωλις· ἡ τα πορφυρα πωλουσα. Lydia oriunda erat, ut videtur, ex civitate *Thyatirae*[1] (πορφυροπωλις πολεως Θυατειρων). Eadem dicitur σεβομενη τον Θεον h. e. Iudaea *proselyta*. Vide supra ad Cap. XIII : 16. Mulier haec *audiebat*, h. e. *fidem habebat* (ηκουεν. de usu *Imperfecti* hoc loco, vide Gr. pag. 286) *Evangelio a Paulo praedicato*. Nimirum ακουειν dictum est hic *emphatice* de *auditu*, quem comitatur *assensus* praestitus auditis. Quo sensu verbum ακουειν adhibetur etiam Lucae X : 16 et Ioan. IX : 27. *Credidit* ergo Lydia, auxiliante illi divina gratia ad hunc liberi sui arbitrii actum faciendum. Quod quidem divinae gratiae auxilium Lucas indicat, dum addit : *cuius Dominus aperuit* (διηνοιξε Aor. *aperuerat*) cor *intendere* (προσεχειν) *his quae dicebantur a Paulo;* ubi προσεχειν (Infinitivus *finis*) dictum est *de praebendo assensum* sive *fidem*, ut supra Cap. VIII : 10.

15. *Quum autem baptizata esset et domus ejus,* etc.). Lydia fidem Christianam professa, baptizata est *unà cum sua familia* (και ὁ οικος αυτης); quae ex cuiusnam aetatis personis constiterit, nescitur. Posteaquam autem baptizata esset, Paulum eiusque comites sic deprecata est : *Quandoquidem* (ει) baptismum mihi conferendo, iudicastis *me adnumerandam esse inter Christi fideles* (με πιστην τῳ Κυριῳ ειναι), *iam*, *agite*, *Christiani apud Christianam hospitemini* (εισελθοντες εις τον οικον μου, μεινατε). — Cui petitioni quum

---

[1]) Quod ad formam hujus vocabuli attinet, sciendum est, Latine etiam dici in Singulari numero *Thyatira*, ut apud Livium, Lib. 37, Cap. 44 : *Legati ab Thyatira venerunt*; sed Graece in Neutro plurali tantum : Θυατειρα, ων. Diceres, Interpretem nostrum pro Θυατειρων legisse Θυατειρηνων, quia vertit non *civitatis* THYATIRORUM, sed *Thyatirenorum*.

Apostoli non statim acquiescerent, Lydia illos *blanda quadam vi*, ut id facerent, *coëgit* (παρεβιασατο).

Particula ει notionem hic habet Particulae επει, ut supra Cap. IV : 9, et Ioan. VII : 4. Πιστος, activo sensu, speciatim dicitur *de eo qui fidem Christianam profitetur*, sive *de Christiano*, ut supra Cap. X : 45; XVI : 1; 2 Cor. VI : 15. Voci πιστην iungitur Dativus τῳ Κυριῳ eadem ratione, qua supra (Cap. V : 14) iungitur Participio πιστευοντες in dictione : μαλλον δε προσετιθεντο πιστευοντες τῳ Κυριῳ.

16. *Factum est autem*, etc.). Accidit autem, inquit, ut euntibus nobis (puta insequenti sabbato) *ad oratorium* (εις την προσευχην. Cf. vs. 13) occurreret *ancilla quaedam* (παιδισκη) *a daemonio aliquo fatidico obsessa* (εχουσαν πνευμα Πυθωνος), *quae quidem* (ἡτις) divinando[1] magnum quaestum adferebat *dominis suis* (τοις κυριοις αὐτης). Scilicet res non unius sed plurium haec ancilla erat.

Usitata syntaxis postulabat ut scriberetur : πορευομενοις ἡμιν... απαντησαι. Sed tamen ea quoque verborum structura, quam hic et supra Cap. IV : 1 fecit Lucas, apud scriptores bene Graecos occurrit. Vide Gr. pag. 207. *Adnot.* — Εγενετο sequente Infinitivo cum Accusativo, frequens est in hoc libro syntaxis. Vide supra ad Cap. IV : 5, et IX : 3. Παιδισκη non *aetatem* notat mulieris, sed *conditionem;* nam statim sermo est de eiusdem *dominis*. Εργασια *labor*, sed mox *quaestus labore partus*, *lucrum* (werk, winst). Infra (Cap. XIX : 24) dicitur in forma Media παρεχεσθαι εργασιαν, hic vero in Activa παρεχειν εργασιαν. De qua diversitate vide Gr. pag. 267. 6.

Per Πυθωνα antiqui[2] intelligebant δαιμονιον μαντικον, *daemo-*

[1]) « De furtis, de rebus amissis, de absentium actis et factis, atque eiusmodi rebus, quae vulgus ab huiusmodi divinis petere solet. » Ar. Montan Elucidatt. in Act. Ap. ad h. l.

[2]) Hesychius : Πυθων· δαιμονιον μαντικον. *Alberti* Glossar. Gr. p. 75 : Πυθωνος· δαιμονιου μαντικου, οὑτω λεγομενου.

nium, inquam, non quodcumque sed *fatidicum*, i. e. tale, quo afflati futura quaedam aut alia occulta dicebant. Hinc qui eiusmodi spiritu afflati essent, vocabantur πυθοληπτοι et πυθονικοι[1]. Talis erat haec ancilla, quam Lucas dicit εχουσαν πνευμα Πυθωνα[2], ad connotandum, ut opinor, eam non tantum a tali spiritu subinde afflatam fuisse, sed continuò obsessam. Nam quod reapse a spiritu aliquo nequam ista obsessa fuerit, id quidem perspicuum est tum ex narratione Lucae, tum etiam ex Pauli erga illam agendi ratione; nec aliter rem intellexêre SS. Patres. Videsis S. Cyrill. Hiërosol. Cateches. XVII : 15; S. Ioan. Chrys. Hom. XXXV in Act. Ap., et Didymum (in Catena graeca Crameri (citata Tom. I, p. 33) ad h. l.) : Επι τῳ Πυθωνιῳ πνευματι, inquit hic, διαπονηθεις Παυλος, εξεβαλεν αυτο της ανθρωπου.

17. *Haec subsecuta Paulum et nos*, etc.). Ancilla haec daemoniaca Apostolos subsecuta, *continuo clamabat* (εκραζε, Imperf.) dicens: Homines isti servi sunt *Altissimi* (του Θεου του ὑψιστου, van den Allerhoogste, ut אֵל עֶלְיוֹן, Genes. XIV : 18, 19, יְהוָה עֶלְיוֹן Psalm. VII : 18), *qui quidem* (οἵτινες) annunciant vobis *viam ad salutem* (ὁδον σωτηριας, Genitivus *Obiecti*. Vide Gr. pag. 188.

Verba haec : *isti homines*, etc. verba erant daemonis istius ore et lingua ancillae utentis. Docet hoc sequens versiculus. Causam vero cur daemon ille haec Apostolis inclamaret, alii aliter explicant. Mihi quidem praeplacet Cornelii a Lapide sententia. « Causa,

---

1) Videsis Henric. Stephan. in Thes. ad h. v.

2) Var. lect. In Codd. ABC*D legitur Πυθωνα, quam lectionem referunt etiam Vulgata nostra, et Itala (in Cod. Cantabrig.); eamque lectionem alteri praetulerim. Nota, vocem Πυθωνα exegetice apponi ad πνευμα. Genitiv. Πυθωνος, si sic legendum sit, pro Genitivo *Appositionis* habuerim; ut *spiritum Pythonis* valeat *spiritum Pythonicum*. Apollo non Πυθων vocabatur sed Πυθιος. Πυθων autem nomen erat, ut Mythographi narrant (Ovid. Metamorph. Lib. I, 434, sqq. Macrob. Saturn I. 17), ingentis cujusdam serpentis, nati ex putredine terrae post diluvium Deucalionis; quem Pythonem interemisset Apollo, hinc Pythius dictus.

inquit, petenda videtur ex eventu, quem daemon ut sagacissimus praevidebat, ita et malitiosissimus intendebat; nimirum praevidebat, Paulum non laturum esse hasce suas voces, sed eum expulsurum; se vero libenter cessurum, ut pythonissae dominos, iam privatos suo divinationis quaestu, accenderet in Paulum, ut eum male mulctarent vel occiderent. Pauli enim caput petebat, ut eius praedicationem, et conversionem Gentium inhiberet. Ita factum est : nam Paulus ab eis captus, flagellatus, et incarceratus est. Sciebat enim, si Paulum perderet, se plurimos perditurum. »

18. *Hoc autem faciebat*, etc.). Daemoniaca haec per plures continuò dies Apostolis in publicum procedentibus sic inclamabat. *Moleste autem quum ferret* (διαπονηθεις δε. vide supra ad IV : 2) Paulus hoc impuri spiritus de se testimonium, nolletque videri habere cum eodem aliquod commercium, ad daemoniacam conversus, spiritui nequam, qui illam obsidebat, dixit : Impero tibi ex potestate a Iesu Christo mihi concessa (εν τῳ ονοματι. vide supra ad Cap. III : 6), ut exeas ab ista (απ' αυτης). Ac *protinus* (αυτῃ τῃ ὡρᾳ) exiit spiritus. Αυτῃ τῃ ὡρᾳ ut אשָׁעֲתָא בַּהּ apud Dan. Cap. III : 6.

19—21. *Videntes autem domini eius*, etc.). Pythonissae domini *quum* probe *intelligerent* (ιδοντες), unà cum egresso daemone *exivisse* (εξηλθεν) illis quoque spem quaestùs porro faciendi, ultionis causa *apprehensum* (επιλαβομενοι, *quum apprehendissent*) Paulum et Silam *pertraxerunt* (ειλκυσαν) in forum ad magistratus oppidanos (επι τους αρχοντας). Cumque eos in iudicium *ad Praetores* (τοις στρατηγοις) *adduxissent* (προσαγαγοντες. vide supra ad Cap. V : 27), publicam iniuriam obtendentes, sed de adempto turpi quaestu suo tacentes, his verbis eosdem accusarunt : Hi homines, *qui Iudaei sunt* (Ιουδαιοι ὑπαρχοντες), civitatem nostram perturbant, et praedicant instituta (εθη, *mores, consuetudines* in re religiosa), quae nobis, utpote Romanis, neque recipere neque exercere fas est.

Non alii sunt οἱ ἄρχοντες ac οἱ στρατηγοὶ, sed posteriori hoc nomine magistratus illius urbi accuratius nominantur. Nimirum στρατηγοὶ Graece, et Latine *praetores* (praeitores) dicebantur duumviri, penes quos in coloniis et municipiis summa erat potestas. Kuinoëlius ad hunc locum : « Quod attinet, *inquit*, ad vocabulum στρατηγὸς, illud fere *belli ducem* indicat. Sed sicuti nomen στρατὸς de *populo*, *civium multitudine* (vide Spauhemium *De usu et praestantia numismatum*, T. 1. Diss. 9, p. 697), aeque ac de *exercitu* adhibebatur, ita quoque στρατηγὸς et *militarem* et *civilem magistratum* notabat. Etiam a Romanis *Praetores* nominabantur non modo ii *qui exercitui praeibant, belli duces...* sed etiam qui Romae *juris dicundi causa* magistratus instituti erant. Quos autem Romani *praetores*, eos Graeci στρατηγοὺς nominabant... Titulum *Praetoris* imprimis sibi olim vindicare solebant *duumviri* colonici et municipales, cum omuino coloniae et municipia summa aemulatione reipublicae Romanae formam exprimere studerent... Hinc et duumviri Graece dicti sunt στρατηγοὶ, et ad horum duumvirorum classem pertiuuerunt, quos Lucas h. l. στρατηγοὺς vocavit. »

Versute addunt accusatores : Ἰουδαῖοι ὑπάρχοντες, nam invisa Romanis erat gens Iudaica ob religiosa instituta admodum diversa, atque ab omni idolorum cultu aliena. Iudaeorum autem nomine passim tunc temporis etiam Christiani vocabantur. Philippenses, ut diximus supra (pag. 74), erant colonia Romanorum, adeoque et Romano iure legeque vivebant. Atqui Romanis non licebat Deos colere, nisi qui publica auctoritate essent constituti. Docet Tertullianus (apud Grotium ad h. l.), *vetus decretum fuisse, ne quis Deus consecrraretur, nisi a Senatu probatus.* Sic Servius (ad Virg. Aen. VIII : 187) notat, *cautum fuisse et apud Athenienses et apud Romanos, ne quis novas introduceret religiones.*

22. *Et cucurrit plebs adversus eos*, etc.). In publico haec fiebat accusatio; hanc ergo cum audisset plebs quae adstabat, *unà insur-*

rexit (συνεπεστη) in Apostolos, male eosdem tractaturi. Quare praetores (οἱ στρατηγοι), ut furentibus satisfacerent, *vestimenta eorum* (superne) *dilacerarunt* (περιρρηξαντες αὐτων τα ἱματια) lictorum ministerio, quibus et *iusserunt* ut *virgis* eos *caederent* (εκελευον ραβδιζειν). — De usu Imperfecti εκελευον hoc loco, ubi Aoristum expectasses, vide Gr. pag. 287. δ. — Locus parallelus est hoc Dionysii Halicarnassensis (apud Wolfium in *Curis* ad h. l.): Τοις ραβδουχοις εκελευσαν την ἐσθητα τε περικαταρρηξαι, και ταις ραβδοις το σωμα ξαινειν, *iusserunt lictoribus ut vestem dilacerarent corpusque virgis percuterent.*

23—24. *Et cum multas plagas,* etc.). Et posteaquam praetores lictorum ministerio impegissent illis plagas bene multas, *coniecerunt* (εβαλον) eos in carcerem, *dato* carcerario *praecepto* (παραγγειλαντες Aor.), ut diligenter (ασφαλως *tuto, caute*) eos custodiret. Qui cum tale mandatum accepisset, quo esset de fuga eorum securior, non tantum in *interiorem* carcerem eos coniecit, sed et praeterea pedes ipsorum ligno strinxit. To ξυλον intelligitur *vinculum ligneum,* quo pedes impediebantur. Vide Fischerum *De vitiis Lexicorum Novi Testamenti.* Prolus. IX, p. 458, sqq.

25. *Media autem nocte,* etc.(. *Circa* (κατα) mediam vero noctem Paulus et Silas *precibus vacantes,* alta voce *Deum laudabant* (προσευχομενοι ὑμνουν τον Θεον), haud dubie laetabundi (cf. Cap. V : 41), quòd digni habiti fuissent qui flagris et contumelia afficerentur pro causa Evangelii. Nec dubito, quin Paulus et Silas tunc etiam, ut olim Apostoli (Cap. IV : 29, sq.), a Deo petiverint continuum animi robur ad Evangelium intrepide praedicandum, et ut Deus, patratro subinde miraculo, doctrinam Evangelii divinitus confirmaret. Terraemotum autem illum, quo mox totus carcer a fundamentis concussus fuit, crediderim fuisse signum divinum, quo Apostolis significaretur, preces eorum a Deo fuisse exauditas. Cf. Cap. IV : 29—32.

26. *Audiebant eos, qui in custodia erant. Subitò vero terraemotus*, etc.). Οἱ δεσμιοι, *vincti* (Vulgata : *qui in custodia erant*) intelligendi sunt, ut opinor, *reliqui captivi* (οἱ), qui nempe in *exteriori* carcere iacebant; nam Paulus et Silas soli, ut videtur, in *interiori* carcere (vs. 24) erant. Ergo dum hi laetis vocibus *laudes Deo canebant* (ὑμνουν τον Θεον), et illi canentes *auscultabant* (επηκροωντο), subito terraemotus factus est adeo ingens, ut carceris fundamenta concuterentur. Quem terraemotum in illis rerum circumstantiis nemo sane causae cuipiam naturali adscripserit. Itaque pro miraculoso habendus est, praesertim quum aliud duplex miraculum eodem tempore acciderit. Nam statim et carceris ianuae omnes apertae sunt, et universorum vinctorum vincula soluta.

27. *Expergefactus autem custos carceris*, etc.). Eo terraemotu et fragore *e somno excitatus* (εξυπνος γενομενος) carcerarius, quum ad carcerem accurrisset, et *videret* (ιδων) ianuas carceris apertas, ratus effugisse vinctos, gladium strinxit seque ipse interficere volebat.

28. *Clamavit autem Paulus voce magna*, etc.). Quum carcerarius *sine lucerna* (cf. vs. 29) videre potuerit (vs. 27) apertas esse carceris ianuas, profecto etiam Paulus, etsi nocturno tempore, satis discernere potuerit carcerarium, in exteriori carcere stricto gladio necem sibi inferre volentem. Hoc ergo cum ex interiori carcere videret Paulus, *alta voce* (φωνῃ μεγαλῃ) homini inclamavit : Ne quid mali tibi feceris! nemo enim effugit; *omnes sumus* HIC (ἁπαντες εσμεν ενθαδε)! — Emphasis est in voce ενθαδε, quae ideo a fine sententiae posita est. Nimirum putaverim, vinctos, qui in *exteriori* carcere manebant, inde, apertis ostiis, ingressos fuisse in *interiorem* carcerem, ubi erant Paulus et Silas. Interficere se volebat carcerarius necdum interiorem carcerem introgressus, ut ex sequentibus liquet.

29—30. *Petitoque lumine introgressus est*, etc.). Credibile est, carcerarium, cum ad carcerem accurreret, non sine aliquo ministro aut satellite accurrisse. Hunc ergo *lucernas* (φωτα) afferre iusserit. Quibus allatis, festinanter introivit (εισεπηδησε) in interiorem carcerem. Cumque vidisset, rem habere sicut Paulus illi dixerat, iam facile sensit, ea quae gesta hic erant, gesta fuisse vi quadam humanâ superiori. Quare sacro quodam horrore perculsus ac *tremefactus* (εντρομος γενομενος), procidit ad pedes Pauli et Silae, *eductosque* (προαγαγων Aor.) e carcere ita allocutus est : Domini, quid mihi faciendum est, ut salutem consequar? — Non potuerat non ad aures carcerarii pervenisse, Paulum et Silam non alia de causa in carcerem fuisse coniectos, quam quòd novam quamdam religionem introducerent; et facile quoque inaudiverit de salute quadam aeterna, quam religionem illam amplectentibus Apostoli promitterent. Itaque quum post ea omnia quae acciderant, auxiliante illi divina gratia, persuasum haberet Paulum et Silam viros esse sanctissimos, et vera esse quae praedicarent, de sua salute homo sollicitus ab iisdem quaesivit, quid se facere oporteret ad salutem consequendam.

31. *At illi dixerunt : Crede in Dominum Iesum*, etc.). h. e. *Christi religionem amplectere*, vel *fac te Christianum*. Hac latitudine significationis isthaec loquendi ratio passim occurrit, v. g. Act. Cap. XI : 17, 21; XVIII : 8. Ergo fides intelligitur *obediens*, talis, inquam, quae et credit quae Iesus docuit, et facit quae idem facienda praecepit. Quod et series narrationis hic perspicue docet. Nam pergit Lucas : *locuti sunt ei*, inquit, *verbum Domini* (τον λογον του Κυριου); quo sermone profecto adimpleverint Apostoli hoc Christi mandatum (Matth. XVIII : 19, 20) : *Docete omnes gentes, baptizantes eos, docentes eos* SERVARE *omnia quaecumque mandavi vobis.*

33. *Et tollens eos*, etc.). Postquam Apostoli carcerario eiusque familiae et domesticis (vs. 32 : πασι τοις εν τῃ οικιᾳ αυτου) summa Christianae doctrinae capita exposuissent, sinceramque omnium fidem et anteactae vitae poenitens cor (cf. Cap. II : 38; XXVI : 20) satis explorata haberent, *sine mora baptizatus est et carcerarius et omnis domus eius*[1] (και οι αυτου, *et sui;* en de zijnen). Ante tamen quam baptizaretur, ut series narrationis indicat, carcerarius Apostolos *lavit a plagis eorum* (ελουσεν απο των πληγων); quod dictum est *praegnanter* pro *lavit* purgando *eos a* sanguine *plagarum*, quas Praetores illis impegerant (vs. 23). Vide Gr. p. 199 et 401. *Adnot.* — Putaverim παραλαβων illud referendum esse ad eam classem verborum, de quibus diximus supra ad Cap. VIII : 35.

34. *Cum perduxisset eos in domum suam*, etc.). Αναγαγων, *cum reduxisset.* Nimirum ανα in Compositis etiam significat *repetitionem.* Vide Zeunium ad Viger. Cap. IX, Sect. I, VII. Puta institutionem illam in doctrina Christiana (vs. 32) factam fuisse *in aedibus* carcerarii; deinde *egressos* omnes in atrium, aquâ piscinae, quae forte ibi esset, fuisse baptizatos, post lotos a cruore suo Paulum et Silam; hisque ita gestis, Apostolos a carcerario in aedes suas fuisse reductos. — Carcerarius ergo *cum reduxisset* (αναγαγων Particip. Aor. cum *reduplicatione;* vide supra ad Cap. V : 27) Apostolos in aedes suas, *mensam ipsis apposuit* (παρεθηκε τραπεζαν); quod illis istius noctis vigilia et praecedente sanguinis effusione viribus exhaustis non ingratum fuerit. Ad carcerarium quod attinet, hominem post acceptum baptismum spirituali gaudio perfusum Lucas memorat. *Laetatus est*, inquit, quòd *cum domo sua* (πανοικι) *Deo credidisset;* laetatus est πεπιστευκως τῳ

[1]) An fuerint nec-ne infantes inter baptizatos carcerarii domesticos, certo dici nequit.

De paedo-baptismo ex solis Scripturis non satis firmiter probato, vide contra Protestantes agentem R. P. Perronium, Praelect. Theolog. *De Baptismo*, Cap. VI, Prop. 1.

Θεῳ, *tamquam is qui credidisset*. Nempe Participium *causam* indicat *cur* fuerit laetatus. Eodem modo dicitur I Cor. XIV : 18 : Ευχαριστῳ τῳ Θεῳ μου παντων ὑμων μαλλον γλωσσαις λαλῶν. — Adverbium πανοικι, quod valet συν ὁλῳ τῳ οικῳ, iungendum est cum πεπιστευκως.

35. *Et cum dies factus esset*, etc.). Quae adhuc narrata sunt, nocturno tempore gesta erant omnia; post quae Paulus et Silas, ultro, ut pronum est iudicare, in carcerem se receperant (vs. 40). *Primo autem diluculo* (ἡμερας δε γενομενης) miserunt *Praetores* (οἱ στρατηγοι) *lictores suos* (τους ῥαβδουχος, ita dictos *a virgis* (ῥαβδοι) quas gestabant), qui carcerario mandarent, ut Paulum et Silam sineret abire liberos. — Certo nequit dici, quid moverit Praetores ut sic agerent. Nam ad eorum notitiam iam pervenisse ea, quae illa nocte acciderant, non liquet; et quod Paulus et Silas *cives Romani* essent, post demum (vs. 38) didicerunt. Forsitan sibi timebant, quòd eos, incognita causa, flagellassent; nam in hoc fecerant contra ius Romanorum. Vide dicta ad Cap. XXV : 16.

36. *Nuntiavit autem custos carceris*, etc.). Carcerarius ubi Paulo renuntiasset, eos ex Praetorum mandato e carcere esse dimittendos, ille negavit, se ita, clam omnibus, exituros. Nimirum Praetores forte sparsissent rumorem, Paulum et Silam, effracto carcere, summo mane effugisse; et Apostoli visi fuissent homines male sibi conscii; quod cessisset in damnum rei Evangelicae. Volebat ergo Paulus, ut Praetores ipsi venirent e carcere eos educturi, quo bene testata esset eorum innocentia; ideo dixit : *Caesos nos*, etc.

37—38. *Paulus autem dixit eis : Caesos*, etc.). Ex eo quod dicitur *dixit* EIS (scil. lictoribus illis), colligitur, lictores unà cum carcerario ad Apostolos ivisse. Pauli verba indignantis sunt et cum exclamatione legenda. *Iniudicatos* (ακατακριτους) nos publicitus

flagellarunt (δειραντες), nos, cives Romanos, quos deinde in carcerem coniecerunt; et nunc clanculum nos *eiiciunt* (εκβαλλουσι)! *Non sane* (ου γαρ) *ita fiet!* sed veniant ipsi (*lictores*), et (*honeste*) nos *educant* (εξαγαγετωσαν). — Dicitur εκβαλλουσι in *Praesenti*, quia illa *clanculum eiiciendi* actio iam tum quodammodo fiebat. De ου γαρ hoc loco vide Zeunium ad Viger. Cap. VII. Sect. XIII. IV.

38. *Nunciaverunt autem magistratibus lictores*, etc.). Haec verba Pauli lictores retulerunt *Praetoribus* (τοις στρατηγοις); qui *quum audissent* (ακουσαντες) quod essent *cives Romani* (Ῥωμαιοι), sibi timuerunt. Nimirum egerant Praetores contra Leges Porciam et Semproniam[1], secundum quas nefas erat virgis caedere civem Romanum. Hoc qui fecisset, reus erat laesae maiestatis populi Romani, et in Urbe causam dicere cogebatur. Nempe in cive Romano laeso, ipsa populi Romani maiestas laesa habebatur. Et graviter hoc crimen punitum fuisse, adductis veterum scriptorum testimoniis probat Kuinoëlius ad praesentem Lucae locum. Idemque monet, Praetores testimonio Pauli, se civem Romanum esse, vel ideo facile fidem habuisse, quod capitali poena puniebantur, qui ius civitatis mentirentur, ut patet ex Suetonio (in Vita Claud. Cap. XXV). De *Paulo cive Romano* vide infra Cap. XXII : 25, sqq. Civem Romanum etiam Silam fuisse, liquet tum ex verbis Pauli (vs. 37), tum etiam ex vs. 38. Cives Romanos eos esse, Praetores scire potuissent, si furenti populo non cessissent, nec *iniudicatos* (ακατακριτους) condemnassent.

39—40. *Et venientes deprecati sunt*, etc.[2]). Praetores suo

---

[1]) Vide Grotium ad Act. XXII : 25. Cf. etiam Rosini Antiqq. Rom. Lib. VIII, Cap. 2. *De civitate et jure civium Romanorum*. Ad idem ius pertinebat etiam Lex Valeria. Vide Rosin. l. l.

[2]) VAR. LECT. Versiculus hic in Cod. D., multis verbis a glossatore quodam additis, sic legitur : Και παραγενομενοι μετα φιλων πολλων εις την φυλακην, παρεκαλεσαν αυτους εξελθειν, ειποντες· ηγνοησαμεν τα καθ᾽ ὑμας, ὁτι

iam capiti timentes, ad incarceratos *venerunt*, et blandis verbis *eosdem adhortati sunt* (και ελθοντες παρεκαλεσαν αυτους), ut ignoscerent quod per populi tumultum contigisset; deinde honoris causa ipsi e carcere illos *eduxerunt* (εξαγαγοντες Aor.), eductosque rogarunt ut ex ea urbe (της πολεως) vellent egredi, hoc puta obtentu, ne quid triste ab irata plebe illis accideret. Cui petitioni Apostoli satisfaciendum esse putarunt. Itaque e carcere *egressi* (εξελθοντες) *in domum Lydiae venerunt* (εισηλθον προς την Λυδιαν); cumque *vidissent* (ιδοντες) Christianos Philippenses, in domo Lydiae, ut videtur, congressos, omnesque *adhortati essent* (παρεκαλεσαν), ut in suscepta fide constantes permanerent, relictis Philippis (εξηλθον), aliò profecti sunt. — Historia tacente, dici nequit, quid causae fuerit, cur soli Paulus et Silas haec a Philippensibus passi fuerint; nam et Lucas et Timotheus unà cum illis Philippos venerant. — Cum Paulus et Silas Philippos relinquerent, Lucas et Timotheus ibi remansisse videntur. Cf. Prolegomena in Ep. ad Philipp. § 2, p. 4.

εστε ανδρες δικαιοι **Και** εξαγαγοντες παρεκαλεσαν αυτους λεγοντες· εκ της πολεως ταυτης εξελθατε, μηποτε παλιν συστραφωσιν ἡμιν επικραζοντες καθ' ὑμων.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

Argumentum. Paulus et Silas, relictis Philippis, per Amphipolim et Apolloniam veniunt Thessalonicam; ubi Paulus per tria continuò sabbata in synagoga Iesum Messiam praedicat; ex proselytis bene multi, ex Iudaeis vero nonnulli tantum fidem Christianam amplectuntur, vs. 1—5. Sed mox Apostoli, ob oxcitatam in se ab incredulis Iudaeis persecutionem, Thessalonicam relinquere coguntur, vs. 5—10. Ergo in Beroeam profecti, Iudaeis ibi commorantibus Evangelium praedicant, idque magno cum fructu; ex Gentilibus quoque non pauci ad Apostolorum praedicationem Christiani fiunt, vs. 10-12. Sed non ferunt hunc Evangelii progressum Iudaei Thessalonicenses, Apostolorum persecutores; quare Beroeam profecti, etiam illic plebem adversus eos concitant, vs. 13. Relicta Beroea, Paulus venit Athenas, vs. 14—16. Ibi dum collegas suos, Silam et Timotheum exspectat, de re religiosa sermocinatur in Synagoga cum Iudaeis et proselytis, et in foro cum obviis quibusvis; et a philosophis nonnullis Epicuraeis et Stoicis in Areopagum adductus ut ibi doctrinam suam exponat, verba facit, non sine fructu, de colendo uno vero Deo contra idololatriam, item de Iesu a mortuis ad vitam revocato, et humani generis iudice constituto, vs. 17—34.

1. *Cum autem perambulassent Amphipolim*, etc.). Relictis Philippis, Apostoli *iter fecerunt per* (διοδεύσαντες) Amphipolim et Apolloniam, atque ita *venerunt*[1] (ἦλθον) Thessalonicam, ubi erat *synagoga* (ἡ συναγωγή) Iudaeorum. — Dicitur cum Articulo ἡ συναγωγή[2], ad indicandum, ut videtur, Philippis, Amphipoli, et Apolloniae *nullas* fuisse synagogas, Thessalonicae autem fuisse synagogam *illam, quam* subinde adirent illarum quoque civitatum Iudaei.

Amphipolis, urbs Macedoniae, sita erat ad fluvium Strymonem, haud procul a Philippis. Vide Cellarii *Notit. Orbis Antiqui* Lib. II, Cap. XIII, Sect. 3, § 77. Inter Amphipolim et Thessalonicam iacebat Macedoniae urbs Apollonia, unius diei intervallo ab Amphipoli distans. Vide Cellar. ibid. Sect. 2, § 53. Thessalonica, urbs maritima, hodie *Saloniki* dicta, ad supremum sinum Thermaicum (*golfe de Saloniki*) iacet.

---

[1]) Ab hoc inde loco usque ad Cap. XX : 5 Lucas denuo narrat in tertia persona. Ex quo conficitur, illum hoc temporis spatio non fuisse inter Pauli comites. Vide quae monuimus supra ad Cap. XVI : 10.

[2]) Codd. ABD et Minusculi nonnulli Articulum hoc loco non habent.

2—3. *Secundum consuetudinem autem*, etc.). Thessalonicae praedicaturus Evangelium Paulus, primùm, pro more suo (cf. Cap. XIII : 46; XIV : 1), ad Iudaeos *ingressus est* (εισηλθε), et per tria continuò sabbata de re religiosa *verba ad eos fecit* (διελεγετο αυτοις), petito argumento *a Sacris Scripturis*, indeque *apertum faciens* (διανοιγων) *et docens* (και παρατιθεμενος), quod *Messias ille* in Scripturis *promissus* (τον Χριστον) debebat pati et a mortuis resurgere; quo probato, ostendebat, *ipsum hunc* promissum *Messiam* (ὁτι οὑτος) esse Iesum Messiam (ὁ Χριστος Ιησους), quem ipsis praedicabat, utpote cui illae notae conveniebant.

In phrasi : κατα δε το ειωθος τῳ Παυλῳ, εισηλθε, est *Attractio* quaedam; valet enim : *secundum id quod fieri solitum erat a Paulo,* Paulus *ingressus est*. Το ειωθος valet το ειθισμενον. Cf. Buttmanni Gramm. max. Vol. 2, § 114. Τῳ Παυλῳ pro ὑπο του Παυλου. Vide supra ad Cap. V : 9. — Διαλεγεσθαι τινι nunc quidem valet *disserere, disputare, colloqui cum aliquo*, nunc vero simpliciter *alloqui aliquem, verba facere ad aliquem*. Exempla collegit Kuinoëlius ad h. l. Et posteriori quidem sensu verbum διαλεγεσθαι hic sumendum esse, circumstantiae rei suadent. — Απω των γραφων iungendum est cum διελεγετο αυτοις, non vero cum διανοιγων, quod durum sit. Vim Praepositionis απο in hac oratione Gallice expresseris, si dicas : *en parlant* des (απο) *Saintes Ecritures*. — Medium παρατιθεσθαι in hac orationis conformatione est *docendo proponere*, sive *docere*, ut 2 Timoth. Cap. II. 2. Conferri possunt Nostratium *voorstellen*, et *voordragen*. In ὁν εγω est *oratio variata*, quum ab oratione obliqua transeatur ad rectam, ut Cap. I : 4.

4. *Et quidam ex eis crediderunt... et de colentibus gentilibusque*[1], etc.). Ad hanc Pauli praedicationem *nonnulli ex Iudaeis*[2]

---

[1]) Var. lect. In Codd. AD et duobus Minusculis (13 et 40) pro σεβομενων Ἑλληνων legitur: σεβ. και Ἑλληνων, quam lectionem etiam Vulgata exhibet.

[2]) Intelliguntur *Iudaei nati*, et *Proselytae iustitiae*, quum distinguantur a

(τινες εξ αυτων) *persuaderi sibi passi sunt* (επεισθησαν), et religionem professi Christianam, *associati sunt* (προσεκληρωθησαν) Paulo et Silae; et *Proselytorum portae* (των τε σεβομενων Ἑλληνων. vide ad Cap. XIII : 16) *persuaderi sibi passa est* (i. e. credidit. repetendum est επεισθησαν) magna multitudo, et in hac mulieres (proselytae) urbis primariae non paucae. — Secundum lectionem Vulgatae dicuntur hic Christianam fidem amplexi *nonnulli Iudaei, multi Proselyti, multi Ethnici, et mulieres primariae non paucae.*

Επεισθησαν Aor. Pass. a πειθω, sensu *Medio*, ut infra Cap. XXVIII : 24. Vide Gr. pag. 266. 5. — Προσκληροω primum quidem notat *sorte adlego*, sive *sorte lectum adiungo;* mox vero etiam simpliciter *adiungo, associo*, ut in hoc Philonis (De Decal. p. 760 apud Kuinoëlium ad h. l. : τινες τῃ ἑτερᾳ μεριδι προσκληρωσαντες αὑτους, εδοξαν της ἑτερας ολιγωρειν, i. e. *Sunt qui alteri parti addicti, alteram videntur contemnere.*

5. *Zelantes autem Iudaei assumentesque*, etc.). Iudaei autem Thessalonicenses increduli, ob illum Christianismi profectum praepostero pro Mosaismo *zelo accensi* (ζηλωσαντες), et *adiunctis sibi* (προσλαβομενοι, *bij zich genomen hebbende*) ex *circumforaneis aliquot* (των αγοραιων τινας) *viris malis*, *tumultu excitato* (οχλοποιησαντες), civitatem perturbarunt, *adortique aedes Iasonis* (επισταντες τε (ut vs. 12) τῃ οικιᾳ Ιασονος), apud quem noverant (vs. 7) hospitari Paulum et Silam, volebant eos producere in *publicum* (εις τον δημον); haud dubie ut Apostoli a plebe male tractarentur.

τοις σεβομενοις Ἑλλησι i. e. *Proselytis portae*. Vide ad Cap. XIII : 16, et Cf. XVII : 16.

[1]) Var. lect. Haec pars (προσλαβομενοι δε οἱ Ιουδαιοι οἱ απειθουντες) versiculi quinti in Codd. MSS. et antiquis versionibus magna varietate legitur (vide Scholzii N. T. ad h. l.), quae tamen sensum nihil mutat. Lachmann (in sua edit. N. T.) et Rinck (*Lucubratio critica in Acta Apostolorum, Epistolas Catholicas et Paulinas* Basileae 1830, p. 75) huius loci germanam lectionem esse hanc existimant: Ζηλωσαντες δε οἱ Ιουδαιοι, και προσλαβομενοι των κ. τ. λ., quam lectionem ad amussim Vulgata nostra refert.

6—7. *Et cum non invenissent eos*, etc.). Paulus et Silas aut tunc forte aberant a domo Iasonis, aut, rem praevidentes, mature se in aliam domum contulerant. Ergo factiosi isti domum Iasonis ingressi ut Apostolos inde extraherent, *cum non invenissent* (μη ἑυροντες) quos quaerebant, ipsum Iasonem, cumque hoc *Christianos alios nonnullos* (τινας αδελφους), ibi forte repertos, *pertraxerunt* (εσυρον) *ad urbis praefectos* (επι τους πολιταρχας), *vociferantes* (βοωντες) haec: Isti homines (intelligunt Christianae religionis praedicatores universe), qui *universum orbem* (την οικουμενην) *perturbarunt* (αναστατωσαντες), illi huc quoque venerunt; hospitio eos excepit Iason; *et hi omnes* (και οὑτοι παντες. scil. Paulus, Silas, Iason, et illi αδελφοι. vs. 6) contra decreta Caesaris faciunt, *quippe qui dicunt alium*, praeter Caesarem, nobis *esse regem* (βασιλεα λεγοντες ἑτερον ειναι), nempe Iesum.

Τα δογματα Καισαρος ea intellexerint, quibus cautum erat, ne quis in regionibus devictis rex diceretur, nisi Caesaris permissu. Cf. Grotium ad h. l. Itaque Apostolis ceterisque Christianis, quòd Jesum Messiam dicerent regem ac Dominum, calumniatores isti crimen impingebant seditionis contra Imperatorem Romanum. — Pro την οικουμενην legitur in Vulgata *urbem*, quam vocem contexta oratio non patitur; haud dubie legendum est *orbem*. — Vox αναστατοω valet αναστατον ποιειν. Propria ea est, ut videtur, dialecto Alexandrinae. Cf. Sturzium *De dialecta Macedonica et Alexandrina*, p. 146. — Ὑποδεδεκται Perf. Passiv. significatione activa, ut προσκεκληται, supra, Cap. XIII : 2.

8—9. *Concitaverunt autem plebem*, etc.). *Perturbarunt* animos (εταραξαν) magistratuum populique *calumniosam hanc accusationem audientium* (ακουοντας ταυτα). Nimirum metuerint, ne civitas eorum pro seditiosa haberetur a Romanis. Et magistratus, *satisdatione accepta* (και λαβοντες το ἱκανον) a Iasone et reliquis, qui unà cum illo in forum adducti fuerant, eos dimiserunt.

Ἱκανον λαμβανειν, quod hic notat Kuinoëlius, proprie est formula forensis Latina *satis accipere*, *satisdationem accipere*, cui opponitur ἱκανον διδοναι, *satis dare*, h. e. praedes sistendo aut pecuniam deponendo securum reddere eum, qui aliquid a te postulat, et promittere te hoc facturum esse, *Bürgen stellen*, aut *caution stellen*. — Accusati magistratibus explicuerint, qualis esset indoles regni Iesu Messiae, et de se spoponderint, se esse ab omni seditione quam remotissimos. Sed quanam in re eorum *satisdatio* constiterit, non liquet.

10—11. *Fratres vero confestim*, etc.). Christiani autem Thessalonicenses quum nihilominus Paulo et Silae timerent ab odio Iudaeorum, *nihil cunctati* (ευθεως) per noctem insequentem clam illos emiserunt Beroeam. — Legenda est hic Pauli ad Thessalonicenses epistola prior (Cap. 1—3), ubi aliquantulum explicatius sermo est de ortu Thessalonicensis ecclesiae. Beroea, Macedoniae urbs, ad montem Bermium sita erat, prope Pellam, Alexandri Magni patriam. Vide Cellarii *Notit. Orb. Antiq.* Lib. Cap. XIII, Sect. 2, § 38.

Qui cum venissent, in synagogam, etc.). Beroeam *ubi advenissent* (παραγενομενοι) Paulus et Silas, *abierunt* (απηεσαν) in synagogam Iudaeorum, pro more (vs. 2) primùm Iudaeis Evangelium praedicaturi. *Beroeenses autem Iudaei* (οὑτοι δε) *generosiores* (ευγενεστεροι) erant *quam illi*[1] *qui Thessalonicae degebant* (των εν Θεσσαλονικῃ[2]). *Quippe qui* (οἱτινες Iudaei Beroeenses) doctrinam Evangelicam (τον λογον) exceperunt *cum summa* (μετα πασης, ut Philip. I : 20) animi promptitudine (h. e. avidas aures praebebant Paulo et Silae Evangelium praedicantibus), quotidie *scrutantes* (ανακρι-

[1]) *Eorum* pro *iis* scripsit Interpres noster, hoc loco graecissans, ut et I Cor. XIII : 13.

[2]) Ευγενεστεροι Gallice exprimerem : *ils avaient des sentiments plus nobles*. Scilicet non excitabant tumultum in Apostolos, nec detrectabant eos audire.

νοντες) Sacras Scripturas in eum finem, ut cognoscerent, *an* (ει) *haec* (ταυτα) *ita se haberent.*

Apostoli in praedicando Iudaeis Evangelio hanc rationem sequebantur (vs. 2 et 3), ut ex Sacris Scripturis docerent, quaenam essent promissi Messiae notae, quas deinde ad amussim in Iesum Nazarenum quadrare ostendebant. Beroeenses ergo pervolvebant Scripturas, ut cognoscerent, *an haec* (ταυτα), i. e. ea quae Apostoli dicebant de notis promissi Messiae, *ita* reapse *haberent* (ει εχοι ταυτα οὕτως). Probe autem hic notandum est, institutum ab illis fuisse illud examen, antequam Christianam religionem essent professi. Et probabile est, ipsos Paulum et Silam auditores suos ad instituendum illud examen fuisse adhortatos. Quod autem monui, institutum illud examen fuisse a Beroeensibus necdum religionem Christianam professis, id quidem ex contexta oratione probatur. Nam Lucas post demum quam examen illud memoravit, enarrat, multos fidem Christianam fuisse amplexos (επιστευσαν); et postquam dixit de Beroeensibus OMNIBUS, quod Apostolis evangelizantibus avidas aures praebebant et Scripturas pervolvebant, addit, *eorum* MULTOS *credidisse* (πολλοι μεν ουν εξ αυτων επιστευσαν); atqui si illi ανακρινοντες τας γραφας iam erant fideles, credidissent OMNES. Quae cum ita sint, patet profecto, quam falso et inscite hunc Scripturae locum urgeant Protestantes contra magisterium Ecclesiae.

12. *Et multi quidem*, etc.). Beroeensium Iudaeorum multi (πολλοι εξ αυτων) ad Apostolorum praedicationem Christianam religionem amplexi sunt (επιστευσαν); quod et fecerunt *complures* (ουκ ολιγοι) Graecae mulieres primariae atque viri. Complures illi viri atque mulieres ex ethnicis fuisse videntur, quum nullo modo tamquam proselyti designentur. — Dictio μεν ουν est hic *transeuntis*, ut supra Cap. VIII : 25.

13. *Cum autem cognovissent in Thessalonica Iudaei*, etc.).

Cum autem cognovissent *Iudaei Thessalonicenses* (οἱ απο της Θεσσαλονικης Ιουδαιοι (*de Joden van Thessalonica*), *quod*, ut pridem Thessalonicae, ita nunc *etiam Beroeae* (ὁτι και εν) praedicaretur a Paulo Christiana religio, illuc venerunt: et, ut nuper Thessalonicae fecerant (vs. 5—9), *etiam ibi* (κᾀκει) multitudinem adversus Apostolos concitaverunt.

Κᾀκει iungendum est cum σαλευοντες, non autem cum ηλθον. Nam Iudaei Thessalonicenses non *etiam* (και) venerant Thessalonicam, sed erant ibi; verum quemadmodum tumultum excitaverant Thessalonicae, ita, Beroeam profecti, *etiam ibi* (κᾀκει) tumultum excitaverunt. — Participium σαλευοντες vim *Imperfecti* hic habet. Belgice diceres : zij kwamen naar Beroea, *ook daar het volk opruijende*.

14. *Statimque tunc Paulum dimiserunt fratres*, etc.). Christiani Beroeenses (οἱ αδελφοι) sat intelligentes, timendum esse Pauli vitae ab illo tumultu, *protinus tunc* (ευθεως τοτε) eum Beroeâ *emiserunt* (εξαπεστειλαν), *ut proficisceretur* (πορευεσθαι Infinitivus *finis*) *ad mare* (ὡς επι την θαλασσαν), Aegeum nempe. Beroea non multum a littore distabat. Addit Lucas, Beroeâ proficiscente Paulo, remansisse ibi Silam et Timotheum. — Timotheus unà cum Paulo venerat Philippos; Paulus sine illo Philippos reliquerat. Hic vero legimus, ambos adfuisse Beroeae; sed tacetur, quando aut unde Timotheus ad Paulum redierit.

Ubi simplex επι suffecisset, scriptores bene Graeci saepe dixerunt ὡς επι. Quam in rem affatim exemplorum ex Xenophonte, Polybio et Arriano affert Raphelius (in *Annott. Philolog.* ad h. l.). Alia dabit Zeunius ad Viger. Cap. VIII, Sect. X, § XVI. De notione autem quae in dictione ὡς επι subiecta sit Particulae ὡς, discrepantes sunt Grammaticorum sententiae. Placet sententia Hartungii. Existimat is (apud Kühner p. 264, in nota) esse in lingua Graeca, praeter ὡς vulgare, et aliud ὡς, quod contractum sit ex

ἑως. Si ita res habeat, ὡς επι in praesenti loco valeret Latinorum *usque ad*[1].

15. *Qui autem deducebant Paulum,* etc.). Christiani autem qui Paulum Beroeâ *deducebant* (καθιστωντες), *perduxerunt* (ηγαγον) eum usque ad Athenas; et quum ibi accepissent a Paulo *mandatum* (λαβοντες εντολην) ad Silam et Timotheum, ut hi *quam celerrime* (ὡς ταχιστα) ad eum venirent, Beroeam reversi sunt. — Silam et Timotheum huic mandato satisfecisse, colligitur ex Ep. ad Thessalonicenses Cap. III : 1, 2. — Καθισταω significat *sisto*, *colloco in aliquo loco;* sed mox etiam *perduco* aliquò; exempla dabit Raphelius (in *Annott. philolog.* ad h. l.

16. *Paulus autem cum Athenis*, etc.). Paulus collegas suos, Timotheum et Silam (vs. 15), Athenis exspectabat. Qui eum urbem perambularet videretque eam *esse idolis refertam* (κατειδωλον ουσαν), ob tantam superstitionem vehementer animo commotus est. — Dixit alicubi Theodoretus, Athenas inter cunctas orbis urbes obtinuisse idololatriae primatum. Quod verissime dictum esse, probant Strabonis, Pausaniae, Luciani, aliorumque Gentilium scriptorum hanc in rem testimonia, quae collegit Wetstenius ad praesentem Actorum locum. Exinde constat, Athenienses tam idolorum atque ararum copia, quam festorum dierum frequentia, reliquos Graecos multum superasse. Sic, ut hoc utar, Pausanias (in Attic. I : 24) de Atheniensibus : Αθηναιοις, inquit, περισσοτερον τι η τοις αλλοις ες τα θεια εστι σπουδης. i. e. *Athenienses religionis studio alios* (Graecos) *superant.*

De Genitivo absoluto (εκδεχομενου του Παυλου) hoc loco, idem dictum puta quod notavimus supra (Cap. XVI : 16) ad Genitivum absolutum πορευομενων ἡμων. — Παροξυνετο *proprie* valet *acue-*

[1]) Pro ὡς legitur ἑως in Codd. AE et aliquot Minusculis.

batur; sed *metaphorice* de cuiuspiam *animo* si dicatur, significat *exacerbabatur*, irritabatur, excandescebat, puta prae *indignatione*, aut *dolore*; quibus affectibus Pauli tunc animus commotus fuerit. — Θεωρουντι est Participium Imperfecti. — Ad vocem κατειδωλον, quam reddidimus *idolis refertam*, nota Praepositionem κατα, si iungatur Adiectivis, interdum etiam hanc potestatem habere, ut *copiam*, aut *repletionem* connotet. Sic καταμπελος est *vineis refertus;* καταδρενδος χωρα, *regio arboribus referta;* κἄταφοβος, *plenus timore*. Videsis Zeunium ad Viger. Cap. IX, Sect. V, § XIII, p. 637, sq.

Auctorem libri Actuum iniurià *falsitatis* hic arguit[1] Wettius. Quod obiicit tale est: Athenas perductus Paulus mandat ut Silas et Timotheus, quos Beroeae reliquerat, ipsi quoque Athenas veniant quam celerrime. Et reapse eò venisse Silam et Timotheum, id quidem colligitur ex his verbis prioris ad Thessalonicenses Cap. 3. 1. 2: *Propter quod non sustinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis, solis; et misimus Timotheum... ad confirmandos vos.* Atqui alibi (Act. Cap. XVIII: 5) Silas et Timotheus dicuntur venisse ad Paulum tum demum, quando is, relictis iam Athenis, Corinthi morabatur.

Ad haec ita respondemus: auctor libri Actuum eo loco (Cap. XVIII: 5) dicit, Silam et Timotheum ad Paulum Corinthi degentem venisse *de provincia Macedonia,* non vero dicit eos illuc venisse *ab urbe Beroea;* ergo non negat eos ab urbe Beroea venisse Athenas ad Paulum ibi eosdem praestolantem. Scilicet hunc Beroeà ad urbem Athenas Timothei et Silae adventum, Lucas, ut alia, silentio praetermisit. Itaque nulla hic falsitas est aut contradictio. Nimirum gestae sunt res hoc ordine: mandat Paulus Silae et Timotheo, ut Beroeà veniant Athenas, ubi eos praestolaretur. Veniunt Athenas Silas et Timotheus. Iam Timotheus Athenis Thessaloni-

[1]) Vide Prolegomena nostra in Act. Ap. pag. V.

cam mittitur, et Silas in alium Macedoniae locum (Thessal. III : 1, 2). Tum, relictis Athenis, Paulus proficiscitur Corinthum, ubi ad eum veniunt Silas et Timotheus *e Macedonia reversi* (Act. Ap. Cap. XVIII : 5).

17. *Disputabat igitur in synagoga*, etc.). Graece διελεγετο μεν ουν, ubi μεν ουν formula est *transeuntis*, ut supra Cap. VIII : 25. Διαλεγεσθαι τινι reddiderim *verba facere ad aliquem*. Vide supra ad vs. 2. Nimirum agitur de praedicando Evangelio Iudaeis in synagoga collectis; nec ullo, quod sciam, exemplo probatur, id a Paulo subinde factum fuisse in modum dialogi aut cuiusdam concertationis. Phrasis διαλεγεσθαι τινι de *verba faciendo ad aliquem* certo adhibetur Act. Cap. XX : 7. Cf. etiam Ep. ad Hebr. Cap. XII : 5. Διαλεγεσθαι προς τινα in usu pariter valet tum *disputare*, *colloqui cum aliquo*, tum etiam *verba facere ad aliquem*; posteriorem notionem praesenti loco convenire existimaverim; nam Lucas innuere videtur (vs. 18), Paulum cum solis Epicuraeis et Stoicis illis philosophis disceptasse.

Sensus est : Paulus, interea dum collegas suos operiebatur, die sabbati in Synagoga verba faciebat ad Iudaeos et *ad proselytos* (τοις σεβομενοις. vide supra ad Cap. XIII : 16), et in foro, more philosophorum, quotidie ad obvios quosque, qui aures illi praebere vellent.

---

[1]) « Plura erant Athenis fora. Ex his duo potissimum celebrabantur, *vetus* et *novum*. Forum vetus erat in Ceramico, tractu satis amplo, cuius pars aliqua extra urbem, pars vero reliqua intra illam. Vide *Meursii* Diss. de Ceramico gemino § 16, *Potteri* Archaeol. 1. 8, p. 40. Forum novum extra Ceramicum erat, in eo loco, cui nomen *Eretria;* vide *Meursium* in Athen. Attic. Lib. 1, Cap. 6. Atque hoc posterius forum hoc loco intelligendum videtur. Nullum enim forum, nisi Ceramicum et Eretriacum, absolute dictum est αγορα, sed semper additum nomen, quo cognosci posset, quodnam designaretur. Deinde eo tempore quo Paulus Athenis fuit, iam erat ex Ceramico in Eretriam forum translatum. Etenim aevo imperatoris Augusti id factum, et in Eretria maximos hominum conventus frequentatos esse, testatur Strabo. Praeterea hoc forum Eretriacum situm erat ante στοαν, *porticum*, in qua Stoici, quorum statim mentio fit, suas διαλεξεις habebant. » Kninoel ad h. l.

18. *Quidam autem Epicurei et Stoici philosophi*, etc.). Erant Athenis tunc temporis quatuor philosophorum sectae, nempe Platonica sive Academica, Aristotelica sive Peripatetica, Epicuraea, et Stoica, cuius auctor Zeno. In suburbio suam habebant Platonici academiam, et περιπατον suum Aristotelici; Stoicorum vero et Epicuraeorum scholae in ipsa erant urbe. Nescio tamen, an hinc repeti possit causa, cur in solos Stoicos et Epicuraeos philosophos Paulus inciderit. Certe S. Augustinus aliam huius rei causam assignat (Tract. *de Epicuraeis et Stoicis* Cap. IV). — Sensus est: Paulus in foro de re religiosa quotidie *verba faciebat* (διελεγετο) *ad obvios quosvis* (προς τους παρατυγχανοντας), qui aures ei praebere vellent. *Nonnulli vero etiam* (τινες δε και) philosophi Epicuraei et Stoici ibidem cum Apostolo *disputationem* habebant (συνεβαλλον). *Et quidam* (και τινες) ludibrio eum habentes, dicebant: Quid tandem dicere vult ille blatero (*wat mag die kakelaar toch willen* (τι αν θελοι) *zeggen*)? Alii vero dicebant: Peregrina numina annuntiare videtur! Nimirum Paulus praedicabat Iesum Dei filium, et futuram a mortuis resurrectionem; et quia Iesum Dei filium praedicabat, peregrinorum numinum praeco putabatur ab his; ab illis vero ludibrio habebatur, ut qui resurrectionem a mortuis doceret.

Videntur *nonnulli illi* (τινες δε και) philosophi non esse diversi ab iis, quorum porro dicteria citantur. Utrique philosophi, Stoici et Epicuraei, animorum negabant immortalitatem. Ergo quum Paulus, inter alia, futuram quoque mortuorum resurrectionem (την αναστασιν) praedicaret, fieri potuit, ut hinc illi philosophi (τινες δε και συνεβαλλον αυτῳ) occasionem disputandi cum eo arripuerint.

Συμβαλλειν τινι est *cum aliquo conferre*, puta λογους, *sermones*; hinc *colloqui*, *disputare*. Vox σπερμολογος (a σπερμα, *semen*, *granum*, et λεγω *colligo*) proprie dicitur, quod hic notat Kuinoelius, de avibus frugilegis, quae in agris seminatis inter sulcos non bene occà depressos projecta semina colligunt; spe-

ciatim ita dicuntur *cornices frugivorae, die Saatkrähen*... Ab iisdem avibus desumta metaphora, σπερμολογους Graeci nominabant pauperes, qui forum oberrantes, si quid ex mercibus et mercatorum sarcinis in terram decideret, legebant, vitamque hoc quaestu sustentabant. Eustath. ad Hom. Odyss. vs. 241 : Σπερμολογος ειδος εστιν ορνεου λωβωμενον τα σπερματα, εξ οὗ οἱ Αθηναιοι σπερμολογους εκαλουν τους περι εμπορια και αγορας διατριβοντας δια το αναλεγεσθαι τα εκ των φορτιων απορρεοντα, και διαζην εκ τουτων. Hinc ita dicti sunt *abiectae sortis homines, viles, contemti, nullius pretii*... Tum ita quoque nuncupati sunt *parasiti, homines scurrilitate et adulationibus victum sibi quaerentes, et de alieno viventes*... Ab avibus istis, quae neque cantu suo delectant, sed garritu perpetuo molestae sunt, σπερμολογοι denique etiam dicti sunt *nugatores, garruli, blaterones, vaniloqui.* » Posteriore hoc sensu vox σπερμολογος in praesenti loco sumenda est. — Gentiles *deos* suos sive *numina* generali nomine vocare solebant δαιμονας vel δαιμονια, quae duae voces significatione non differunt. Etsi vero Paulus locutus fuerat de *uno* Iesu, isti tamen in Plurali dicebant ξενων δαιμονιων, per Pluralem, ut opinor, significantes *genus rerum*, quas Paulus praedicabat.

19—20. *Et apprehensum eum*, etc.). *Cumque* amico modo manu *illum prehendissent* (επιλαβομενοι τε αυτου), duxerunt eum *in* (επι) *collem Martium* (τον Αρειον παγον), ut ibi a forensi strepitu remotus, curiosis Atheniensibus (vs. 22) locuturus, tanto fa-

[1]) Αρειος παγος proprio est *collis Martius*. Isidorus Pelusiota Ep. 91 (apud Suicerum ad h. v.) : Αρειος παγος εκαλειτο, inquit, το εν Αθηνησι δικαστηριον, ὁτι Αρης, ὡς φασιν, εκεισε δικας εδωκε. Παγος δε ὁ ὑψηλος τοπος· εν γαρ οχθῳ τινι ην εκεινο το δικαστηριον. h. e. *Areopagus vocabatur dicasterium illud Atheniense, quia illic Mars, ut aiunt, iudicium subierit. Pagus* (παγος) *autem est sublimis locus. In edito enim loco situm erat hoc tribunal.* Istius tribunalis iudices vocabantur *Areopagitae.* Officium eorum erat de gravioribus criminibus iudicare, atque etiam curam gerere rei religiosae.

cilius posset ab his audiri. In illo colle situm erat supremum apud Athenienses tribunal, quod, a loco sumpto nomine, pariter Αρειος παγος (*Areopagus*) vocabatur. Nec desunt qui dicant[1], Paulum eo tempore instar rei cuiusdam a foro ad Areopagiticum illud tribunal fuisse pertractum, ut ibi coram iudicibus causam suam ageret. Verum nihil dictum est in tota hac narratione, ex quo id colligi possit. — Vocem επιλαμβανεσθαι etiam de amica apprehensione a Luca dici, id quidem constat ex Act. Cap. IX : 27; XXIII : 19.

A foro in collem Martium abductum Paulum comiter ita rogant : *Licet-ne nobis cognoscere* (δυναμεθα γνωναι, *pouvons nous savoir*), *qualis* (τις) *sit nova illa, quae a te praedicatur* (λαλουμενη), *doctrina? nam peregrina quaedam* (ξενιζοντα τινα) *nostratibus praedicas* (εισφερεις εις τας ακοας ἡμων). *Cupimus igitur cognoscere, quidnam ista sibi velint :* distinctius intelligere cupimus ea quae doces.

Vocula τις (*quis*) valet ποιος (*qualis*), ubi sermo est de alicuius rei qualitate, conditione, dignitate, ut hoc loco, et Marc. I : 27; Luc. XXIV : 17, alibi. — Λαλειν de *publice docendo, praedicando* saepe usurpatur, ut v. g. Act. XIV : 25; XVI : 6; XX : 30. Pro ξενιζοντα τινα Belgice diceres *dingen die bevreemden; vreemde dingen*. Cf. I Petri IV : 4. 12. — Ακοη primum dicitur de *audiendi sensu* sive de *auditu*, ut I Cor. XII : 17; sed mox etiam de *instrumento audiendi*, sive *de auribus*, ut Marc. VII : 35. — Suidas: Ακοη· το μερος του σωματος. Etymologic. M. : Ακοη... λεγεται και το ους ὁλον (apud Schleuschnerum, in Lexic. ad h. v.).

21. *Athenienses autem omnes*, etc.). Hac adnotatione Lucas voluerit significare, Athenienses, quod vs. 19 et 20 fecisse dicuntur, fecisse non ex amore cognoscendae veritatis, sed ex vana quadam

[1]) In hac sententia esse video etiam Potterum. Vide *The antiquities of Greece by Iohn Potter. Edinburgh.* 1832. *Vol.* 1. *Book* 1. *Chap. XIX. On the senate and court of Areopagus.*

curiositate, quae ipsis propria ac veluti pro indole erat. Particula δε hic est *explicantis*, ut Ioan. IX : 14. — *Athenienses nempe universi* (Αθηναιοι δε παντες), inquit Lucas, *atque etiam peregrini* inter eos *commorantes* (και οἱ επιδημουντες ξενοι) *nulli alii rei vacabant, nisi ut aut dicerent aliquid novi, aut audirent*. Esse autem in hoc effato uonnihil hyperboli, nemo non sentit. Ceterum Atheniensium garrulam curiositatem notarunt quoque veteres scriptores, quorum hac de re testimonia quaedam collegit Wetstenius ad h. l. — Ευκαιρειν τινι Belgice fere valet *goed den tijd voor iets hebben*. Graecis antiquioribus ignotum fuit hoc vocabulum, sed a Polybio, Plutarcho, aliisque recentioribus adhibetur. Cf. Sturzium *de Dialecto Macedonica et Alexandrina*, ad h. v. — Imperfectum ευκαιρουν, quod sine Augmento hic scribitur, garrulam hanc Atheniensium curiositatem tamquam ipsis *consuetam* notat. Eodem modo *consuetudinem* sive *morem* indicat Imperfectum εθυον Marc. XIV : 12. — Pro τι καινοτερον Lucas scribere poterat τι καινον, ut fecit Scholiastes (ad Thucid. III : 38) : Ταυτα, inquit, προς τους Αθηναιους αινιττεται, ουδεν τι μελετῶντας, πλην λεγειν τι και ακουειν καινον.

22. *Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait*, etc.). *Sistens autem se* (σταθεις. vide ad Cap. II : 14) Paulus *in medio Areopagi*, puta, sub dio, in medio colle Martio (vide supra ad vs. 19), ad circumfusam multitudinem sic est locutus : Viri Athenienses, animadverto, vos esse *omni modo* (κατα παντα scil. τροπον, *allezins*) reliquis Graecis *religiosiores* (δεισιδαιμονεστερους).

Vox δεισιδαιμων, a δειδω *timeo* et δαιμων *numen* derivata, proprie eum notat[1] *qui Deos timet*. Plerumque *sensu bono* dicebatur

[1]) Apud Graecos scriptores Christianos δεισιδαιμων est *idololatra*. Docet hoc Etymolog. M. ad voc. δεισιδαιμονια, ubi haec leguntur : Ιστεον ὁτι παρα μεν τοις Ἑλλησιν επι καλου λαμβανεται· παρα δε ἡμιν τοις Χριστιανοις επι της ασεβειας λεγεται ἡ δεισιδαιμονια.

de viro *religioso*, ut idem valeret quod ευσεβης, θεοσεβης. Nonnumquam tamen etiam usurpabatur *malo sensu* de eo qui in re religiosa modum excederet. Hesychius : Δεισιδαιμων·... δειλος περι θεους. Δεισιδαιμονια· φοβοθεια. Pollux Onomast. 1. 34 : Ὁ δε ὑπερτιμων θεους, δεισιδαιμων. Non tamen putaverim, Paulum voluisse vocem illam hic adhibere malo hoc eodemque minus obvio sensu; neque enim credibile est, eum voluisse in ipso orationis exordio auditorum suorum animos offendere. Itaque δεισιδαιμονεστερους illos dixerit cum laudis quadam specie; atque haec sancti Chrysostomi quoque sententia est[1].

Particula ὡς si abesset, nihil inde mutaretur verborum sententia. Si vim eius particulae Latine exprimere vellis, dicas : *video vos* TAMQUAM (ὡς) *tales qui estis reliquis Graecis religiosiores.* — Comparativus δεισιδαιμονεστερους non est Positivi loco, sed alterum Comparationis membrum reticetur, quod nonnumquam fieri, notum est. Videsis Gr. pag. 250. 3. — Athenienses religione ceteros Graecos superasse, antiqui testantur. Sic Pausanias (in Attic. 24) : Αθηναιοις, inquit, περισσοτερον τι η τοις αλλοις ες τα θεια εστι σπουδης, et Xenophon (De Republ. Athen.) refert, Athenienses *agere dies festos duplo plures quam ceteros* (αγειν ἑορτας διπλασιους η τους αλλους). — Illud κατα παντα refero ad *varias res*, quibus Athenienses se δεισιδαιμονεστερους quam ceteri Graeci demonstrabant. Puta, Athenienses excelluisse maiore numero deorum, statuarum, templorum, ararum, dierum festorum, etc.

23. *Praeteriens enim, et videns simulacra vestra*, etc.). Apostolus ad probandum (γαρ) quod dixerat (*animadverto, vos esse ce-*

Clemens Alexand. (Strom. VII apud Suicerum, ad v. δεισιδαιμων) ita describit δεισιδαιμονα· Δεισιδαιμων, inquit, ὁ δεδιως τα δαιμονια, ὁ παντα θειαζων, και ξυλον, και λιθον, και πνευμα.

[1]) Ὡσπερ εγκωμιαζων αυτους, δοκει ουδεν λεγειν βαρυ. Ὡς δεισιδαιμονεστερους ὑμας, φησι, θεωρῶ· τουτεστιν, ευλαβεστερους.

teris Graecis religiosiores), missis aliis eius rei argumentis, unum id affert quod ductum erat ex eo quod Athenienses *ignoto* etiam *deo* aram dedicassent. *Nam,* inquit, *cum* per urbem vestram *transirem* (διερχομενος) *attenteque inspicerem* (αναθεωρῶν) *sacra vestra* (τα σεβασματα[1] ὑμων), reperi etiam aram aliquam, in qua inscriptum erat : IGNOTO DEO. — Negat S. Hiëronymus, talem fuisse illius arae inscriptionem. « Inscriptio arae, inquit (in Cap. I Ep. ad Titum), non ita erat, ut Paulus asseruit, *Ignoto deo*, sed ita : *Diis Asiae, et Europae, et Africae, diis ignotis et peregrinis.* Verum quia Paulus non pluribus diis indigebat ignotis, sed uno tantum ignoto deo, Singulari verbo usus est, ut doceret, illum suum esse Deum, quem Athenienses in arae titulo praenotassent, et recte eum scientes, colere deberent quem ignorantes venerabantur, et nescire non poterant. » Haec Hieronymus. Cui tamen hac in re consentire non possumus; tum quòd sine teste aut historico aliquo monumento, et fere solus[2] afirmat, fuisse arae illius inscriptionem aliam ab ea quam in Apostolorum Actis legimus; tum etiam quòd minime credibile est, Paulum capere voluisse dicendi exordium ab affirmatione, quam falsitatis arguere potuissent eius auditores; tum denique quia si talis fuisset inscriptio, qualem fuisse Hiëronymus affirmat, inepta haec erat scopo Apostoli, ut qui non nisi *unicum* ignotum Deum illos erat docturus. Existimo autem, *plures* Athenis fuisse aras, quarum unaquaeque inscripta esset αγνωστῳ θεῳ[3]. Harum unam ergo forte viderit Paulus, plures istiusmodi aras ibi esse ignorans.

---

1) Σεβασματα sunt *venerata;* puta ea omnia quao religioso cultui inserviunt; ea, quae homines religionis causa *venerantur.*

2) Theophylactus (Saec. XI) affirmat, sed pariter sine teste, integram illius arae inscriptionem fuisse hanc : Θεοις και Ευρωπης, και Λιβυης, θεῳ αγνωστῳ και ξενῳ. h. e. *Diis Asiae et Europae ac Libyae* (Africae), *deo ignoto et peregrino.*

3) Hoc innuere mihi videtur Tertullianus (contra Marcionem I : 9) : *Invenio plane*, inquit, DEIS IGNOTIS ARAS PROSTITUTAS, *sed Attica idololatria est.* Atque idem forte sibi voluit Philostra-

Quod si quaeras, cur Athenienses etiam *ignoto deo* (à un dieu inconnu[1]) subinde aram dedicaverint, eius rei causam talem fuisse coniecerim. Scilicet Athenienses praeter deos suos populares, extraneos quoque colebant. Itaque in publica aliqua calamitate diis suis litantes, ne quem ignotum sibi deum, qui calamitatem forte immisisset, negligerent, etiam hunc, quicumque tandem esset, dedicatâ illi arâ placare sibi voluerint[2]. Quis vero deus ab ipsis intelligeretur *ignotus* ille *deus*, quaerendum non est, quum ipsa illa inscriptio et absentia Articuli (αγνωστῳ θεῳ) doceant, nullum certum aliquem deum hic ab illis fuisse intellectum. Atque hoc etiam Pauli sermo manifestat : ***Eum ergo***, inquit, ***quem tamquam deum*** VOBIS IGNOTUM ***colitis*** (ὁν ουν αγνοουντες ευσεβειτε), ***hunc ego vobis annuncio***.

Quod *in Praesenti* dicit *colitis* (ευσεβειτε), eo forte innuit, ab Atheniensibus ignoto illi deo adhuc identidem fuisse sacrificatum, puta ob beneficium, quod putassent esse forsitan ipsi acceptum referendum. Ceterum Athenienses quidem ignotum illum deum pro uno ex multis habebant[3]; re vera autem ignotus ille deus, qui

---

tus (in vita Apollon. VI : 3) : Σωφρονεστερον, inquit hic, περι παντων θεων ευ λεγειν, και ταυτα Αθηνησιν, οὗ και αγνωστων θεων βωμοι ἱδρυνται. h. e. *Prudentius est de omnibus diis bene loqui, et maxime Athenis, ubi etiam* IGNOTIS DIIS ARAE CONSTITUTAE SUNT.

[1]) Animadvertendum est, Graece dici sine Articulo : αγνωστῳ θεῳ. Quare Gallice vertendum non erat : *au dieu inconnu*.

[2]) Hoc fere modo S. Io. Chrysostomus (Hom. 38 in Act. Ap.) rem explicat. Is tamen existimasse videtur, Athenis non nisi *unam* fuisse aram, quae αγνωστῳ θεῳ esset dicata. Οἱ Αθηναιοι, inquit, επειδη κατα καιρους πολλους εδεξαντο θεους και απο της ὑπεροριας... δεδοικοτες μη ποτε και αλλος τις ῃ αυτοις μεν ουδεπω γνωριμος, θεραπευομενος δε αλλαχου, ὑπερ πλειονος δηθεν ασφαλειας και τουτῳ βωμον εστησαν· και επειδη ουκ ην δηλος ὁ θεος, επεγεγραπτο, Αγνωστῳ θεῳ. h. e. *Athenienses, quia per multa tempora acceperant deos etiam extraneos... timentes, ne forte quis alius nondum notus sibi esset, qui tamen coleretur alibi, ad maiorem securitatem huic quoque aram erexerunt. Quia vero non erat manifestus deus, inscriptum erat : Ignoto deo.* »

[3]) Cf. S. Chrys. Hom. 38 in Act. Ap.

beneficium contulisset, alius non erat quam unus verus Deus. Quare ex rei veritate Paulus dicere poterat: *quem*[1] *ergo* (ουν, ut nempe illa inscriptio docet) *ignorantes* (i. e. quamquam nescientes, quis deus ille sit) *colitis, Athenienses, hunc ego vobis hic annuncio.*

24—25. *Deus qui fecit mundum,* etc.). Ignotus Atheniensibus ille deus quis sit, Apostolus ita porro declarat, ut simul ostendat falsitatem cultûs idololatrici. Et quem docet Deum, hunc ita describit, ut pateat, illum non esse unum ex multis, deosque Atheniensium nec esse, nec dici posse tales.

Hic Deus (ὁ Θεος), inquit, qui mundum condidit et omnia quae in mundo continentur, ille quum coeli terraeque Dominus sit, non inhabitat templa, hominum manu exstructa, quasi iis sit conclusus et circumscriptus; nec idem manibus humanis *ministratur* (θεραπευεται), quasi *ulla re* (τινος) indigeat, *quum ipse continuo det* (αυτος διδους) cunctis hominibus (πασι) vitam halitumque, *et ea omnia* (και τα παντα[2]), quae illis necessaria sunt.

Putaverim, Articulum ὁ (in ὁ Θεος) vim habere Pronom. demonstrativi, idque ob sequens Demonstrativum οὑτος. — Vox θεραπευειν hoc loco, quod contexta oratio demonstrat, adhibetur *de cultu externo,* quatenus hic constat oblatis sacrificiis et donariis.— De absentia Articuli ante ουρανου et γης vide Gr. pag. 116 et 119.

26. *Fecitque ex uno,* etc.). Graeca liberius sic reddideris:

---

[1]) Var. lect. Pro ὀν — τουτον est in neutro genere ὁ — τουτο in Codd. A*BD, eamque lectionem etiam Vulgata nostra refert.

[2]) Var. lect. Pro κατα παντα est και τα παντα in Codd. ADE et aliquot Minusculis; eamque lectionem exhibent etiam antiqui nonnulli scriptores. Lectionem και τα παντα omnino postulare mihi videtur contexta oratio, nec dubito, quin haec germana sit Lucae scriptura, eoque minus, quòd lectio κατα παντα (*ubique*), quum iam dictum sit διδους πασι, otiosum additamentum sit. Librarii saepius voces και et κατα inter se permutarunt.

effecitque, ut *ex uno sanguine*[1] (ex una stirpe) prognatum genus *hominum universum* (παν εθνος ανθρωπων), per universam terram inhabitaret, *metatus* (ὁρισας, *quum* ab aeterno *definivisset*) *certa* (προστεταγμενους) tempora certosque terminos inhabitationis eorum.

Voces της κατοικιας αυτων pertinent ad utrumque, ad προστεταγμενους καιρους inquam, et ad τας ὁροθεσιας. Nam quid intelligas προστεταγμενους καιρους, nisi quid addatur? Sensus est : Deum distribuisse inter homines varias orbis terrarum portiones, ac definivisse *quamnam* portionem *quamdiu* quaeque gens incoleret; ut adeo, sicut cetera, ita et populorum migrationes, exilia, et quae eum his coniuncta sunt, ab ipsius providentia pendeant. Locutio επι παν το προσωπον της γης refert Hebraicam עַל פְּנֵי כָל־הָאָרֶץ (Gen. XI : 8), valetque επι πασαν την γην. Προσταττειν est *ordinare*, et mox *constituere*. Sunt autem tempora *constituta* (προστεταγμενοι), tempora *certa*, fixa. Vox εθνος hic valet γενος. Horatius sic dixit (Carm. Lib. 1, od. 3) *gens humana* pro *genus humanum*. Αἱμα de *stirpe* dici, notum est. Sic Homerus (Iliad. Z. 211) dixit : Ταυτης τοι γενεης τε και αἱματος ευχομαι ειναι, et Proclus (apud Stobaeum, Serm. 184) : Λυκιων γαρ αφ' αἱματος ειμι και αυτος. Alia exempla dat Palairetus (ad h. l.). — Ὁροθεσια est *terminorum positio*, et mox *termini* et *limites* ipsi.

27. *Quaerere Deum*[2], etc.). Graece ζητειν, qui Infinitivus *finis* est, adeoque reddendus : *ut quaererent*. Scilicet indicat hic Apostolus, humanum genus in hunc finem a Deo fuisse creatum inque terris collocatum atque ab eodem conservari et gubernari, *ut* homines Deum *quaererent*.

---

[1]) Var. lect. Vox αἱματος non legitur in Codd. AB, ut nec in nonnullis Minusculis. Abest pariter ab antiquis versionibus, Vulgata, Coptica et Aethiopica. Aegre crediderim, vocem αἱματος hic esse glossema. Glossator enim scripsisset ανθρωπου potius quam αἱματος.

[2]) Var. lect. Pro κυριον est θεον in Cod. AB et in aliquot Minusculis et antiquis versionibus; item apud Chrys. Hilar. Theoph. et Oecumen.

Praesentem locum per Periphrasim sic reddiderim : Deus autem voluit, ut homines suspensas ab ipso haberent vitae suae rationes in eum finem, ut ipsum quaererent, si forte attrectarent eum atque invenirent. Quamquam invenire eum difficile non est, quum non procul remotus sit a quolibet nostrum, imo cuilibet nostrum praesentissimus sit; nam in ipso vivimus, et movemur, et sumus; quod et quidam vestratium Poëtarum innuerunt, cum dicerent : *Nam huius progenies quoque sumus.*

De Deo ab homine ex creaturis lumine rationis cognoscendo dicturi sumus in interpretatione Epistolae ad Romanos ad Cap. I : 20. Ψηλαφησειαν est Aoristi Optativi forma Aeolica pro Attica ψηλαφησαιεν. Hoc loco ψηλαφᾷν, *ad rem* quod attinet, significatione non differt a sequente εὑρισκειν. Nimirum legimus non ψηλαφησειαν και εὕροιεν, sed ψηλαφησειαν η εὕροιεν. — In dictione ου μακραν Litoten nota. — Vox κινουμεθα (*nous nous mouvons*) formae est non Passivae, sed Mediae, ut contexta oratio (ζωμεν και εσμεν) satis demonstrat. — Pauli effatum : Εν αυτῳ γαρ ζωμεν κ. τ. λ., respicit non rerum creatarum universitatem, sed humanam tantum creaturam, ut contexta oratio docet[1]. Nex climax nec anticlimax est in serie verborum ζωμεν, κινουμεθα, εσμεν, sed tribus vocibus res, de qua agitur, *plenius describitur*. Praepositio εν in illo effato sumenda est ut dicta veluti *de loco;* postulat hunc sensum logicus nexus (γαρ) cum antegressis : καιτοιγε ου μακραν απο ἑνος ἑκαστου ἡμων ὑπαρχοντα. Itaque docet hic Apostolus, Deum esse vitae nostrae causam efficientem, continuò omnibus nobis intime praesentem[2]; quo simul etiam immensitatem ejus oblique

---

[1]) Quod Spinoza ex hoc Pauli effato Pantheismum suum stabilire voluerit, mirum videri debet, quum Apostolus (vs. 24) verbis tam perspicuis Conditorem a rebus conditis distinguat.

[2]) S. Chrys. Hom. 38 in Act. Ap. : Τι λεγω μακραν; οὕτως εγγυς εστιν, ὡς χωρις αυτου μη ζῃν. Εν αυτῳ γαρ ζωμεν και κινουμεθα και εσμεν. Ὡς εν σωματικῳ ὑποδειγματι τοιουτον τι λεγει· ὡσπερ αδυνατον αγνοησαι τον αερα πανταχου κεχυμενον, και ου μακραν

praedicat[1]. Eam doctrinam confirmat testimonio gentilis cuiusdam poetae, Arati, qui dixerat, *homines esse divinae originis*. Verba του γαρ και γενος εσμεν verbotenus ita leguntur in Arati poetae *Phaenomenis* (Vid. Fabricii Biblioth. Gr.Tom. IV, p. 87, sqq.). Itaque γαρ Particula Arati est, non Pauli. Του in Arati illo hemistichio dictum est poetice pro τουτου. Vide Gr. pag. 135. *Adnot.* Quae Aratus de Iove dixerat, Paulus ad verum Deum transtulit. Alius poeta, Cleanthes (apud Fabricium Biblioth. T. III, p. 550), eamdem sententiam iisdem fere verbis expresserat, dicens : εκ σου γαρ γενος εσμεν. Quod quum Paulum forte non lateret, de industria *in Plurali* dixerit : ὡς και τινες... ειρηκασι. — Των καθ' ὑμων ποιητων valet των ὑμετερων ποιητων. Praepositio κατα ibi inservit Paraphrasi Genitivi.

29. *Genus ergo cum simus Dei*, etc.). Sensus est : Quum *ergo* (secundum id quod dixit Aratus) nos homines quasi soboles simus Dei, adeoque ad imaginem facti Creatoris, vitaque praediti atque intelligentia, profecto, si recte sentire velimus de parente nostro Deo, neutiquam *debemus* (οφειλομεν) existimare *divinitatem* (το θειον) similem esse auro, aut argento, aut lapidi, sculpturae, inquam, quam homo, nescio quis, arte, et ingenio suo effecerit.

αφ' ἑνος ἑκαστου ἡμων ὑπαρχοντα, μαλλον δε και εν ἡμιν οντα, οὑτω δη και τον των ὁλων δημιουργον... Και ουκ ειπε, δι' αυτου, αλλ' ὁ εγγυτερον ην, εν αυτῳ. h. e. Quid dico *procul?* Ita prope est, ut sine ipso non vivatur. *In ipso enim vivimus et movemur et sumus.* Quasi corporeo exemplo huiusmodi quidpiam dicit : sicut impossibile est ignorare aërem ubique diffusum non procul ab unoquoque nostrum esse, imo et in nobis esse; ita etiam universi creatorem... Nec dixit *per illum;* sed, quod propius est, *in illo.*

[1]) « Solerter notat Gabriel Vasquez, ait Corn. a Lap. (ad h. l.), Paulum hic directe et ex proposito non agere de immensitate Dei, sed quam facile a nobis ex operibus suis attrectari, non manibus, sed mente, hoc est, cognosci et coli possit. Est enim Deus operatione sua vicinus, imo intimus sicut aër, in quo vivimus, quemque respirando attrahimus. Sicut ergo aërem respirando quasi palpamus et sentimus dum ille nos refrigerat; ita Deum in nobis operantem cognoscimus, et quasi attrectamus. »

Apostolus hic directa argumentatione idolorum cultum refellit. Argumentum eius tale est: Quum nos homines creatura Dei simus, profecto non debemus existimare, ipsum Deum esse aliquid nobis inferius, ut est muta aliqua statua ex auro, argento vel lapide, humana arte confecta. — Postrema haec verba Apostoli reprehensionem continent cultùs idololatrici. Χαραγματι Dativus *Appositionis* est, et ad quodlibet trium antecedentium (χρυσῳ, η αργυρῳ, η λιθῳ) referendus.

30—31. *Et tempora quidem*, etc.). Hactenus Apostolus varios Stoicorum et Epicureorum errores tacitò reprehenderat, et postremo loco directò egerat contra idololatriam. Transit iam ad doctrinam Evangelii insinuandam. Sed absolvere non potuit sermonem, quippe irrisus ab auditoribus, quum mentionem faceret resurrectionis (vs. 32). Sensus est: Haec *ergo* (ουν) ignorantiae tempora Deus hactenus *neglexerat* (ὑπεριδων), passus *gentes omnes ingredi vias suas* (vide Cap. XIV : 15); nunc vero hominibus per ministros suos *praecipit* (παραγγελλει), ut omnes ubique poenitentiam agant, quia diem constituit, quo orbem terrarum iusto iudicio iudicaturus est *in persona* viri (εν ανδρι), quem eius iudicii iudicem fore designavit, dictis eius *fidem faciendo apud omnes* (πιστιν παρασχων πασι) per hoc, quod a mortuis ad vitam eum revocavit.

Particula ουν non est hic *concludentis*, sed veluti *pergentis* in narrando[1]. *Tempora*, quae hic dicuntur, *huius ignorantiae* (της αγνοιας), intelliguntur tempora, quibus gentes, Israeliticà exceptà, passim deditae erant *idololatriae* (vs. 29); quod crimen (Rom. I : 20) *ignorantiam* (την αγνοιαν) vocat miti vocabulo, ne iam nunc duriori usus, novellos suos auditores imprudens offenderet. Tem-

[1]) De potestate Particulae ουν diximus in *Grammatica Graecitatis Novi Testamenti*, pag. 469. Et de falsis notionibus huic Particulae subjectis egimus ibidem, pag. 477, seq.

pora haec Deus *despexisse* (ὑπεριδων) eatenus hic dicitur, quatenus adhuc passus erat gentes (cf. Cap. XIV : 15) idola colere, *non sinendo tamen se illis esse intestatum* (Cf. Cap. XIV : 16). Sed qui adhuc eum gentibus illis ita se gesserat, quasi haec ad eius providentiam minus pertinerent nec salvas eas vellet, *nunc* (τα νυν), inquit, missis legatis suis, *praecipit hominibus, ut omnes ubique poenitentiam agant*, puta ab idololatria ceterisque suis delictis.— Vertendum est, *praecipit hominibus, ut omnes ubique poenitentiam agant*, si legas, ut fecit Interpres noster : παραγγελλει τοις ανθρωποις, παντας πανταχου μετανοειν. Si vero legas : παραγγελλει τοις ανθρωποις πασι πανταχου μετανοειν, vertendum est : *praecipit omnibus ubique hominibus, ut agant poenitentiam.*— Versiculus trigesimus sic cum sequente connectitur : Deus praecipit omnibus ut agant poenitentiam, *quia* (διοτι) impoenitentes non impune sinet abire. Quae sententia (*impoenitentes non impune sinet abire*) continetur in generaliori illa, qua dicitur : *Deus aliquando iusto iudicio judicaturus est orbem terrarum.* — Opportune hortationi ad poenitentiam iungitur mentio supremi iudicii. Sermo autem hic est de iudicandi potestate tributa Christo, ut homini. Hinc patet, ait Cornelius, Christum secundum humanitatem, qua homo est et vir, non qua Deus, fore iudicem. Decet enim hominum iudicem esse hominem, ut ab iis videri, sentiri et audiri possit. Christus ergo est vir statutus a Deo iudex. Unde Concilium Ephesinum C. 31 in fine : *In eo*, inquit, *qui forinsecus apparebit, et ab omnibus qui iudicandi sunt palam cernetur, divina natura occulte latitans iudicium exercebit.*

In Syntaxi : ᾡ ὡρισε, *Attractio* est, ut supra Cap. II : 22. Πιστιν παρεχειν non est *facultatem credendi offerre*, sed, *alicui fidem facere apud alium;* affatim exemplorum dat Raphelius ad h. l. Graecae huic locutioni satis respondet Gallicum verbum *accrediter,* aut Germanica phrasis : *einem beglaubigen.*

33—34. *Cum audissent autem resurrectionem mortuorum,* etc.). Apostolo Athenienses hactenus sat studiosas aures praebuerant; audita vero (ακουσαντες δε) mentione resurrectionis mortuorum (*toen zij van eene opstanding van dooden* (αναστασιν νεκρων) *hoorden*), eum alii deridebant, alii vero urbanius id agentes, dicebant illi : Audiemus te alias hac de re denuo! Atque ita, oratione sua nedum finita, Paulus ex horum coetu discessit. Nonnulli autem viri *adhaeserunt* (κολληθεντες) illi, et fidem Christi amplexi sunt (επιστευσαν); *in quibus* fuit *quoque* (και) Dionysius *ille Areopagitici tribunalis assessor* (ὁ Αρεοπαγιτης), et mulier quaedam, nomine Damaris, cumque his alii nonnulli.

Crediderim Apostolum, post memoratum (vs. 31) Iesu Christi reditum in vitam, perrexisse dicere de universali omnium resurrectione; nam hoc et in foro perorans (vs. 18) fecisse videtur. De hac ergo mentione resurrectionis mortuorum, quam Paulus tum fecerit, intelligendum sit, quod hic dicitur : *cum audissent autem resurrectionem mortuorum*, etc. Quod si haec verba referenda sint ad memoratam modò (vs. 31) Iesu Christi resurrectionem, Pluralis ille νεκρων habendus est pro *Plurali generico*, qualis occurrit etiam Matth. II : 20 et IX : 8. Vide Gr. pag. 174. 2. — Mortuorum resurrectionem Gentiles habebant pro re plane incredibili et perridicula. Sic Minucius Felix (apud Pricaeum ad h. l.) ex persona Pagani, Christianos deridentis : *Nec hac furiosa opinione contenti*, inquit, *aniles fabulas adstruunt et annectunt : renasci se ferunt post mortem et cineres*. Κολληθεντες est Aor. Passiv. cum notione Media; ονοματι Dativus *Relationis*, ut supra Cap. IX : 33.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

Argumentum. Paulus, relictis Athenis, Corinthum se confert, ibique singulis sabbatis in synagoga Iudaeis et proselytis Iesum Messiam praedicat. Commoratur eo tempore in aedibus Aquilae cuiusdam, qui scenofactoriam artem exercebat; huic et laboris socium se adiungit, ne ad victum sibi parandum cuiquam gravis esset, vs. 1—5. Cum vero Silas et Timotheus, quos adiutores exspectabat, e Macedonia Athenas ad eum venissent, totus est in doctrina Christiana Iudaeis tradenda. Sed cum hi Evangelio indignos se praeberent, missis illis, deinceps Gentilibus doctrinam Christi praedicat, idque magno cum fructu. In visione nocturna a Domino admonitus ut in praedicando Corinthi Evangelio intrepide pergeret, per sesquiannum ibi commoratur, vs. 5—12. Post haec Iudaei Paulum aliquando adorti, ad tribunal rapiunt proconsulis, accusantes eum quod doceret legi Mosaicae contraria. Pronconsul autem negat, talium causarum cognitionem ad se pertinere, eosque a suo tribunali abigit, vs. 12—18. Paulus post haec compluribus adhuc diebus Corinthi commoratus, deinde instituit navigationem in Syriam, comitante eum Aquila cum uxore sua Priscilla. Ephesi, ubi primum appellit, de re religiosa verba facit ad Iudaeos; quibus rogantibus ut diutius apud ipsos maneret, non annuit. Ergo solvit Epheso, relictis ibi Aquila et Priscilla; appellit autem ad Caesaream Palestinae, indeque adscendit Hierosolymam; et, salutatis ibi Christianis, proficiscitur Antiochiam Syriae. Antiochiae aliquamdiu commoratus, deinceps peragrat Galaticam regionem, et Phrygiam, novellos Christianos ubique confirmans, vs. 18—24. Postquam solvisset Epheso, quidam illuc venerat, nomino Apollos, qui ibi ab Aquila et Priscilla religionem Christianam plenius edoctus, in Achaiam proficiscitur, ibique fidem Christi contra Iudaeos fortiter propugnat, vs. 24—28.

1. *Post haec egressus ab Athenis*, etc.). Apostolus *autem post eas res* (μετα δε ταυτα), quas Athenis gesserat (Cap. XVII : 16-34), ex illa urbe *digressus* (χωρισθεις, Aor. Pass. cum notione Media, ut I Cor. VII : 11. Philem. vs. 15), Corinthum se contulit (ηλθεν εις Κορινθον, *hij kwam naar Korinthe*). Erat Corinthus Achaiae metropolis, in isthmo Peloponnesiaco, inter mare Aegeum et Ionium sita, unde *bimaris Corinthus* dicitur Horatio (Od. I : 7). Portus habebat duos, unum occidentalem, Lechaeum, Italiam versus, alterum orientalem, Cenchraeensem (vs. 18), qui ad regiones Asiaticas spectabat. Urbs erat mercatura, divitiis, scientiis, artibus, ludis Isthmicis, celebratissima; et ideireo ingens hominum multitudo continuo illuc confluebat[1]. Quae res causa fuerit, cur Paulus

[1]) Aristidi (Orat. in Neptun. Opp. T. I, p. 23, edit. Oxon. 1722) Corinthus dicitur κοινη παντων καταφυγη, όδος και διεξοδος άπαντων ανθρω-

Corinthum potissimum adire voluerit; speraverit nempe, si Evangelium praedicaret in hoc communi totius Graeciae veluti emporio, fore, ut hinc Christianae doctrinae notitia ad plures perveniret.

2—3. *Et invenit quemdam Iudaeum, nomine Aquilam*, etc.). Corinthum ingressus Apostolus, cum ibi forte offendisset (εὑρων Aor. *reperisset, incidisset in*) Iudaeum quemdam, nomine Aquilam, huic viro se adiunxit. Aquila ille ex Ponto, Asiae minoris provincia, oriundus, *nuper* (προσφατως) unà cum coniuge sua Priscilla, Romà, ubi adhuc habitasse videtur, Corinthum secesserat. Causa fuit, quia Claudius Imperator iusserat, ut omnes Iudaei Roma excederent[1]. — Certo dici nequit, utrum Aquila et Priscilla Christiani iam essent, quum Paulus eos conveniret, an vero ab ipso demum adducti fuerint ad religionem Christianam. Ego quidem hoc potius crediderim quam illud. Ratio est, quia Lucas, cum alias Christianos vocare solet aut *fratres* (αδελφους), aut *discipulos* (μαθητας), Aquilam hunc simpliciter *Iudaeum* vocat. Eos ergo a Paulo ad Christi fidem fuisse adductos, Lucas, per ea quae infra (vs. 26) de iisdem narrat, *implicite* significaverit. — Addit Lucas (vs. 3),

---

πων, κοινον αστυ Ἑλληνων, μητροπολις και μητηρ. Cf. Henrici Wilckens *Specimen antiquitatum Corinthiacarum ad illustrationem utriusque epistolae Paulinae* (In Collect. Op. edita ab Oelrichs, Tom. I, XIV.

[1]) Edicti huius meminit quoque Suetonius, ubi de Claudio Caesare scribit (in vita Claudii, Cap. XXV): *Iudaeos, impulsore Chresto assidue tumultuantes, Romà expulit.* Multi existimant, Suetonium ibi per errorem *Chresto* pro *Christo* scripsisse, eiusque verba capienda esse de dissensionibus inter Iudaeos et Christianos, deque turbis, quibus doctrina Christi Romae tunc temporis occasionem dedisset. Quod mihi quidem valde dubium videtur. Nam quum vocabulum *Chrestus*(Χρηστος) tamquam nomen proprium apud Romanos reapse esset in usu (Vid. Cic. ad Fam. XI : 8, et Gruteri *Thesaur. inscrip.* p. 855), cur putemus, historiographum nomen unum pro alio scripsisse? Ad haec, Suetonius ita loquitur ut satis indicet, se assiduorum illorum tumultuum impulsorem cogitasse certum notumque aliquem virum, qui tunc temporis Romae versaretur. Denique, ut praeteream probari non posse, iam eo tempore multos fuisse in Urbe Christianos, dissensiones illae in re religiosa, quas ponunt, non videntur potuisse causa fuisse sufficiens tumultuum talium, ut Claudius coactus fuerit integrae nationis exilio eos reprimere.

Paulum, *quia eiusdem opificii erat*[1] (δια το ὁμοτεχνον ειναι) cum Aquila et Priscilla, ideo apud ipsos sedem suam fixisse, seque illis illorum opificii socium fecisse, *et laborasse* (και ειργαζετο), nempe ut haberet unde honeste viveret, nec cuiquam gravis esset. Vide infra ad Cap. XX : 34. Erant autem[2] Aquila et Priscilla *arte* (την τεχνην) *tentoriorum opifices* (σκηνοποιοι). De Accusativo την τεχνην hoc loco vide Gr. pag. 233. 6.

Ονοματι et γενει sunt Dativi *Relationis*, ut vocant Grammatici. « Vox προσφατως, notante Valckenario (ad h. l.), ex origine notat *recens occisum*. Photius in Lexico : Προσφατος επι του νεωστι ανηρημενου. Quod recentiores Graeci σφαζειν, *mactare*, veteres scribebant φαειν vel φαζειν, unde φατος *caesus*. Inde Compositum προσφατος eximie de *recens mactatis* animalibus. *Recens caro* προσφατον κρεας. Cadaver hominis *nuperrime mortui* προσφατος νεκρος apud Phrynichium... Hinc ad alia transfertur. *Pisces recentes*, quum proprie dici deberent, Ammonio teste, νεαλεις ιχθυες, i. e. νεωστι ἑαλωκοτες, Menander tamen ιχθυδια προσφατα dicere non dubitavit... In lingua communi, non attendentes originem, προσφατον adhibuere *de quavis re recenti*. « Hesych. Προσφατον· το αρτιως γενομενον. Suid. Προσφατως· αντι του νεωστι. Vox iterum occurrit in Ep. ad Hebr. Cap. X : 10, ubi est ὁδος προσφατος. — Εργαζεσθαι eximie dicitur de *manuaria opera* victus parandi causa suscepta. Vid. Luc. XIII : 14. Rom. IV : 4. I Cor. IV : 12; IX : 6. Confer Nostratium *werken*.

Itaquo potius crediderim, versatum fuisse tunc temporis Romae factiosum quemdam Iudaeum, *Chrestum* nomine, quo impulsore Iudaei assidue tumultuarentur. Ceterum Claudii illud edictum non diu valuisse inde patet, quod videmus (Ep. ad Rom. Cap. XVI : 3), Aquilam et Priscillam paulo post Romam rediisse.

1) In more tunc positum erat inter Iudaeos, ut etiam viri studiis doctrinisque dediti opificium aliquod addiscerent, unde, ubi res ferret, se sustentarent. Rem testatur inter alios Maimonides (apud Wolf. ad h. l.), qui dicit: ריב החכמים היה להם אומנות כדי שלא יתהני לאחרים, h. e. *Multi ex sapientibus opificium aliquod exercebant, ne aliis graves essent.*

2) Interpres noster videtur legisse non ἠσαν γαρ, sed ἠσαν δε.

4. *Et disputabat in synagoga per omne sabbatum*, etc.). Graece: διελεγετο δε, κ. τ. λ., ubi Particula δε mihi videtur habere vim cuiusdam oppositionis, quam his verbis expresserim: Paulus per reliquos quidem hebdomadis dies *laborabat* (ειργαζετο), *sermocinabatur autem* (διελεγετο δε) *in synagoga Corinthiaca* (εν τη συναγωγη) singulis sabbatis. — Verba Temporis Imperfecti (ειργαζετο et διελεγετο) rem ut *consuetam* connotant. Vide supra ad Cap. XVII: 21. De notione Verbi διαλεγεσθαι diximus ad Cap. XVII: 17. — Verba haec: *interponens nomen Domini Iesu*, significare possunt, Paulum in sermonibus, quos singulis sabbatis habebat ad Iudaeos, *obiter* ac veluti *incidenter* mentionem fecisse de Iesu Nazareno. Istiusmodi enim significationem verba παρεντιθεσθαι et ενθεσθαι obtinent. Commate sequenti Lucas narrat, Paulum, post adventum Silae et Timothei, Iudaeis *aperte* declarasse, Iesum Nazarenum esse promissum Messiam, hos vero Apostolo docenti tunc restitisse ita, ut, relictis illis, deinceps Gentilibus Evangelium praedicaret. Hinc vero colligo, Paulum, ante adventum Silae et Timothei, de Iesu Nazareno tamquam promisso Messia non fuisse locutum. — Addit Lucas: *suadebatque* (επειθε τε) *Iudaeis* (natis) *et Graecis* i. e. *proselytis portae*. Vide ad Cap. XIII: 16. Ἑλληνες hic non sunt *Gentiles*, quum sermo sit de iis qui synagogam adirent, quod *Gentiles* fecisse, probari nequit. Etiam supra (Cap. XIV: 1) Ἑλληνες sunt *Gentiles*, quod contexta oratio ibi demonstrat. Vox επειθε quid hoc loco sibi velit, non satis patet. Putaverim Verbum Simplex πειθειν, *suadere*, hic valere Compositum αναπειθειν, *persuadere*, ut supra Cap. XIV: 18. Itaque sensus sit: *tam Iudaeis quam Graecis persuadebat ea quae dicebat.*

5. *Cum venissent autem de Macedonia*, etc.). Confer hic quae notavimus supra ad Cap. XVII: 14, 15, 16. Sensus, ut mihi quidem videtur, hic est: Hactenus Paulus solis sabbatis ad Iudaeos verba fecerat; ex quo *vero* (δε) collegae eius, Silas et Timotheus,

quos exspectabat, e Macedonia Corinthum advenissent, *totus occupabatur in praedicando Evangelio* (συνειχετο τῳ λογῳ), *aperte* Iudaeis *testificans* (διαμαρτυρομενος), Iesum esse promissum Messiam. — Ex iis quae leguntur I Cor. XI : 8, 9 colligi potest, Silam et Timotheum Paulo pecuniarium aliquod subsidium e Macedonia attulisse. Itaque intermittere potuerit manuariam suam operam, ut qui iam aliunde haberet, unde sustentaretur. — Locutio συνειχετο τῳ λογῳ mihi videtur valere *totus habebatur a verbo* (τῳ λογῳ[1] Dativ. *Instrumenti*). Hanc notionem verbum συνεχεσθαι habet Sap. XVII : 20, item apud Herodian. I : 17, 22, et Aelian. Var. Hist. XIV : 22. Adde συνεχως esse *continenter, sine intermissione*, et συνεχεια de *continuitate, perpetuitate, assiduitate* dici.

6. *Contradicentibus autem eis*, etc.). Iudaei *autem* (δε) *quum se Paulo opponerent* (αντιτασσομενων Med.) contradicentes, additis etiam conviciis in Iesum (και βλασφημουντων), ille, *excussis vestibus suis* (Aor. εκτιναξαμενος. vide ad Cap. XIII : 51), dixit ad illos : *Sanguis vester in caput vestrum!* h. e. exitium vestrum vobismetipsis imputetur, culpa vestra peribitis, non mea! *ego mundus sum* (καθαρος εγω), insons sum vestri exitii; quod mei muneris erat, hoc feci; sed frustraneus est, quem vobis impendo laborem; quare *ab hoc inde tempore* (απο του νυν) ad Gentiles me conferam. — In dictione το αἱμα ὑμων επι την κεφαλην ὑμων, vox αἱμα per Metaphoram notat *mortem, exitium*, ut infra Cap. XX : 26. Nempe dixerat Salvator (Marc. XVI : 15, 16) : *Praedicate Evangelium omni creaturae... Qui non crediderit condemnabitur.* — Verbum αντιτασσεσθαι proprie dicitur de militibus, qui *se instructa acie hostibus opponunt.*

---

[1] Var. lect. Pro τῳ πνευματι est τῳ λογῳ in Codd. ABCEG variisque Minusculis, eamque lectionem referunt etiam multae versiones antiquae, item Basilius, Theodoretus, et Chrysostomus.

7—8. *Et migrans inde*, etc.). Graece : και μεταβας εκειθεν, *et digressus inde*, scil. *ex synagoga*, nam quod antegresso commate narratum est, id in publico Iudaeorum conventu accidisse, res ipsa satis indicat. Et confirmatur ex eo, quod Lucas statim notat, Paulum ivisse in domum Titi cuiusdam, cuius domus *synagogae erat contigua*. Dicitur ille Titus Iustus σεβομενος τον Θεον, h. e. *proselytus portae*. Vide supra ad Cap. XIII : 16. Paulum tunc etiam hospitium mutasse ac deinceps in Titi istius aedibus commoratum fuisse, non video unde probari possit; solummodo ex hoc tempore in Titi huius domo evangelium praedicasse mihi videtur. « Ideo forte, ait Estius (ad h. l.) domum Synagogae contiguam elegit, ne videretur genti suae operam praedicationis Evangelicae subtrahere, modo illi vellent ipsum audire. » Quidquid sit, narrat Lucas, Crispum, Corinthiacae synagogae praefectum, deinde religionem Christianam fuisse amplexum cum tota sua familia; et praeterea multos ex Corinthiis ad Pauli praedicationem credidisse, susceptoque baptismo Christo fuisse initiatos. — Ακουοντες est Particip. Imperfecti. Ακουοντες επιστευον valet *audiebant* (Paulum Evangelium praedicantem) et *credebant*. Forma *Imperfecti* hoc loco actum notat ut *saepe repetitum*, q. d. erant *continuo* qui Paulum audirent, et crederent, et baptizarentur.

9—11. *Dixit autem Dominus nocte*, etc.). Ex iis quae Lucas hic refert, satis confici potest, Paulum vitae suae timuisse a Iudaeis, atque ideo voluisse, relicta Corintho, aliò proficisci. Ergo, ut ministri sui animum confirmaret, Dominus *illi dormienti* (εν νυκτι) *in somnio apparere* visus est *eique dicere* (ειπε δι' ὁραματος. vide ad Cap. X : 3 et XVI : 9) : Noli timere, sed perge docere, *propterea quod* (διοτι) ego defensor tibi adsto, nemoque te invadet *ut te male habeat* (του κακωσαι σε), i. e. nemo tibi nocebit; perge, inquam, Corinthi docere *propterea quod* (διοτι) multi in hac civitate tua opera ad fidem convertentur! — Divino huic monito ob-

temperans Paulus, Corinthi commoratus est annum unum et menses sex, in praedicanda *inter Corinthios* (εν αυτοις) doctrina Christiana occupatus. — Multa per id tempus edita a Paulo fuisse miracula in confirmationem doctrinae Christianae, ex altera eius ad Corinthios epistola (Cap. XII : 12) conficitur.

Λαλει και μη σιωπησης ratio loquendi est emphatica, quam Hebraei frequentant. Cf. Isaiae XXXVIII : 1. Ierem. XLII: 4. Ioan. 1 : 20. — Prius διοτι referendum est ad μη φοβου, posterius autem διοτι ad αλλα λαλει. Puta scriptum esse ita : Μη φοβου, διοτι εγω ειμι μετα σου· αλλα λαλει και μη σιωπησης, διοτι λαος εστι μοι πολυς εν τη πολει ταυτη. — *Populum suum* vocat Dominus eos, quos noverat religionem Christianam ad Pauli praedicationem esse suscepturos. — Επιτιθεμαι τινι vel επιτιθεμαι τας χειρας τινι notat, sensu hostili, *manus violentas iniicio in aliquem, invado, aggredior aliquem*. Interpres noster pro forma Futuri Medii επιθησεται videtur legisse Futurum Passivum επιτεθησεται, quum verterit *apponetur tibi*. — Infinitivus του κακωσαι, ut supra Cap. IX : 15. De quo Infinitivo *nominascente* vide Gr. pag. 356. 4.

12—13. *Gallione autem proconsule Achaiae*, etc.). Quo tempore Paulus Corinthi morabatur, factus est Achaiae proconsul Gallio. Erat is frater natu minor L. Senecae, philosophi; antea dictus fuit Marcus Annaeus Novatus, deinde vero a L. Iun. Gallione rhetore adoptatus, vocatus est Iunius Annaeus Gallio. Vide Lipsium in Senec. in Prooem., et ad Ep. 104. — Romani universam Graeciam in duas provincias distribuerant, Macedoniam et Achaiam. Provincia Macedonia complectebatur tum Macedoniam proprie dictam, tum etiam Illyriam, Epirum, et Thessaliam; Provincia Achaia vero continebat universam Hellada sive Graeciam proprie dictam, ad quam Achaia quoque pertinebat, et Peloponnesum. — Caesares Augusti, quod notat Schmidius (in *Antiqq. Corinth.* p. 30), cum Senatu dividere provincias ita solebant, ut

in alias *praesides* (ἡγεμονες) mitterent, alias relinquerent Senatui, a *proconsulibus* (ανθυπατοι) administrandas. Haec autem divisio non semper una eademque mansit, sed modo has, modo illas provincias pro temporis et belli ratione sibi reservarunt, alias reddiderunt, alias detraxerunt Senatui; quo factum est ut una eademque provincia diversis temporibus nunc praesides haberet, nunc proconsules. Ac huius quidem rei luculentum praebet exemplum provincia Achaia. Primum enim Senatui ea permissa est per proconsules administranda, ut ex Dione Cassio (Lib. 53) patet. Deinde, Tiberii temporibus, iis accessit provinciis, in quas a Caesaribus Augustis praesides vel procuratores mitterentur (Vid. Tacit. Lib. I, Ann. Cap. 76, coll. Dion. Cassio, Lib. LXVIII, Cap. 25). Sub Claudio Senatui Achaia reddita, et per consequens a proconsulibus administrata fuit. Patet id ex Suetonio (in vità Claudii Cap. 25) et Dione Cassio) Lib. LX, Cap. 24)... Post mortem Claudii universae Achaiae libertatem, id est αυτονομιαν et ατελειαν Domitius Nero dedit, sicque de novo ea Senatum privavit, qui pro ista Sardiniam accepit Provinciam. Patet id ex Pausania (Lib. VII, Cap. 17). Tandem Vespasianus Achaiae libertatem ademit, eamque iterum in provinciae formam redegit (ut ex Suetonio (in vita Vespas. Cap. VIII) liquet. Haec quum ita sint, facile intelligitur, quare Lucas Gallionem non ἡγεμονα, sed ανθυπατευοντα Αχαιας dixerit. Eo enim tempore, quo Paulus Corinthi fuit, Achaia provincia non Caesaris, sed Senatùs Romani fuit, qui ανθυπατους, *proconsules*, eò mittebat, qualis etiam Gallio noster fuit. Appellat vero eum non ανθυπατον Ἑλλαδος sed Αχαιας, quoniam eo tempore tota illa extra Macedoniam pars Graeciae, cui proconsulari imperio Gallio praeerat, Achaiae nomine solebat comprehendi.

Quae Lucas hac pericopa (vs. 12—17) enarrat, ea praeterlapsis jam illis octodecim mensibus (vs. 11) acciderunt. Colligendum hoc videtur ex vs. 18. — Ergo, quo tempore Gallio Achaiae *proconsul erat* (ανθυπατευω Denomiuativum ab ανθυπατος quod ab αντι, *loco*,

vice alterius, et ὑπατος, *summus*, derivatur; vid. sup. ad Cap. XIII: 7), Iudaei Corinthienses Paulum aliquando *coniunctim* (ὁμοθυμαδον. vid. ad Cap. II : 49) adorti sunt, eumque ad tribunal proconsulis duxerunt, accusantes eum ac dicentes : Hic (ὁτι *recitativum*) hominibus persuadet, ut Deum colant modo Mosaicae legi contrario (παρα τον νομον). — Lucas summatim tantum accusationem refert, ut ex Gallionis responso (vs. 15) liquet. Romani Iudaeis concesserant vivere ex Mosaicae legis praescripto (vid. Fl. Ioseph. Antiqq. Lib. XIV, Cap. 10); quare hi speraverint fore, ut proconsul Paulum puniret tamquam docentem legi Mosaicae contraria. Iudaei ipsi in Paulum animadvertere non poterant, quia, ut notat Grotius (ad h. l.), in Achaia animadversiones in populares suos non habebant, quales habebant in Iudaea et viciuis regionibus.

14-16. *Incipiente autem Paulo aperire os, dixit Gallio*, etc.). Ad Iudaeorum accusationem quum Paulus iam in eo esset ut responderet, eius defensionem praeveniens Gallio dixit Iudaeis : *Si qua esset iniuria* illata, *aut si quod malum facinus* perpetratum esset, *o Iudaei, secundum rationem* (κατα λογον) officii mei *vos sustinuissem* (αν ηνεσχομην Aor. 2 Med. ab ανεχομαι), i. e. patienter vos causam agentes audivissem; *sin vero*, ut ex vestra accusatione liquet, *quaestiones sunt de* religiosa aliqua *doctrina* (περι λογου), *de nominibus* (puta, an Iesus nominandus sit Messias), deque lege vestra, vos ipsi videritis; ego enim istiusmodi causarum iudex esse nolo. His dictis proconsul a tribunali eos abegit. — Negat Proconsul talium causarum cognitionem ad se pertinere, et vult ut istiusmodi controversias componant, si possint, inter se.

17. *Apprehendentes autem omnes Sosthenem principem synagogae*, etc.). Cum Gallio Iudaeos a tribunali abegisset, atque hi, ut videtur, aegre discederent, *omnes* (παντες) Gentiles, tum forte tribunali adstantes, Sosthenem Archisynagogum, qui accusatores

adduxerit, apprehenderunt, et ante ipsum tribunal verberarunt; Gallio autem nihil hoc curabat. — In quo mihi officio suo defuisse videtur. Contumeliam hanc, Sostheni impune illatam, Lucas ideo, opinor, commemorare voluit, ut indicaret, Iudaeos adeo spe sua Paulo nocendi excidisse, ut contra ipsi male mulctati a tribunali recesserint.

18. *Paulus vero cum adhuc sustinuisset*, etc.). Paulus autem quum multos adhuc dies (Corinthi) *commoratus esset* (προσμεινας), deinde, *dicto vale fratribus* (τοις αδελφοις αποταξαμενος), *enavigavit* (Priscilla et Aquila eum comitantibus) in Syriam, *postquam* Cenchreis, id est, in portu Corinthi, caput *sibi tondendum curasset* (κειραμενος Aor. Med.); voto enim nutriendi comam obstrictus erat.

Verbum Medium αποτασσομαι proprie valet *separo me ab aliquo*. Apud Alexandrinos vero, quod notat Valckenarius (ad h. l.), adhibebatur *de valedicendo*, quia scilicet hoc comitari solet separationem; atque is usus transiit ad scriptores Novi Testamenti; vide Marc. V : 46. 2 Cor. II : 13. — Vox κειραμενος, ut mihi videtur, referenda est ad εξεπλει, adeoque ad Paulum; tum vero verba haec : και συν αυτῳ Πρισκιλλα και Ακυλας, pro Parenthesi habenda sunt. Grammatice tamen nihil obstat, quominus vocem κειραμενος ad Ακυλας referas, ut fecit Auctor Vulgatae. — Cenchreis ergo Paulus caput tondendum curaverit, quia, ut opinor, exspirasset tempus, per quod comam nutrire ex concepto voto debuisset. Disputatur, utrum nec-ne hoc loco intelligendum sit *votum Nasiraeatus*. Videsis hac de re disserentem Stapletonium (in *Antidot.* ad h. l.). Ut apud Athenienses portus *Piraeus*, ab urbe distinctus, incolis abundabat, sic et Corinthiorum portus *Cenchreae*. Vide Valck. ad h. l. Ibi hoc primo saeculo coetum fuisse Christianorum collectum, conficitur ex Rom. XVI : 1, ubi memoratur ministra ecclesiae Cenchreënsis.

19—21. *Devenitque Ephesum*, etc.). Cenchreis solutus Paulus ut in Syriam navigaret, primum Ephesum appulit. Et synagogam ibi ingressus, de re religiosa *verba fecit ad Iudaeos* (διελεχθη τοις Ιουδαιοις. Vide supra, Cap. XVII : 17). A quibus quum rogaretur, ut diutius apud ipsos commoraretur, *non annuit* (ουκ επενευσεν), sed valedixit illis[1], promittens tamen se, *Deo volente* (του Θεου θελοντος), ad ipsos esse reversurum. Atque ita *solvit Epheso* (ανηχθη απο της Εφεσου. Vide ad Cap. XIII : 13), relictis ibi Aquila et Priscilla. — De verbo αποτασσομαι diximus ad vs. 18.

22—23. *Et descendens Caesaream*, etc.). Cumque e navi *descendisset* (κατελθων) in urbem Caesaream, et (αναβας) *adscendisset* (inde Hiërosolymam?) *salutassetque* (ασπασαμενος) ibi *Christianos* (την εκκλησιαν), hinc profectus est Antiochiam Syriae, quò iter instituerat (vs. 18). Antiochiae *aliquamdiu commoratus* (ποιησας χρονον τινα), dein tertium ab ea urbe (cf. Cap. XIII : 1—3 et XV : 36—41) iter Apostolicum ad Gentiles instituit. Ergo Antiochiâ *egressus* (εξηλθε), peragravit Galaticam regionem et Phrygiam, varia loca, in quibus fidem Christi antea plantaverat, *ex ordine* (καθεξης) adeundo, et ubique novellos Christianos *confirmando*, puta, in constanter profitenda fide Evangelica, et ducenda vita Christiano homine digna.

Vox αναβαινειν, etiam nude posita, adhibetur de proficiscentibus Hiërosolymam, ut Ioan. VII : 8, 10; XII : 20. Quod si verba (vs. 21) : Δει με παντως[2] την ἑορτην την ερχομενην ποιησαι εις Ἱερο-

[1]) Var. lect. Pro απεταξατο αυτοις ειπων legitur αποταξαμενος και ειπων, omisso και ante sequens ανηχθη, in Codd. ABDE multisque Minusculis; hanc lectionem Vulgata nostra refert.

[2]) Var. lect. Verba : Δει με παντως την ἑορτην την ερχομενην ποιησαι εις Ἱερουσαλυμα, et vocula δε post παλιν, non leguntur in Codd. ABE et aliquot Minusculis, ut nec in versionibus antiquis, Coptica, Aethiopica, Armenica, et Vulgata. — Tischendorfius integrum hunc versiculum in postrema sua Novi Testamenti Graeci recensione ita edidit, ut in Vulgata legitur.

σολυμα, genuina sint, dubitari nequit, quin quod hic (vs. 22) legitur αναβας, hoc sensu sit sumendum. Sin vero, certe ambigi possit, an non sit αναβας referendum ad Caesaream, adhibitumque fuerit illud verbum ideo, quia Paulo e navi egresso in urbem *altius* sitam *adscendendum* erat. Cf. dicta ad Cap. III : 1. — Phrasis ποιειν χρονον τινα de *transigendo tempus aliquod*, legitur etiam 2 Cor. XI : 25 et Matth. XX : 12. Vide etiam quae notavimus supra ad Cap. XV : 33.

24—25. *Iudaeus autem quidem Apollo nomine*, etc.). Interseritur hic (24—28) narratio de Apollo, viro de re Evangelica apud Corinthios bene merito. Vide 1 Cor. III : 7. Ephesum is venerat, postquam Paulus, relictis ibi Aquila et Priscilla, Caesaream fuerat profectus. Erat Apollos[1] ille ortu Iudaeus, gente (τῳ γενει) Alexandrinus, vir *eloquens* (λογιος), et divinarum Scripturarum peritia haud vulgariter pollens. *Institutus hic erat in fide Christiana* (κατηχημενος την ὁδον του Κυριου) a Ioanne Baptista[2], aut ab aliquo ex huius discipulis. Hoc inde colligitur, quòd idem mox dicitur *novisse tantum baptisma Ioannis;* itaque adhuc non inaudiverat de baptismo a Christo instituto. Hinc vero etiam conficitur, virum hunc eatenus tantum in fide Christiana fuisse institutum, quatenus ex Ioannis Baptistae praedicatione didicisset, Iesum Nazarenum esse promissum Messiam, et quae Baptista praeterea discipulos suos de Iesu docuisset. Propagandae veritatis ardore fervens (ζεων τῳ πνευματι, *fervens animo*) ut erat Apollos, diligenter ea, quae de Iesu noverat, praedicabat (ελαλει) docebatque, e loco in locum, ut videtur, peregrinando. Et iam *ad Ephesum usque pertigerat* (κα-

[1]) Sic erat scribendum, non Apollo; nam graece est Απολλως. Contractum est hoc nomen ex Απολλωνιος.

[2]) « Vel dicendum est tam Apollo, quam discipulos, de quibus est sermo Cap. seq., adscendentes olim in Iudaeam de more ad diem festum, fuisse ab ipso Ioanne baptizatos, ante annos circiter viginti. » Menochius ad h. l.

τηντησεν εις Εφεσον), *incoeperatque* ibi *magna libertate* de Iesu *loqui* (ηρξατο παρρησιαζεσθαι) in synagoga. Quem quum disserentem ibi audissent Aquila et Priscilla, hominem *sibi adiunxerunt* (προσελαβοντο Aor. Med.), eique doctrinam Christianam *exactius* (ακριβεστερον) exposuerunt.

Vox λογιος et *doctum* significat, et *eloquentem;* sed posteriore hoc sensu vocabulum hic sumendum est, quum de huius Apolli *doctrina* mox speciatim mentio fiat, ubi dicitur δυνατος εν ταις γραφαις. — Κατηχεω σε τουτο proprie significat *insono tibi hoc*, tuis auribus; et hinc notat *doceo* viva voce, aut etiam aliter; peculiariter autem verbum hoc adhibitum fuit *de docendo prima artis sive scientiae alicuius elementa;* unde apud Patres Graecos saepe dicitur *de docendo prima rudimenta religionis Christianae.* Quo sensu forsitan et Lucas de Apollo scripsit : ην κατηχημενος την οδον του Κυριου. Videsis H. Stephanum (in Thesauro ad h. v.), et Suicerum, ad vocem κατηχεω. — Passive dicitur κατηχουμαι τι ut hic, aut περι τινος, ut Luc. I : 4. — De dictione ἡ οδος του Κυριου vide supra ad Cap. IX : 2. — De baptismo Ioannis vide ad Cap. I : 5. — De παρρησιαζεσθαι dictum est ad Cap. IX : 27. Vox ακριβεστερον, Neutrum Comparativi, adhibitum est Adverbialiter pro ακριβεστερως.

27—28. *Quum autem vellet ire Achaiam,* etc.). Apollos iam plenius institutus in religione Christiana, atque, uti pronum est iudicare, suscepto baptismo, Christo initiatus, quum vellet Evangelii praedicandi causa *transire* (διελθειν) in Achaiam, hominem eò propensum *Christiani Ephesini* (οἱ αδελφοι) ut id faceret *exhortati sunt* (προτρεψαμενοι[1]), et scripserunt ad Christianos (τοις μα-

---

[1]) Si Lucas scripsisset προτρεψαμενοι αυτον οἱ αδελφοι, omnino certa esset nostra huius loci interpretatio. Nunc vero dubitari potest, an non sit illud προτρεψαμενοι referendum ad τους μαθητας, ut sensus sit: fratres (Ephesini) scripserunt discipulis (Christianis in Achaia degentibus) eos exhortantes, ut exciperent eum.

θηταις) per Achaiam degentes, ut exciperent eum. Qui cum eò *advenisset* (παραγενομενος), multum *profuit* (συνεβαλετο) *fidelibus* (τοις πεπιστευκοσι) ibi commorantibus. Nam publice *disputando* cum Iudaeis, valide eos *refellebat* (διακατηλεγχετο), demonstrando per sacras V. T. Scripturas, promissum Messiam (τον Χριστον) esse Iesum Nazarenum.

Προτρεπειν notat *cohortari, impellere*. Xenoph. Mem. III : 3 : τους ανδρας επι ταυτα προτρεπειν. Eadem significatione poni solet etiam Medium προτρεπεσθαι, ut hoc loco. Sed Medium ab Activo proprie hoc modo differre docet Fischerus (apud Kuinoel ad h. l.) ad Xenoph. Cyroped. II : 2, ut προτρεπειν dicatur is, qui aliquem cohortatur; προτρεπεσθαι vero is, qui aliquem cohortatur ita, ut cohortatio utilis sit et auctori, et ei qui ad aliquid impellitur. Vide Xenoph. Mem. IV : 5; Sap. XIV : 18. — 2 Macc. XI : 7. — Συμβαλλεσθαι (Med.) *conferre* de suo, *adiumentum afferre*. — Voces δια της χαριτος[1] (*per gratiam Dei*) iunxerim cum συνεβαλετο. *Ego plantavi*, ait Apostolus (1 Cor. III : 6), *Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit*. — Praepositio δια in voce διακατελεγχεσθαι *certamen* connotat. Dativus τοις Ιουδαιοις est Dativus *directionis*, de quo vide Gr. pag. 208. 1.

---

[1]) VAR. LECT. Voces δια της χαριτος, quae in Vulgata non leguntur, ut nec in versione Syriaca, pariter absunt a Cod. D et nonnullis Minusculis.

CAPUT DECIMUM NONUM.

ARGUMENTUM. Paulus, Galatia et Phrygia peragratis, Ephesum redit, ubi incidit in viros quosdam, baptismate Ioannis tantum baptizatos; sed ab illo moniti, mox Christi baptismo mundati sunt. Iidem, quum Paulus imposuisset illis manus, Spiritum Sanctum recipiunt, idque cum dono linguarum et prophetiae, vs. 1—8. Ephesi Apostolus per tres menses docet in synagoga; sed posthac ob nonnullorum pervicaciam mutato auditorio, per biennium deinceps in schola cuiusdam, nomine Tyranni, Evangelium praedicat, praedicataeque doctrinae veritatem confirmat multa patrando miracula, et ad invocationem nominis Iesu spiritus nequam e corporibus obsessorum eiiciendo, vs. 9—13. Imitari hoc tentant Scevae Iudaei cuiusdam filii; quod ut illis male cedit, sic aliis est saluti, vs. 14—20. His ita gestis, Paulus constituit transire Macedoniam et Achaiam, deinde proficisci Hierosolymam, et porro etiam Romam videre. Ephesi dum adhuc moratur, ingentem tumultum contra eum concitat faber quidam argentarius, Demetrius nomine, qui a praedicatione Evangelii opificio suo timebat, quippe qui argenteas Dianae Ephesinae aediculas conficeret. Hunc tumultum, irrito conatu in Paulum concitatum, magistratus aliquis Ephesinus, oratione ad tumultuantem multitudinem habita, sedat, vs. 21—40.

1. *Factum est autem, quum Apollo esset Corinthi*, etc.). Dum Apollos, in Achaiam profectus (Cap. XVIII : 27), versabatur Corinthi, quae Achaiae Metropolis est, *accidit ut Paulus*, peragratis Asiae Minoris regionibus superioribus, Ephesum *veniret*, ibique *forte obviam haberet* (εγενετο Παυλον ελθειν και ευρειν) *discipulos quosdam* (τινας μαθητας). Hi non nisi Ioannis baptismo baptizati fuerant (vs. 3); Paulus autem, nescio unde, existimabat, eos iam Christi baptismo fuisse mundatos, ut ex interrogatione eius (vs. 2) liquet. — Solet Lucas μαθητας (*discipulos*) vocare eos, qui fidem Christianam professi, per Baptismi sacramentum Christianorum coetui inserti sunt; sed hoc loco *discipulorum* nomen latiori sensu adhibuit.

Vox Απολλως in quarto Casu est et Απολλων et Απολλω; sed haec forma antiquior est; eam adhibuit Theocritus, ubi dixit: η Αθω, η Ροδοπην· ex quo Virgilius: *aut Atho aut Rhodopen*. — Frequens est apud Lucam Syntaxis verbi εγενετο cum sequente Infinitivo et Accusativo *Subiecti*. Vide supra ad Cap. IV : 5. —

Ephesum reversus est Paulus, ut promissis suis (Cap. XVIII : 21) staret. — *Τα ανωτερικα μερη*, *partes superiores*, Graecis erant illae Asiae Minoris regiones, quae iacebant a mari Aegeo remotiores; unde e contra quae huic mari adiacebant, ut Ephesina regio, *τα κατωτερα μερη*, *partes inferiores*, dictae fuerint. Lucas hic per *τα ανωτερικα μερη* speciatim intelligit Galatiam et Phrygiam, quod ex Cap. XVIII : 23 conficitur.

2—3. *Dixitque ad eos : Si Spiritum Sanctum*, etc.). Discipulos illos Paulus, ut diximus, pro talibus habebat, qui Christi fidem professi, illius baptismo iam essent baptizati. Quum vero dubitaret, collatum-ne illis esset etiam sacrae Confirmationis sacramentum, dixit ad eos : *Num* (ει) *postquam credidistis* (Aor. πιστευσαντες) i. e. facti estis Christiani, *Spiritum Sanctum accepistis?* (Lege infra vs. 6, et confer quae notavimus ad Cap. VIII : 17, et ad Cap. II : 4). *Illi vero* (οἱ δε) *dixerunt ad eum : At ne audivimus quidem, an sit Spiritus Sanctus* (of er een Heilige Geest bestaat)! *Tum Paulus : In quid* (εις τι) *ergo* (ουν, i. e. quum de Spiritu Sancto nihil inaudiveritis), inquit, *baptizati estis? Cui illi : In Ioannis*, inquiunt, *baptisma* (εις το Ιωαννου βαπτισμα).

Quod est in Vulgata scriptum *in quo*, sumendum id est non in Masculino Genere, sed in *Neutro*, quum Graece dicatur non εις τινα sed εις τι. Et rectius Interpres noster scripsisset *in quid*, et mox (vs. 3) *in Ioannis baptisma;* nam in utroque loco est non εν cum Dativo, sed εις cum Accusativo. Praepositiones autem εις et εν passim alteram pro altera poni, falso statuitur. Vide, si placet, quae hanc in rem notavimus in commentario in Epistolam ad Philippenses, ad Cap. II : 11, pag. 68. In dictionibus autem βαπτιζεσθαι εις ονομα τινος vel εις τινα, Graecum εις tantumdem valet ac Latinum *in*, si dicas : *transcriptus sum* IN *nomen Pauli;* quo significatur *te esse Paulo addictum, Paulo mancipatum, te esse Pauli*. Itaque baptizari *in nomen cuiuspiam*, vel *in quempiam*,

nihil aliud est quam per baptismum alicui *addici*, *dicari*, *mancipari*, *submitti*, *voveri*, *consecrari*, *et* quodam modo *uniri*[1], unde nascatur debitum praestandi ea officia, quae istiusmodi statui congruunt; ut adeo in cuius nomen baptizatus sis, huius etiam nomen tenearis profiteri, huic obedire. Confer hic quae notavimus supra ad Cap. VIII : 16. Quod ergo dicit Apostolus : *In quid* (εις τι) *ergo baptizati estis*, hac periphrasi explicaverim : Quandoquidem, ut dicitis, ne audivistis quidem an sit Spiritus Sanctus, adeoque nec baptizati fueritis Christi baptismate, quippe quod non administratur sine mentione Spiritus Sancti, *in quid ergo baptizati estis?* — Suspicatus fuerit Paulus, ut res erat, viros illos baptismo Ioannis fuisse baptizatos; eamque ob eausam dixerit non *in quem*, sed *in quid*. Respondent : *In Ioannis baptisma* (εις το Ιωαννου βαπτισμα). In quo responso est aliquid inconcinni; quid enim intelligas *baptizari in cuiuspiam baptismum?* Nempe si aliter interrogati fuissent, dixissent, opinor, *baptizati fuimus a Ioanne;* nunc vero quum rogarentur, *in quid* baptizati essent, respondent : *In baptisma* Ioannis.

4—7. *Dixit autem Paulus : Ioannes baptizavit*, etc.). Ioannes, inquit, *baptizavit* (εβαπτισε) *baptismo poenitentiae* (βαπτισμα με-

---

[1]) Ad verba Ep. ad Rom. Cap. VI: 3 : *Quicumque baptizati estis in Christo Iesu* (Gr. εις Χριστον Ιησουν), haec notat Klee (Commentar über des Apostel Paulus Sendschreiben an die Römer p. 232) : AUF JESUS CHRISTUS GETAUFT *seyn, heiszt durch die Taufe sich ihm als Eigenthum hingegeben und Erbanspruch auf den Schatz seiner Verdienste empfangen haben* (1 Cor. 1 : 13), *heiszt als Glied ihm als Haupt geëint werden, in die innigste Gemeinschaft seines Lebens zur Theilname an seinem Geiste aufgenommen worden seyn.* — Estius (ad 1 Cor. 1 : 13) docet verba Apostoli : *An in nomine* (Gr. εις το ονομα) *Pauli baptizati estis*, in eum sensum in Graecorum commentariis exponi, ut significent : *Num per baptismum in nomen meum adscripti estis, ut Pauliani diceremini?* Salmeron (T. X, Tract. 32) ad verba Matthaei (Cap. XVIII : 19) : *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii*, etc., haec notat: « Graece, *inquit*, habetur in Accusativo : *in nomen Patris*, etc., ut hi qui baptizati sunt, transeant in nomenclaturam, aut dicantur filii Dei Patris, fratres Filii Dei, templa et habitacula Spiritus Sancti. »

ταvοιας), *populo* (τῳ λαῳ), i. e. illis quos baptizabat dicens, illos monens, *ut crederent* (ἱνα πιστευσωσι) *in venientem post ipsum* (εις τον ερχομενον μετ' αυτον), in eum qui venturus esset post ipsum, hoc est, in Iesum. — Atqui Iesus iam natus erat, et quodam modo in medio popularium suorum versabatur. Sed tunc necdum mundo fuerat manifestatus, quod factum est demum quum a Ioanne baptizaretur (Matth. III : 13, seq.); necdum publicum Evangelii praedicandi munus inchoaverat; hactenus ergo *nondum venerat*, sed *erat venturus*. Mens Pauli est dicere : Ioannem baptismi sui administratione homines adduxisse quidem ad praeteritae vitae poenitentiam vitamque novam instituendam; monuisse etiam, ut crederent in eum cuius ipse praecursor esset, quique brevi post ipsum esset venturus, id est, in Iesum, promissum Messiam; neutiquam vero illum eo ritu homines Iesu Christo initiasse; quare si *Christiani*, id est *Christi esse* vellent, oportere eos novo baptismo *baptizari in nomen Domini Iesu*. Pergit autem sacer historiographus dicere : quum vero illi viri Paulum haec monentem *audivissent* (ακουσαντες), deinde (puta postquam praecipua fidei capita fuissent edocti), Christiano ritu *baptizati fuerunt in nomen Domini Iesu* (εβαπτισθησαν εις το ονομα του Κυριου Ιησου). *Et quum*, hoc peracto, *Paulus illis imposuisset manus* (και επιθεντος αυτοις του Παυλου τας χειρας), videlicet administrando illis Confirmationis sacramentum, *venit Spiritus Sanctus super eos* (vide ad Cap. II : 4 et ad Cap. VIII : 17), *et loquebantur linguis* (vide ad Cap. II : 13), *et prophetabant* (vide ad Cap. II : 17, et ad Cap. XI : 27). — Liquet imprimis ex hoc S. Scripturae loco, baptismum Ioannis diversum fuisse a Christi baptismo; et Catholicae fidei dogma hoc esse, Tridentina Synodus definivit (Sess. VII *De baptismo*, Can. I) : *Si quis dixerit*, inquit, *Baptismum Ioannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi, anathema sit*. — Quod autem ea quae hic narrantur non favent errori Anabaptistarum vel ex eo conficitur, quod baptizati quidem dicuntur, sed *alio baptismo*, videlicet baptismo Christi; cum e contra Anabaptistae *eumdem* baptismum repetunt.

Dicitur hic βαπτιζειν βαπτισμα (*baptizare baptismum*), ut Matth. II : 10, εχαρησαν χαραν μεγαλην, et Ioan. VII : 24, την δικαιαν κρισιν κρινετε. De qua Syntaxi, a scriptoribus profanis etiam frequentata, vide Gr. pag. 228. 2. — In locutione, εις τον ερχομενον, forma Participii Temporis Praesentis adhibetur de eo *quod certo futurum est*. Vide Gr. pag. 279. 2. — In eodem illo quarto Versiculo notanda est *Traiectio;* nam solita Syntaxis postulasset ut scriberetur : ινα πιστευσωσι εις τον ερχομενον μετ' αυτον. Per voculam ινα fit ibi periphrasis Infinitivi. Vide Gr. pag. 366. 10. De vi dictionis οἱ παντες (vs. 1) vide, si placet, Hoogevenium ad Viger. Cap. III, sect. X. IV.

In verbis Ioannis Baptistae (Matth. III : 11) : Εγω μεν βαπτιζω ὑμας εν ὑδατι εις μετανοιαν, Vulg. *in poenitentiam*), Praepositio εις dicitur *de fine in quem* quid fit; ut adeo illorum verborum sensus sit : Aqua corpora vestra tingo, *ut* hoc externae lotionis signo *vos excitem* ad mundandos animos vestros, h. e. *ad poenitentiam*. Erat enim baptismus ille Ioannis non nisi signum quoddam symbolicum, quo fiebat professio novae vitae per poenitentiam inchoandae. Hinc baptismus ille dictus fuit (infra vs. 4. Marc. I : 4. Luc. III : 3. Act. III : 24) βαπτισμα μετανοιας, *baptismus poenitentiae;* ubi μετανοιας est *Genitivus obiecti,* de quo lege, si placet, Gr. pag. 188. 1. Erat ergo *baptismus* ille *poenitentiae,* baptismus qui ad agendam praeteritae vitae poenitentiam novamque vitam inchoandam induceret, et quodam modo adstringeret.

Quod vs. 4 legitur μεν[1], est hoc μεν, ut vocant, *solitarium*, de quo diximus ad Cap. I : 1; quod vero sequitur δε (vs. 5), non est δε *apodoseos* sive *redditionis,* sed *continuantis* narrationem, ut v. g. Cap. IV : 5. Negarunt hoc Philippus Marnix, Beza, et ex

---

[1]) Var. lect. Particula μεν non legitur in Codd. ABD et nonnullis Minusculis. Interpres quoque noster illam voculam non videtur legisse; scripsisset alias, opinor, *Ioannes* quidem *baptizavit*. Librarius forsitan omisit μεν particulam, quia non respondebat illi sequens δε.

Reformatis (!) non pauci, affirmantes, Particulae μεν hic (vs. 4) respondere Particulam δε (vs. 5), et ea, quae duobus hisce versiculis continentur, verba Pauli esse omnia; ut adeo ex istorum sententia, Ephesiis illis Paulus dicat : *Ioannes* QUIDEM (μεν) *baptizavit baptismo poenitentiae, populo praecipiens*[1] *ut crederent in Christum Iesum; illi vero* (δε), *qui haec audierant et fide receperant, baptizati sunt a Ioanne in nomen Domini Iesu*[2]. Quae interpretatio est falsissima, tum quia peccat in Grammaticam, quum scribatur ακουσαντες δε, non vero οι δε ακουσαντες, tum etiam quòd ex ea sequeretur, *Ioannem baptizasse in nomen Domini Iesu*, quod praeter Reformatos istos nemo umquam dixerit (et verò locutio haec : *baptizare in nomen Domini Iesu*, saepe obvia, nuspiam adhibetur nisi ad significandum baptisma a Christo Domino institutum); tum denique quòd ex pulcherrima illa interpretatione etiam conficeretur, quod Stapletonius (*Antidota* ad h. l.) animadvertit, Ephesios illos viros *bis* fuisse a Ioanne baptizatos; nam, secundum reformatam illam interpretationem, Baptista quos iam *baptizaverat baptismo poenitentiae* monendo eos ut in Christum venturum crederent, hos iterum *baptizasset in nomen Domini Iesu*[3].

---

[1]) VAR. LECT. Quum in Vulgata legatur : *baptizavit baptismo poenitentiae* POPULUM, DICENS, putares Interpretem nostrum legisse εβαπτισε.. τον λαον, λεγων. Verum haec lectio nulla, quod sciam, Graecorum Codicum aut antiquarum versionum auctoritate fulcitur. Ceterum, ad sensum quod attinet, Graeca lectio nihil differt a Latina.

[2]) Scripturae locus, de quo hic agimus, falsò redditus est tum in versione illa Belgica, quae vulgo *Staaten Bybel* dicitur, tum etiam in versione Palmiana (van der Palm), quae nostra aetate in lucem prodiit. In illa sic legitur : *Maer Paulus zeide : Joannes heeft wel ghedoopt den doop der bekeeringe, seggende tot het volk, dat zy ghelooven souden in denghenen, die nae hem quam, dat is, in Christum Jesum. Ende die (hem) hoorden, wierden ghedoopt in den name des Heeren Jesu*. In hac vero : *En Paulus zeide : Joannes doopte wel den doop der bekeering, zeggende tot het volk :* (dat hy hen doopte) *opdat zy gelooven zouden in dengenen die na hem kwam, dat is, in Christus Jesus. Zy dan, die hem hoorden, werden gedoopt in den naam des Heeren Jesus.*

[3]) Quod enim dicit Beza (ad Act. Ap. Cap. XIX : 3), *baptizare baptismo resipiscentiae* nihil esse aliud quam *docere resipiscentiam*, profecto absurdius dictum est, quam ut illud liceat refelli.

Ad haec, mirum sane, si res ita sit, cur interrogati illi Ephesii, *in quid baptizati essent,* non potius responderint : *in nomen Domini Jesu.*

Scilicet ab haereticis excogitata fuit isthaec interpretatio ad *defensionem falsi dogmatis*, quo statuerant, baptismum Ioannis diversum non fuisse a baptismo Christi; negabant autem discrimen esse inter utrumque baptismum, ut tuerentur falsam illam doctrinam, qua docebant : *Sacramenta novae Legis nullam sanctificandi efficaciam habere, sed esse tantum sigilla quaedam iustitiae per fidem iam acceptae, quae fides sola hominem coram Deo iustificet.* Quam doctrinam Tridentina Synodus damnavit, Sess. VII *de Sacramentis in genere*, his verbis, Can. IV : *Si quis dixerit, Sacramenta novae Legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua; et sine eis, aut eorum voto, per solam fidem homines a Deo gratiam iustificationis adipisci... anathema sit.* — Can. V : *Si quis dixerit, haec Sacramenta* (Novae Legis) *propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, anathema sit.* — Can. VI. *Si quis dixerit, Sacramenta* (Novae Legis) *non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae vel justitiae, et notae quaedam Christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; anathema sit.* Can. VIII : *Si quis dixerit, per ipsa novae Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere; anathema sit.*

8—9. *Introgressus autem synagogam*, etc.). Post haec *Ephesinam synagogam* (την συναγωγην) ingressus Paulus, de re religiosa *palam ac libere loquebatur* (imperf. επαρρησιαζετο) omnibus, per (επι) tres continuò menses singulis sabbatis verba ad eos faciens (διαλεγομενος), *illisque persuadens* (πειθων) *ea quae ad novae Legis oeconomiam spectarent* (τα περι της βασιλειας του Θεου). Quum

verò quidam e Synagoga *obdurescerent* (εσκληρυνοντο) et pertinaciter *denegarent fidem* (ηπειθουν Imperf.) Evangelicae doctrinae, *infamantes* (κακολογουντες) *eam* (την ὁδον) coram congregata popularium suorum multitudine, Paulus ab illis *digressus* (αποστας), *discipulos* (τους μαθητας) qui ibi essent, ab obstinatis istis Evangelii adversariis segregavit; deinde, mutato auditorio, quotidie de re Evangelica disserebat in schola cuiusdam viri, cui nomen erat Tyrannus.

De παρρησιαζεσθαι vide ad Cap. IX : 27. Forma Imperfecti hic adhibetur, quia sermo est de re quae *continuo* fiebat. — Praepositio επι hic valet Nostratium *over*, si pro : *drie maanden lang*, diceremus : *over drie maanden heen*. — De διαλεγεσθαι vide ad Cap. XVII : 17. Πειθειν hic, ut XVIII : 4. — De dictione *regnum Dei*, vide ad Cap. XXVIII : 31. — Vox εσκληρυνοντο (Pass.) valet Nostratium *verhard worden*. De voce ὁδος vide ad Cap. IX : 2. Αποστας est Particip. Aor. 2 Act. ab αφιστημι. — Μαθητας hoc loco Lucas vocaverit cum eos qui ad Pauli praedicationem amplexi iam essent fidem Christianam, tum etiam illos, qui dociles illi aures praeberent. — Τυραννος Nomen Proprium legitur etiam 2 Maccab. IV : 40, et apud Fl. Iosephum in Antiqq. XVI : 10, et de B. I. I : 26. Pronomen τις non obstat, quominus vocabulum Τυραννος pro Nomine Proprio habeatur. Vid. Marc. XV : 21, Act. IX : 43, et XXV : 19. Videtur Tyrannus ille fuisse Iudaeus aliquis doctor, qui privatam scholam haberet, qualem בית מדרש vocant Talmudici. Cf. Vitringam *De Synagoga vetere*, Lib. 1, p. 1, Cap. 5. Animadvertendum est, Paulum hic non, ut supra (Cap. XVIII : 6), declarasse se, relictis Iudaeis, deinceps Gentilibus Evangelium esse praedicaturum.

10. *Hoc autem factum est per biennium, ita ut*, etc.). In schola istius Tyranni Paulus de re Evangelica quotidie disserebat, idque *per* (επι vide ad vs. 8) totum biennium, quo factum est, ut

omnes (hyperbolice hoc dictum est) Asiae Minoris incolae, Iudaei pariter atque Gentiles, Iesu Christi doctrinam audirent. — Scilicet magna hominum multitudo ex variis Asiae Minoris regionibus continuo Ephesum confluebat, Iudaei quidem mercaturae causa, Gentiles vero tum ob exercenda commercia, tum etiam causa sacrorum. Vide infra ad vs. 25.

11—12. *Virtutesque non quaslibet*, etc.). Evangelico sermoni fidem adstruebant miracula, *eaque non vulgaria* (ου τας τυχουσας, *niet de gewoonlijke*), quae Deus *continuo faciebat* (εποιει, in Imperfecto, ut supra vs. 8) per Paulum; erantque talia illa miracula, *ut*, exempli causa, *etiam* (ὥστε και) *super* (επι) aegrotantes *deferrentur* (αποφερεσθαι), vel επιφερεσθαι *inferrentur*) *ab* (απο) eius corpore sublata sudaria et semicinctia, atque ita morbi ab illis *removerentur* (απαλλασσεσθαι), et spiritus nequam *egrederentur* (εκπορευεσθαι).

Δυναμεις ου τας τυχουσας, i. e. Virtutes non *vulgares*, atque adeo *excellentes*. « Loquutio Lucae, ait Valckenarius (ad h. l.) elegans est, et Attica. Voluptatem *exquisitam* ου την τυχουσαν ἡδονην dixit Athenaeus. Longino (de Subl. IX : 18), Moses, Iudaeorum Legislator, fuisse dicitur ουχ ὁ τυχων ανηρ, *vir minime vulgaris*, i. e. *excellentissimus*... Contra, quae nil habent eximium, i. e. vulgaria, dicuntur τα τυχοντα, et *homines de plebe*, οἱ τυχοντες. Utraque vox, σουδαριον et σιμικινθιον, Latina est, quales eo tempore et aliae quaedam in communem usum Graecorum erant receptae. *Sudarium* intelligitur linteum, quo sudorem faciei detergebant; *semicinctium* vero est tegumentum, quo opifices cingere solebant anteriores corporis partes (*een voorschoot*). Fuerint, opinor, sudaria haec et semicinctia propria fidelium, qui his Pauli corpus tangerent, eaque deinde imponerent aegrotantibus, aut iis qui ab aliquo spiritu nequam vexarentur. Obiter notandum hic est, Lucam disertis verbis distinguere aegrotantes a daemoniacis.

Confer quae notavimus ad Cap. V : 16. Praesens locus imprimis valet ad defendendum religiosum sacrarum reliquiarum cultum, qualem Catholica Ecclesia approbat. Vid. Synod. Trid. Sess. XXV : *De invocatione, veneratione, et reliquiis sanctorum, et sacris imaginibus.*

13. *Tentaverunt autem quidam*, etc.). Fuisse ea aetate inter Iudaeos, qui, invocato Dei nomine, spiritus nequam ex corporibus obsessorum eiicerent, rectissime colligitur[1] ex verbis Iesu Christi ad Pharisaeos : *Si ego,* inquiebat, *in Beëlzebub eiicio daemonia, filii vestri in quo eiiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt.* Luc. XI : 19. Exorcistas autem hos existimem *ad invocationem nominis Dei Israëlis* daemonia eiecisse. Quod vero attinet ad eum exorcistam, de quo sermo est Lucae Cap. IX : 49, 50, hunc putem[2] fuisse quempiam, qui, quamquam non erat ex numero Apostolorum aut septuaginta discipulorum, tamen esset *ex credentibus in Iesum Christum* (cf. Ioan. X : 42), et *ad ipsius nominis invocationem* impuros spiritus eiiceret. Tandem ex effato quodam S. Iustini[3] conficitur, non defuisse apud Iudaeos in hoc rerum

---

[1]) Vide Del Rio Disquisitt. Magicc. Lib. II. Q. 30. Sect. 2. Card. Tolet. in Lucae Cap. XI : 19.

[2]) Cf. Euthym. ad Marc. IX, et Tolet. ad Luc. IX : 49. Tertull. adv. Marcion. L. IV. C. 41. « *Si ego*, inquit, *in Beëlzebule eiicio daemonia, filii vestri in quo eiiciunt?* Hac voce quid magis portendit, quam in eo eiicere se, in quo et filii eorum? In virtute scilicet Creatoris. »

[3]) S. Iustin. Dial. cum Tryphone Iudaeo. Oper. Ed. Colon. 1686, p. 311 : « Κατα γαρ του ονοματος αυτου του υἱου του Θεου... παν δαιμονιον εξορκιζομενον νικᾶται και ὑποτασσεται. Εαν δε κατα παντος ονοματος των παρ' ὑμιν γεγενημενων η βασιληων, η δικαιων, η προφητων, η πατριαρχων εξορκιζητε ὑμεις, ουχ ὑποταγησεται ουδεν των δαιμονιων. Αλλ' ει αρα εξορκιζοι τις ὑμων κατα του Θεου Αβρααμ, και Θεου Ισαακ, και Θεου Ιακωβ, ισως ὑποταγησεται. Ηδη μεν τοι οἱ εξ ὑμων επορκισται τῃ τεχνῃ, ὡσπερ και τα εθνη, χρωμενοι εξορκιζουσι, και θυμιαμασι και καταδεσμοις χρῶνται, ειπον, h. e. « *Per nomen enim istius ipsius Filii Dei... daemonium quodlibet adiuratum vincitur et subiicitur. Quod si vos per nomen quodlibet eo-*

genere impostores[1]; et tales fuisse videntur exorcistae illi, de quibus Lucas hic agit. *Quidam autem*, inquit, *e circumeuntibus*[2] *Iudaeis* (Ιουδαιων) *exorcistis tentaverunt etiam* (και[3]) *ipsi super* (επι) *eos qui habebant spiritus malos* (super energumenos) *pronunciare nomen* (ονομαζειν) *Domini Iesu*[4], *dicentes : Adiuro vos* (ut exeatis) *per Iesum, quem Paulus praedicat.*

Vox Ιουδαιων sumenda est Adiective; επι Localiter. Ὁρκιζειν cum duplici Accusativo, et eius *quem* adiuramus, et eius *per quem* adiuramus, ut Marc. V : 7.

14. *Erant autem quidam Iudaei Scevae*, etc.). Sensus est : *Illi autem qui hoc faciebant* (οἱ τουτο ποιουντες, scil. id quod in antecedente versiculo narratum est) *erant filii quidam Scevae Iudaei, septem.* « Solet a Graecis, notante Valckenario (ad h. l.), indefinitum τις sic Numeralibus praefigi, ut abundare videatur. Dicaearchus *congios vini undecim* vel *duodecim* dixit οινου ἑνδεκα η δωδεκα τινας, paulo inferius memorans δεκα τινας Αιγιναιους οβολους, *decem obolos Aeginaeos*... Graecismum expressit Apuleius (Lib. II, p. 36) : *introductis*, inquit, *quibusdam septem testibus.* » Non putaverim tamen, hanc adnotationem inservire posse ad huius loci Syntaxim (ησαν δε τινες υιοι Σκευᾶ Ιουδαιου ἑπτα) explicandam, quum Lucas non scripserit, continuata oratione, aut ἑπτα τινες υιοι, aut υιοι τινες ἑπτα, sed τινες υιοι, et

---

rum, qui apud vos fuerunt, regum, aut iustorum, aut prophetarum, aut patriarcharum adiuretis, non subiicietur vobis ullum daemonium. Sed si quis vestrum adiuret per Deum Abrahae, et Deum Isaac, et Deum Iacob, fortasse subiicietur. Iam vero exorcistas vestros dixi, arte adhibita, perinde atque Gentes, adiurare, et suffitibus ac amuletis uti.

[1]) Confer Del Rio Disquisitt. Magic. Lib. 2. Q. 30. Sect. 2. § 2, qui inscribitur : *Daemones a Magis non coguntur, sed ex pacto obtemperant tantum.*

[2]) Quaestûs causa, ut videtur. S. Cyprianus (serm. *de Baptismo Christo*) eos vocat *exorcistas quaestuarios.*

[3]) Var. lect. Pro τινες απο των legitur τινες και των in Codd. AE et aliquot Minusculis.

[4]) Viderant isti, daemonia a Paulo eiici ad invocationem nominis Iesu; quare et ipsi tentaverunt eo nomine invocato daemonia eiicere.

deinde, interiectis quibusdam vocibus, ἑπτα. Itaque malim dicere, vocem ἑπτα hoc loco ad modum cuiusdam Appositionis esse sumendam, quasi tu dicas : *erant quidam filii Scevae, scilicet septem.* Si Graeca legas, demto Articulo *oi* (vid. var. lect.), vertenda sunt : *erant facientes* (faciebant) *hoc quidam filii*, etc. — Σκευᾶς Nomen Proprium, origine Graecum, est in Genitivo Σκευᾶ. Vide Gr. pag. 40. 1. Sceva ille Iudaeus, non aliunde notus, vocatur αρχιερευς (*een opperpriester*) i. e. *sacerdos princeps.* Fuerit, opinor, Sceva ille unus ex viginti quatuor praefectis viginti quatuor classium sacerdotum (vide supra ad Cap. V : 24, et cf. Ackermanni *Archaeol. Bibl.* § 354); nam etiam hos consuevisse αρχιερεας dici, notum est. — Versiculus hic decimus quartus, uti puto, habendus est pro quadam parenthesi, qua Lucas notare voluerit, *primo,* quinam essent illi τινες, de quibus dixerat (vs. 13) επεχειρησαν δε τινες, et *secundo,* eosdem iam saepius tentasse id, de quo sermo est. Versiculis vero decimo quinto et sequenti Lucas mihi videtur narrare voluisse, quam male in *certo aliquo casu* duobus (vs. 16 : *et dominatus amborum*) ex istis septem exorcismus ipsorum cesserit.

15—16. *Respondens autem spiritus nequam, dixit eis*, etc.). Respondit spiritus nequam, puta, ad prolatam ab exorcista formulam adiurationis : *Adiuro te per Iesum, quem Paulus praedicat.* Ad haec verba respondit *spiritus nequam* (Graece cum Articulo : το πνευμα το πονηρον, nempe *spiritus eiiciendus* in casu illo, quem Lucas narrat), et dixit illis : *Iesum novi, et Paulum scio,* h. e. horum iussis, obsequendum mihi esse scio; *vos vero quinam estis!* h. e. vos vero contemno ut qui nihil contra me valetis! Pergit Lucas : *Cumque*, his dictis, *homo ille, in quo erat ille spiritus nequam* (ὁ ανθρωπος εν ᾧ ην το πνευμα το πονηρον), *insiliisset* (εφαλλομενος) in exorcistas, *et utrumque* (reluctantem) *subegisset* (και κατακυριευσας αμφοτερων), *tanta vi contra*

eos *egit* (ισχυσε κατ' αυτων, supple οὕτως), ut nudi ac vulnerati ex illa domo effugerent. — Ex lectione αμφοτερων (vid. var. lect.) colligendum est in casu illo, quem Lucas narrat, duos ex septem illis Scevae filiis exorcismum tentasse.

17. *Hoc autem notum factum est*, etc.). Quae exorcistis illis acciderant (τουτο), ea brevi innotuerunt Ephesiis omnibus, tam Iudaeis quam Gentilibus; affectique inde fuere omnes sacro quodam *pavore* (φοβος, ut Cap. II : 43 et Cap. V, 11); ob eamque rem passim nomen Iesu *laudibus extollebatur* (εμεγαλυνετο). — Animadvertendum est, Lucam tacere hic de Christianis, et tantum referre, quo animo ob eam rem affecti essent Ephesi incolae Gentiles atque Iudaei. — Iesus hic vocatur ὁ Κυριος non ab iis qui laudibus eum extollebant, sed a Luca historiographo. Cf. quae notavimus ad Cap. XIII : 44.

18—20. *Multique credentium veniebant confitentes*, etc.). Sensus est : Et multi *eorum qui crediderant* (των πεπιστευκοτων[1]) h. e. qui ob ea, quae exorcistis illis acciderant permoti fuerant ad credendum (*die geloovig geworden waren*), ad coetum Christianorum *veniebant* (ηρχοντο *Imperf.* nunc hi, nunc illi), et confitebantur atque annunciabant actus suos malos. Et *sat multi* (ικανοι) *eorum, qui magicas artes exercuerant* (των τα περιεργα πραξαντων), *magicos suos libros* (τας βιβλους) contulerunt, omnibusque spectantibus eosdem combusserunt. Et computaverunt (ipsi illi τα περιεργα πραξαντες, ut videtur) *istorum librorum pretia* (τας τιμας αυτων), et invenerunt *quinquaginta millia* drachmarum (μυριαδας πεντε scil. δραχμων, de qua Ellipsi vide, si placet, Lamb. Bos *Ellipses* ex editione Schaeferi p. 119, sq.). Graeca αργυριου μυριαδας πεντε

[1]) Var. lect. Pro πεπιστευκοτων est in Cod. D πιστευοντων, in Cod. E πιστευσαντων. Alterutrum legisse videtur noster Interpres, quum verterit *credentium*.

Belgice reddideris : *vijftig duizend drachmen gelds* = *aan geld.* Scilicet αργυριον quod proprie *argentum* notat, deinde, sicut Gallicum *argent,* metonymice quoque dicitur *de pecunia* universe, ut v. g. Luc. IX : 3. Quinquaginta millia drachmarum valent viginti millia Florenorum Rhenanorum. Vide Wineri *Biblisches Realwörterbuch*, ad h. v. — Graece περιεργος proprie is dicitur, *qui praeter rem curiosus est et diligens, male sedulus*, et inepta sedulitas quacumque in re περιεργια audit. Hinc vero translatum vocabulum est ad illos significandos, qui tractabant *artes magicas*[1], quae Ephesi imprimis vigebant. Hinc veteribus commemorantur Εφεσια αλεξιφαρμακα, *amuleta Ephesia,* quibus et alii homines superstitiosi in Graecia utebantur ad mala averruncanda. Quaevis autem amuleta, quibus inscriptae erant voces aliquae magicae, dici solebant Εφεσια γραμματα. Cf. Del Rio Disquisitt. Magicc. Lib. II. Q. 1, sqq., et Lib. VI, Cap. 11. Sect. 1. Q. 1, § 4. Deylingii Sacrr. Observat. P. 3. *Observat.* 38. Kuinoel (ad h. l.), et Valckenarium (ad h. l.).

Non me latet, esse interpretes quosdam et Theologos non paucos

---

[1]) Notandus est locus S. Irenaei (Lib. I contra Haereses Cap. XXIII. Graeca hoc loco non supersunt), ubi de Simonianis haec scribit : *Exorcismis,* inquit, *et incantationibus utuntur*; *amatoria quoque et agogima, et qui dicuntur paredri et oniropompi, et quaecumque sunt alia perierga, apud eos studiose exercentur.* » Daemones paredri, ut notat operum S. Irenaei editor Massuetus (ad Lib. 1 Cap. XII), ii dicebantur, qui hominibus adsistebant, et morbos atque infortunia ab illis avertere credebantur. Magos eiusmodi daemones habuisse adsistentes sibi et obsequentes, quorum ope multa portenta ederent, scribit Tertullianus (Apol. Cap. 28). Cum illi spiritus ad tutelam dumtaxat adsistebant, dicebantur παρεδροι; cum hominibus somnia iniiciebant, vocabantur ονειροπομποι; cum eos ad terram elidebant, ut deinde tamquam ex morbo comitiali excitati, consulentibus futura praedicerent, appellabantur *Catabolici.* » *Agogima* (αγωγιμα) Theodoretus (Lib. 1 Haeret. Fabul. Cap. 2, apud Deylingium, supra cit.) intelligit φιλτρα, i. e. *pocula amatoria*, quae homines in amorem inducunt. (Iuven. VI : 609) : *Hic magicos affert cantus, hic Thessala vendit philtra.* Putaverim, S. Irenaeum Graece hoc loco scripsisse φιλτρα και αγωγιμα, quas voces pro Synonymis habuerim. — Paredrorum et Catabolicorum meminit Tertull. Lib. de An Cap. 28.

qui dicant, eos, qui πεπιστευκότες hic vocantur, intelligendos esse tales qui fidem Christianam edocti et professi, suscepto baptismo in Ecclesiam iam essent admissi; nam, inquiunt, soli fideles *baptizati* proprie dici solent *credentes*. Sed haec interpretatio ut infirmo nititur argumento, ita alia sunt quae parum eamdem commendant. Nam quod in Scripturis *credentes* vocantur etiam adulti *necdum baptizati*, animo tamen voluntateque ad amplectendam religionem Christianam parati, id quidem certissimo constat. Cf. Act. XI : 21; XVIII : 8. Iam vero series orationis suadet ut putemus, Lucam loqui *de multis* ex eorum numero, quos versiculo proxime antegresso nominaverat *Iudaeos et Gentiles*; et si versiculo decimo octavo de *alia* hominum classe loqueretur, scripsisset, opinor, non πολλοί τε, sed πολλοὶ δέ. Porro notandum est, praesentem narrationem claudi hoc veluti epiphonemate (vs. 20) : *Sic verbum Domini fortiter crescebat* (ηὔξανε) *atque invalescebat* (ἴσχυε); quibus verbis indicatur (cf. Cap. VI : 7 et XII : 24), continuo increvisse numerum fidelium. Atqui incrementum illud unde hic sumendum sit minime apparet, si illi πεπιστευκότες iam essent fideles *baptizati*. Nam illi, de quibus versiculo decimo nono sermo est, ad eamdem hominum classem pertinent ac illi πεπιστευκότες. Tandem considerandum est, accidisse ea quae hic narrantur paucis tantum mensibus postquam Evangelium coepisset Ephesi a Paulo praedicari. Iam vero quis sibi persuadeat, in novella illa Ecclesia, quae sub oculis Pauli adolescebat, fuisse ex neophytis illis Christianis non unum alterumve, sed bene *multos* qui gravia, nescio quae, peccata commisissent, atque etiam diabolicas artes exercuissent? Quae quum ita sint, nolim facere cum iis qui ex praesenti Actorum loco argumentum ducunt ad probandum usum confitendi peccata post baptismum admissa. Qua in re mecum sentire video Lorinum (ad h. l.), Andream Vega (*De Iustificatione*, Lib. XIII. Cap. 28), et Estium (*Annotationes in loca difficiliora*, ad h. l.), cuius verba hic subiicio : « Non alia, *inquit*, videtur hic

intelligi confessio quam qualis facta legitur Matthaei Cap. III a Iudaeis venientibus ad baptismum Ioannis, quem constat non fuisse sacramentalem. Erat autem quaedam exterior professio verae poenitentiae et sincerae conversionis ad Deum ac detestationis peccatorum, si quis ea non veretur etiam palam annuntiare; quod videtur hic factum *ab iis qui recens crediderant, et baptizari volebant;* inter quos erant qui curiosa fuerant sectati, id est, Magica exercuerant; atque hoc peccatum suum, etiam allatis secum libris iisque publice combustis, confessi sunt. »

21—22. *His autem expletis*, etc.). Postquam Ephesi gesta essent (επληρωθη) quae adhuc (1—19) narrata sunt (ταυτα), Paulus *apud se statuit* (εθετο εν τῳ πνευματι) *posuit in animo*, peragratis Macedonia et Achaia, proficisci Hierosolymam, dicens : postquam illic (Hiërosolymis) fuero, oportet me etiam Romam videre. — Macedoniam et Achaiam Apostolus peragrare voluerit ad visitandas ecclesias, quas in iis regionibus recens fundaverat. Hoc igitur animo quum esset, *praemisit* (Aor. αποστειλας) in Macedoniam duos ex suis in re Evangelica adiutoribus, videlicet Timotheum et Erastum; ipse interim remansit ad tempus in Asia, puta Ephesi.

Πληρουσθαι de rebus *gestis* hic, ut Luc. I : 1. — Quod dicitur εθετο (Aor. 2 Med.) εν τῳ πνευματι a multis refertur *ad Spiritum Sanctum*, quo suggerente Paulus concilium cepisset Hiërosolymam proficiscendi; iidemque verbo τιθεσθαι notionem tribuunt *proponendi sibi rem quampiam.* Ego vero ut non nego Paulum ductu Spiritus Sancti illud consilium iniisse, ita tamen dubito an Lucas id significare voluerit per verba εθετο εν τῳ πνευματι. Nam nudum τιθεσθαι nuspiam, quod sciam, dictum occurrit de *proponendo sibi aliquid.* Facit mecum interpres Syrus, qui hunc locum reddidit : *posuit* IN MENTE SUA (ܒܪܥܝܗ). Δει, *oportet;* ardebat nempe Apostolus desiderio Romam, i. e. Christianos qui illic erant visendi. Cf. Ep. ad Rom. Cap. I : 9—16. — Επεχειν scil. ἑαυτον, *se reti-*

nere, pro *morari in aliquo loco*. Locutionis huius exempla videsis apud Wetstenium (ad h. l.). Usus Praepositionis εις repetendus est hoc loco, ut mihi videtur, a Verbi επεχειν notione, quae *motum quemdam in locum* connotat.

23. *Facta est autem illo tempore*, etc.). Quo tempore Paulus, missis in Macedoniam Timotheo et Erasto, Ephesi adhuc morabatur, *gravis* (ουκ ολιγος) ibi exstitit tumultus (ταραχος), causâ praedicatae doctrinae Christianae (περι της όδου). — Praepositio περι dicta hic est de *causa movente*. Eodem sensu περι legitur etiam Ioan. Cap. X : 33, ubi Iudaei Christo respondent : Περι καλου εργου ου λιθαζομεν σε, αλλα περι βλασφημιας, και ότι συ ανθρωπος ων, ποιεις σεαυτον Θεον, *ob bonum opus non lapidamus te, sed ob blasphemiam, et quia, homo cum sis, facis te ipsum Deum*. Ubi Particula ότι αιτιολογικη, ut notat Hermannus (ad Vigeri Cap. IX, Sect. VII : 1), per Particulam και praecedentibus connexa, ostendit veram του περι significationem causativam. — Ἡ όδος intelligitur illa, quae supra Cap. XVIII : 25 vocatur ή όδος του Κυριου. De notione vocis όδος hoc loco, vide ad Cap. IX : 2.

24. *Demetrius enim* (γαρ) *quidam nomine*, etc.). Enarrat iam Lucas, a quonam et quo modo excitatus fuerit ille tumultus. *Scilicet* (γαρ) quidam *nomine* (ονοματι) Demetrius, faber argentarius (αργυροκοπος), qui conficiebat templa Dianae argentea, quaestum non modicum inde afferebat artificibus suis. — Puta Demetrium fuisse dominum officinae cuiusdam, ubi argenteas illas aediculas ab *harum rerum opificibus* (τοις τεχνιταις) fabricandas curaret.

Particula γαρ hic valet *videlicet, scilicet*, ut Matth. I, vs. 18. Ονοματι est *Dativus Relationis*, de quo vide ad Cap. IV : 36. Αργυροκοπος ab αργυρον et κοπτειν Belgice valet *een zilverslager*. Sunt interpretes qui putant, ναους αργυρους Αρτεμιδος fuisse

nummos quosdam argenteos, in quibus Dianae templum repraesentaretur; sed istiusmodi *nummos* exstitisse, nullo argumento probari potest. Itaque intelligendae videntur aediculae sive thecae argenteae, quae fabricatae essent ad exemplar templi Dianae Ephesinae, idque ita ut simul eius deae icunculam aliquam continerent. In hanc sententiam ducit nota quaedam veteris scholiastae ad Aristotel. Rhetoric. Lib. I, Cap. XV. Nam hic illos parvulorum templorum fabricatores vocat ναοποιους, et ναοποιοι illi sunt, referente Deylingio (in *Observ. Sacrr.* P. 3, p. 364), οἱ τινες ποιουσι ναους, ητοι εικονοστασια τινα μικρα ξυλινα, και πολουσι αυτα. Ubi ναοι sunt εικονοστασια, i. e. *aediculae cum icunculis.* Rem sic intellexit etiam Ammonius (in Catena Graeca supra citata) : ηδει ουν ὁ Δημητριος, inquit, ὅτι ηπατά τους ανθρωπους, ποιων αυτοις ναους και θεους αργυρους. Tales aediculas Strabo vocat ναισκους, et Polybius ναιδια. — Magnificentissimum erat illud Dianae templum, atque ita ut inter septem orbis miracula annumeraretur. Descriptionem eius templi legere est apud Gronovium, in Thess. Antiq. Tom. VIII, p. 2646. In intimis templi penetralibus custodiebatur Dianae statua, quam credebant non humana arte fuisse confectam, sed coelitus delapsam, atque adeo divinitus datam. Ita Palladium (παλλαδιον h. e. *parvum Palladis simulacrum*) Troiae creditum fuit διοπετες αγαλμα, *simulacrum a Iove delapsum.* Similia de suo *Ancili* sive scuto fabulati sunt Romani. Peculiari quadam religione Ephesia illa Diana colebatur, non tantum a finitimis, verum etiam a populis quam remotissimis. Vide Deyling. p. 374, sqq. Itaque exteri magno numero continuo Ephesum adventantes, argenteas illas, quas diximus, Dianae aediculas, cultûs causa, ibi emere secumque domum asportare consueverint; undè facile intelligitur uberrimi quaestus fuisse istius suppellectilis opificium.

25—26. *Quos convocans,* etc.). Ergo Demetrius ille quum satis praevideret officinae suae timendum esse a Paulo, huic malo

ut occurreret, tum suos artifices, tum etiam eos opifices, quorum opera ad illarum aedicularum fabricam utcumque pertineret (και τους περι τα τοιαυτα εργατας), in unum *congregavit* (Aor. συναθροισας), eosque in hunc modum allocutus est : Probe scitis, o viri, ex hoc opificio nostram provenire opulentiam. Atqui et ipsi videtis, et ab aliis auditis, quod *Paulus iste* (ὁ Παυλος οὗτος), dum docet, deos non esse eos qui per manus hominum fiunt, multos non solum ex Ephesiis, sed ex tota fere Asia (Minori) *persuadendo* (πεισας) avertit a cultu Deorum. — Graeca verbotenus reddita sic sonant :... *quod non solum Ephesi* (i. e. civitatis Ephesinae), *sed fere totius Asiae Paulus iste persuadendo avertit magnam turbam, dicens quod dii non sunt ii, qui manibus fiunt.* Sicubi post ου μονον ponitur αλλα sine και, ibi *Gradatio* est.

27. *Non solum autem haec periclitabitur nobis pars*, etc.). Pergit Demetrius, et causam suam privatam tegens sub speciosa larva religionis : *Non solum autem*, inquit, *periculum est, ne hoc nostrum opificium in contemtum veniat, verum etiam ne magnae Deae Dianae templum pro nihilo reputetur, futurumque sit ut maiestas aboleatur illius, quam tota Asia, imo totus terrarum orbis veneratur.* — Graeca ad litteram Latine reddita sic sonant : *Non solum autem haec periclitatur nobis* (ἡμιν Dativus Incommodi) *pars* (cette partie, cette branche, ce métier) *in reprehensionem* (atque adeo in contemtum) *venire, sed etiam magnae Deae Dianae templum* periclitatur *pro nihilo reputari, et* (τε) periclitatur *futurum esse, ut aboleatur quoque* (και) *maiestas illius, quam tota Asia et orbis terrarum veneratur.* — Infinitivi λογισθηναι et μελλειν pendent a verbo Finito κινδυνευει. — Σεβεται, quum forma sit Temporis Praesentis, obstat quominus dici possit, orationem *directam* inde a voce μελλειν transire in *indirectam.*

28—29. *His auditis, repleti sunt ira*, etc.). Cum autem con-

gregati a Demetrio opifices hos sermones *audivissent* (ακουσαντες) *factique inde essent* (και γενομενοι Aor.) ira pleni, iam tamquam vindicaturi laesam a Paulo Dianae maiestatem, *vociferabantur* (εκραζον Imperf.) dicentes : Magna est Diana Ephesiorum! Cumque ita clamantes per urbem discurrerent, mox totius civitatis perturbatio facta est, *irrueruntque* (ώρμησαν τε) *unà* (ὁμοθυμαδον) omnes (Demetrius, opifices, et reliqua multitudo) in theatrum, eòdem *rapientes* (συναρπασαντες) Macedones duos, Gaium et Aristarchum, Pauli *socios peregrinationis* (συνεκδημους). — Paulum ipsum non invenerint in aedibus ubi commorari soleret.

Ὁμοθυμαδον, *una, simul, pariter,* ut supra Cap. II : 46, et Cap. V : 12. — Aoristus Participii hoc loco adhibetur non de eo quod praecessit, sed de actu contemporaneo, ut Cap. I : 24 et XI : 30. « Notus est mos Graecarum urbium, ait Raphelius (in *Annott.* ad h. l.), ut theatris curiarum vice uterentur, in iisque et consultarent, et causas disceptarent. »

30—31. *Paulo autem volente intrare in populum*, etc.). Quum Paulus, audito quod acciderat, *prodire vellet in turbam* (εισελθειν εις τον δημον), verba facturus ad tumultuantem istam multitudinem, *Christiani* (οἱ μαθηται), *qui* tunc forte cum eo erant, *non siverunt eum* (ουκ ειων) illuc ire. Nonnulli etiam *ex Asiarchis* (των Ασιαρχων), qui, etsi Gentiles, Paulo tamen bene volebant (οντες αυτῳ φιλοι), *missis ad eum nunciis,* πεμψαντες προς αυτον), adhortabantur eum ut ne *daret se in theatrum* (ne se committeret theatro).

Quae duobus hisce versiculis dicuntur, habenda sunt pro quadam parenthesi; nam descriptio tumultûs vs. 30 abrupta, resumitur vs. 32. — Asiarchae, utor hic fere verbis Kuinoelii (ad h. l.), de nomine provinciae cui praeerant, ita dicti, ut Syriarchae, Cypriarchae, etc. erant in Asia proconsulari, cuius metropolis Ephesus, decem summi sacrorum praefecti, ad quorum munus etiam spectabat, in honorem deorum et imperatoris Romani, quotannis ludos

theatrales suis sumtibus (ut Romae aediles) edere; unde nonnisi opulentiores hanc provinciam subire poterant. Munus Asiarchae annuum erat. Eligebatur hoc modo : initio cuiusque anni, id est, sub aequinoctium autumnale, singulae urbes Asiae concionem habebant, in qua uni ex suis civibus Ασιαρχιας honorem deferebant. Tum unaquaeque civitas legatum in certam urbem mittebat Asiae proconsularis primariam (quales erant Ephesus, Smyrna, Sardes, aliae) ad το κοινον, i. e. ad commune gentis concilium, qui nomen eius, qui domi electus erat, publice renuntiaret. Ex his autem quos singulae urbes Asiae Asiarchas nominaverant, tum seligebantur Asiarchae decem, quorum unus ceteris praeficiebatur.

32. *Alii autem aliud clamabant,* etc.). *Ergo* (ουν) varii ibi erant clamores, *aliis alia quaepiam vociferantibus* (αλλοι αλλο τι εκραζον). Nec id mirum; erat enim *coetus ille* (ἡ εκκλησια) coetus *confusus* (συγκεχυμενη) i. e. turbatus, uti fit quando plebs tumultuarie concurrit, et *plerique* (οἱ πλειους) nesciebant, quanam ex causa illuc convenissent.

De vi Particulae ουν hoc loco, vide ad Cap. VIII : 4 : et de usu, quem hic habent μεν et δε (vs. 33), vide ibid. ad vs. 25.

33—34. *De turba autem detraxerunt Alexandrum,* etc.). Εκ δε του οχλου, scil. τινες, quod hic supplendum videtur, ut certe supplendum est Ioan. XVI : 17. Itaque verterim : *Quidam autem ex illa turba protraxerunt Alexandrum, Iudaeis eum* (pone) *propellentibus*[1]. Alexander autem, iam, ut videtur, in eminentiori aliquo loco constitutus, quum *manu mota* (κατασεισας την χειρα. Vide ad

[1]) Quem in finem Alexandrum protraxerint illi, et hi propulerint, in tanta brevitate narrationis certo dici nequit. Incertum pariter est, fuerit-ne Alexander ille Christianus nec-ne; nam quod vs. 34 ab Ephesiis Ιουδαιος dicitur, id quidem rem non conficit; potuit enim fuisse Iudaeo-Christianus. Nec magis scitur, quid Alexander ille apologia sua proprie intenderit.

Cap. XII : 16) silentium indixisset multitudini volebat *verba apologetica facere* (απολογεισθαι) *ad populum* (τῳ δημῳ Dativus *Directionis*). *Quum vero cognovissent* (επιγνοντες' Nominativus Absolutus, ut Marc. IX : 20. Vide Gr. pag. 180. 1. Kuhner § 678) Alexandrum esse Iudaeum, una voce omnes vociferari coeperunt : Magna est Diana Ephesiorum! Atque is clamor ad duas ferme horas perduravit. — Posteriora versiculi 34 verba ex Graeco verbotenus reddita sic sonant : *Vox fiebat una* emissa *ex omnibus fere per* (επι, ut supra vs. 8) *duas horas clamantibus : Magna est*, etc.

35—40. *Et cum sedasset scriba turbas, dixit*, etc.). Interea advenerat ὁ γραμματευς, *scriba civitatis archivarius*, cui inter magistratus Ephesios praecipua quaedam auctoritas competebat (vide Deylingii *Observat. Sacr.* P. 3, p. 382, sqq.). Hic ubi clamosam illam turbam *sedasset* (καταστειλας), sic illos affatus est : *Quisnam* (τις γαρ) *hominum est qui nesciat, Ephesiorum civitatem cultricem assiduam* (νεωκορον) *esse Magnae Dianae coelitusque delapsi* (του Διοπετους scil. αγαλματος) *simulacri?* Vult dicere, uti puto, nihil causae esse cur, facto concursu, suam erga Dianam Ephesinam venerationem tantis clamoribus profiterentur; esse enim toti terrarum orbi notissimum, Ephesiorum civitatem esse cultricem assiduam magnae Dianae et simulacri eius coelitus delapsi. — Captata autem hac laudatione eorum benevolentia, pergit dicere : *Quum ergo his non contradicatur* (αναντιρρητων ουν οντων τουτων), *oportet vos esse sedatos, nec quidquam temere agere*. Vult dicere haec : Quum *igitur* (ουν est hic *concludentis*, sed eo modo, quo in Ep. ad Philipp. Cap. II, vs. 1) nemo negaverit, aut civi-

¹) Var. lect. Pro επιγνοντες legitur επιγνοντων in Cod. D. Librarius, opinor, επιγνοντων scripserit, quod Nominativum επιγνοντες hoc loco pro vitiosa scriptione haberet.

tatem Ephesiorum cultricem esse magnae Dianae, aut simulacrum eius, quod in Ephesino templo reconditur, coelitus esse delapsum, non est cur animo commoveamini, sed oportet vos esse sedatos, nec inconsiderate quidquam agere, sicut facere iam incoepistis. *Nam* (γαρ) *adduxistis viros hos* (Gaium et Aristarchum vs. 29) tamquam reos laesae maiestatis Dianae, *quum tamen nec sacrilegi sint* (i. e. nec Dianae templum depraedati fuerint), *nec quidquam impie in deam vestram dixerint.* — Hoc non affirmasset scriba, nisi certo scivisset, nullo argumento probari posse, Gaium et Aristarchum reos esse insimulati criminis. Ut autem ostendat, se, etsi reprobasset tumultuarium illum concursum, nolle tamen ut cuiquam ius negetur, si quam haberet adversus quempiam querelam, ita dicere pergit: *Si Demetrius igitur* (ουν pergentis, ut supra), *et qui cum eo sunt artifices, causam* (λογον) *habent adversus aliquem, forenses* (αγοραιοι scil. ἡμεραι) *dies aguntur* (i. e. dies, quibus causae ad tribunal afferri possunt) *et proconsules sunt* (qui causas cognoscant); *invicem se accusanto* (εγκαλειτωσαν i. e. causam inter se disceptent). *Quod si quid exquiritis, Ephesii, quod ad res alias* (quam privatas) *pertineat* (τι περι ἑτερων), *poterit hoc absolvi (expediri) in legitima concione* (εν τῃ εννομῳ εκκλησιᾳ) i. e. in ea quae identidem convocatur per quos oportet). *Etenim* (και γαρ) *periculum est, ne propter hanc diem*[1] (περι της σημερον i. e. propter tumultum hodie factum) *arguamur seditionis, quum nulla exsistat causa* (μηδενος αιτιου ὑπαρχοντος[2]), *propter quam* (περι οὑ) *reddere poterimus* (δυνησομεθα) *rationem* tumultuosi *huius concursus. Et cum haec dixisset, concionem dissolvit.*

Καταστελλειν conferri potest cum Nostratium *nederzetten.* —

---

[1]) Interpres noster pro στασεως περι της σημερον videtur legisse της στασεως της σημερον, quum vertat: *argui seditionis hodiernae.*

[2]) Erant, inquit Grotius (ad h. l.), exceptiones quaedam, ut in adventu hostium, incendio, et rebus similibus. Ideo dicit NULLAM *huius concursus* CAUSAM *posse reddi.*

Dicit ανδρες Εφεσιοι, ut solet dicere Demosthenes ανδρες Αθηναιοι. — « Νεωκορον, ait Valckenarius (ad h. l.), *cultricem* docte vertit Latinus Interpres, ut sunt in illa versione Latina, quam *Vulgatam* dicunt, multa elegantissima... A voce κερω sive κειρω, *scindo*, derivatum nomen κορος *scopas* notabat; hinc κορειν, *scopis verrere*, quod vulgo σαρουν dicebatur; hinc composite νεωκόρος in origine is erat *qui aedem sacram verrebat* et *purgabat*; illud autem mox ad illum translatum est, *qui templum*, vel *aedem tuebatur*, sive ad *aedituum*, postea etiam ad *sacerdotes*. Tandem, *qui hunc illumve deum* prae ceteris *eximia religione venerabantur*, dicti sunt istius dei νεωκόροι. Aevo recentiori hoc titulo honestari amabant *civitates*, quae peculiari ratione Deo cuidam erant consecratae. Dianae sic cultrix Ephesus, Dianae dicitur νεωκόρός... Docuit autem Graevius in Graecis nummis, qui quidem cusi sunt sub Imperatoribus Romanis, frequenter eas civitates vocari νεωκόρους Καισαρους, *Caesaris aedituas*, quae turpi adulatione templa Imperatoribus, ut Diis, erexerant. » De usu Participii ουσαν (in γινωσκει... νεωκόρον ουσαν), vide, si placet, Gr. pag. 369. 1. Διοπετης, ὁ, ἡ, et το διοπετες (a Διος *Iovis* et πετω *cado*) *a Iove=e coelo delapsus*. Το διοπετες Elliptice dictum est pro το αλαγμα διοπετες, *simulacrum coelitus delapsum*; et intelligitur hic (το) simulacrum Dianae Ephesiae. Vide supra ad vs. 24. — Interpres noster pro διοπετους videtur legisse διοπαιδος, quum verterit *Iovis prolis*.

CAPUT VIGESIMUM.

Argumentum. Paulus post sedatum illum tumultum, relicta Epheso, in Macedoniam proficiscitur; visitatisquo ibi novellis Christianis, a Macedonia vouit in Achaiam; ubi per tres menses commoratus, quum hinc pararet navigare in Syriam, insidiao illi struuntur a Iudaeis; quam ob rem per Macedoniam revertitur in Asiam, vs. 1—4. Venit ergo Philippos, indeque Troadem, ubi septem dies commoratur, vs. 4—7. Quo tempore adolescentom quemdam, Eutychum nomine, a morte ad vitam revocat. vs. 7—13. Lucas et reliqui Pauli comites Troade solvunt, et Assum navigant, ubi Paulus, facto illuc pedibus itinere, ex condicto eos convenit. Asso unà omnes solventes perveniunt Miletum, praeternavigata Epheso, vs. 13—17. E Mileto mittit Paulus qui Ephesinae ecclesiae presbyteros ad ipsum arcesserent. Hi quum venissent, Paulus valedictoriam ad illos habet orationem, in qua ot apostolicam suam erga eos sollicitudinem commemorat, et praedicit, magnas sibi afflictiones ob causam Evangelii esse obventuras, nec eos deinceps illum esse revisuros. Graviter deinde eosdem cohortatur ut diligenter tam suao quam commissi sibi gregis saluti invigilont; venturos enim esse post abitum suum falsos doctores, imo etiam ex ipsorum ordine exorturos falsae doctrinao praecones. Postremo divinae gratiae eos commendat, eosque hortatur, ipso se in exemplum proposito, ut ne in re Evangelica commoda sua et utilitates quaerant; qua admonitiono clausa sua oratione, genua ponit, atque ultimùm cum omnibus illis Deum precatur, vs. 17—36. Iamque lacrymabundi omnes, et in collum Pauli effusi, inter oscula supremum vale illi dicunt; deinde abeuntem deducunt ad navem, vs. 37—38.

1. *Postquam autem cessavit tumultus*, etc.). Postquam autem *cessasset* (παυσασθαι Aor. Med.) *ille* tumultus (τον θορυβον), Paulus *ad se convocavit* (προσκαλεσαμενος Med.) *Christianos Ephesios* (τους μαθητας[1]), eosque exhortatus est, puta, ut in profitenda Christi Religione essent constantes, neque ob aerumnas, quibus Evangelii causa premerentur, a proposito deficerent. Post quae, *amplexus* illos illisque *vale dicto* (ασπασαμενος), Epheso *exivit ad proficiscendum* (εξηλθε πορευθηναι) in Macedoniam. — Ασπαζομαι Verbum Depon. Med. quod proprie valet *ad me traho*, adhibetur de *amplexando* aliquem, et porro dicitur de *salutando* aut *valedicendo*, sive id fiat cum amicorum amplexu, sive absque eo.

---

[1]) Var. lect. Post vocem μαθητας ABDE, multi Minusculi, et plures versiones antiquae addunt και παρακαλεσας Codd.

2—3. *Cum autem perambulasset partes illas*, etc.). Ubi vero peragrasset *regiones illas* (τα μερη εκεινα), scilicet Macedoniae, *et ad perseverantiam cohortatus fuisset* (παρακαλεσας) plurimo sermone *Christianos ibi degentes* (αυτους), venit inde *in Achaiam* (εις την Ἑλλαδα. Vide ad Cap. XIX : 12); et *commoratus* (ποιησας) ibi menses tres, quum *illi hinc in Syriam navigaturo insidiae struerentur a Iudaeis* (γενομενης αυτῳ επιβουλης ὑπο των Ιουδαιων μελλοντι αναγεσθαι εις την Συριαν), consilium cepit per Macedoniam in Asiam revertendi.

Ποιειν hic de *transigendo tempus aliquod*, ut supra Cap. XVIII : 23. Ποιησας est *Nominativus absolutus*, ut Cap. XIX : 34. Usitata Syntaxis postulasset hoc loco ut scriberetur : ποιησαντι... εγενετο γνωμη. Istiusmodi Anacoluthon non infrequenter occurrit etiam apud scriptores bene Graecos. Vide Gr. pag. 518. H. Hermannum *in Appendice* ad Viger. VI. *De Anacolutho*, p. 894; Kühnerum, § 677—79. — De verbo Medio αναγεσθαι, *navigare*, diximus ad Cap. XIII : 13. Infinitivus ὑποστρεφειν hic ad modum Substantivi construitur cum Articulo, pendetque a voce γνωμη. Confer Nostratium : *het besluit* VAN *terug te keeren*. Eadem Syntaxis est in hoc Pauli (I Cor. IX : 5) : ουκ εχομεν εξουσιαν του μη εργαζεσθαι.

4—5. *Comitatus est autem eum*, etc.). Habebat Apostolus huius itineris comites viros septem hos : Sopatrum, Pyrrhi filium, Beroeensem; *ex Thessalonicensibus* (Θεσσαλονικεων) vero Aristarchum et Secundum, et Gaium Derbensem, et Timotheum; ex Asianis (ex Asia Minori) tandem Tychicum, et Trophimum. *Hi* (comites) *praegressi* (προελθοντες), ait Historiographus noster, *exspectarunt* (εμενον) NOS (Paulum et Lucam) Troade. — Ex quo patet, Lucam, qui Philippis remansisse videtur (vide ad Cap. XVI : 40), hic denuo venisse in Pauli consortium.

Συνειπετο, Imperfectum a συνεπομαι (συν, et ἑπομαι *sequor*).

Vocabulum hoc raro obvium Auctor *Glossarii sacri* explicat συνηκολουθησε. — Αυτῳ est Dativus *societatis*, de quo videsis Kühnerum § 573. — Sopater ille forsitan idem est cum eo qui Rom. XVI : 21 Sosipater dicitur. Certe nomen Σωπατρος ex Σωσιπατρος contractum est. Aristarchus is est, qui supra (Cap. XIX : 29) memoratus. Timotheus ille intelligitur, de quo inde a Cap. XVI : 1 iam saepius sermo fuit. Tychicus et Trophimus iidem censentur cum iis quorum mentio fit Ephes. VI : 21 et 2 Tim. IV : 20. Reliqui duo, Secundus, et Gaius Derbensis (adeoque ex Lycaonia oriundus), non aliunde cogniti sunt. Μενειν dicitur intransitive de *commorando*, et transitive de *exspectando aliquem*. Quo sensu etiam Latini illud verbum adhibuerunt, ut v. g. Livius (Lib. 42, 66) : *Ipse*, inquit, *hostium adventum, elatus successu, mansit.*

6. *Nos vero navigavimus post dies Azymorum a Philippis, etc.*). *Dies Azymorum* intelliguntur dies septem (scil. dies festus Paschatis et sequentes sex), quibus ex Mosaicae legis praescripto Iudaei panes manducabant *azymos* (αζυμους ab α privativo et ζυμη *fermentum*) sive *infermentatos*. — Paulum cum sociis suis hunc ritum observasse, non video quanam ratione ex Lucae verbis colligi possit. Certe fieri potuit, ut Lucas scripserit *post dies azymorum*, sed tantum *ad notandum tempus*, quo unà cum Paulo et Sila Philippis solvit, Troadem iturus. — Troadem, ad socios qui ibi eos exspectabant (vs. 5), pervenerunt αρχις ἡμερων πεντε, h. e. *intra dies quinque; proprie usque ad* (αχρις) *dies quinque*, ante dies quinque effluxos, i. e. sub finem diei quinti, die quinto. Videsis Tittmanni libellum *de Synonymis in Novo Testamento*, Cap. III, p. 33, sqq. Commorati sunt Troade dies septem, quo tempore memorabile quidpiam accidit, de quo iam sequitur (7—13) narratio.

7—12. *Una autem sabbati*, etc.). Intelligitur dies *prima* (μια)

hebdomadis (των σαββατων) Iudaeorum, adeoque dies Solis, quam Christiani vocamus *diem Domini*, sive *Dominicam*. Nimirum *Cardinale* nomen εἰς, *unus*, non ita raro in his libris (Matth. XXVIII : 1; Marc. XVI : 2; Luc. XXIV : 1 et I Cor. XVI : 2) adhibetur ex Hebraismo (vide Gesenii *Lehrgebäude der Hebräischen Sprache*, § 182) pro *Ordinali* πρωτος, *primus*. Utraque forma, et *Singularis* το σαββατον, et *Pluralis* τα σαββατα, promiscue usurpatur de *uno* sabbato; et significat haec vox nunc quidem *septimam quamque hebdomadis diem*, nunc vero *hebdomadem* sive *septimanam* (une semaine); quo posteriore sensu hoc loco sumenda est. Dies haec dominica erat postrema ex iis septem, quibus Troade commoratus est Paulus cum suis; nam postridie profectus est. Cf. vs. 7, 11.

Verba Lucae (7—9) hac periphrasi explicaverim : Die autem dominica, quum circa noctem convenissemus (*nos et Christiani Troadenses*) ad celebrandam Eucharistiam (κλασαι αρτον), Paulus, quippe postridie a Troadensibus discessurus, *verba ad eos fecit* (διελεγετο αυτοις. Vide supra, p. 417), produxitque suum sermonem usque in mediam noctem. Erant autem lucernae multae in coenaculo, in quo tum eramus congregati. Adolescens vero quidam, Eutychus nomine, super fenestram (*op de vensterbank*) sedebat; is gravi somno oppressus est; quumque Paulus diutius επι το πλειον) *loqueretur* (διαλεγομενου), *ab* (*prae*) *eo somno* (απο του ὑπνου) e fenestra *deiectus* (κατενεχθεις), cecidit *ex tertia contignatione* (απο του τριστεγου) deorsum, et sublatus est mortuus (*hij werd dood opgenomen*[1]). Id ubi Paulus cognovisset, e coenaculo

[1]) Quum adolescens ille dicatur sublatus fuisse *mortuus* (νεκρος), quo iure dicunt quidam, eum non vere mortuum fuisse, sed tantum passum animi deliquium? Si hoc, quidni Paulus ergo dixit : *anima eius* ADHUC *in ipso est*. Dixit autem : *anima eius in ipso est!* His scilicet verbis adolescentem *vivere* affirmat, simul cum hoc dicto vitam illi restituens; ut adeo eius sermo fuerit operans, quo modo operans fuit sermo Christi, quum Capharnaeo illi Regulo diceret : *Vade, filius tuus vivit* (cf. Ioan. Cap. IV : 49—54). Nec dubito,

descendit, incurvato corpore super Eutychum incubuit, eumque *circumplexus* (συμπεριλαβων) adstantibus ob inopinatum casum turbatis dixit : Nolite turbari! nam anima eius in ipso est. Cumque rursus *adscendisset* (αναβας) in coenaculum, et *fregisset panem atque gustasset* (κλασας τον αρτον και γευσαμενος), et deinde *diu* (εφ' ικανον scil. χρονον), *usque ad diluculum* (αχρις αυγης scil. της ἡμερας) congregatos iterum *esset allocutus* (ὁμιλησας), *sic* (οὑτως, i. e. illis rebus peractis) a Troade profectus est, pedestri itinere Assum iturus. *Adduxerant* (ηγαγον) autem adolescentem illum in coenaculum viventem; *nec mediocriter* (ου μετριως) inde refocillati fuerant (παρεκληθησαν) omnes.

Λαμπαδες ικαναι, *lucernae satis multae;* puta propter solemnitatem sacri conventus. De voce ὑπερῳον vide supra ad Cap. I : 13. — Θυρις Diminutivum a θυρα, *ianua*, ergo *ostiolum;* hinc *fenestra.* — Βαθυς, *profundus*, Metaphorice etiam dicitur de eo quod in suo genere *magnum* aut *summum* est. Exempla affert Kuinoel ad h. l. — Ὑπνῳ βαθει est *Dativ. Instrum.* — Καταφερεσθαι conferri potest cum Nostratium *door grooten slaap bevangen worden.* — In locutionibus (vs. 11) εφ' ικανον, *satis diu*, et (vs. 9) επι πλειον, *diutius*, Praepositio επι notionem habet, quam supra (ad vs. 8) diximus. In απο του ὑπνου Praepositio απο dicitur *de causa*, ut supra, Cap. XI : 19. — Τριστεγον (a τρεις et στεγη *tectum*) *tertium tectum, tertia contignatio;* Nostratium : *de derde verdieping.* — Αγειν de *adducendo*, ut supra Cap. V : 27 et XIX : 37. De forma Aoristi ηγαγον vide ad Cap. V : 27. — Aor. ηγαγον, *ad-*

---

quin Paulus dum cadaver adolescentis complecteretur, unà a Deo petiverit, ut vellet eum suo ministerio ad vitam revocare. « *Inter verba praedicationis*, ait Ven. Beda (ad h. l.), *occurrit occasio curationis, ut dulcedine miraculi et doctrinae sermo firmetur, et vigiliarum labor arceatur, et memoria magistri iam discessuri arctius menti infigatur.*

S. Chrysostomus (Hom. 43 in Act.) in illo Pauli effato, *anima eius in ipso est*, Apostoli miratur modestiam, ut qui non dixerit *resurget, suscitabo enim illum*, sed *nolite turbari! anima enim eius in ipso est.*

duxerant, cum notione Temporis Plusquamperfecti, ut Aor. *απεστειλε* Ioan. XVIII : 24. — *Ζωντα* est Accusativus *praedicati*.

Interpretes Catholici nonnulli negarunt, sermonem esse hoc loco de celebratione Eucharistiae[1]; sed horum sententia pluribus non probatur. Et vero de Eucharistia hic agi ut credamus, rationes satis firmae suadent. Ac primum quidem ipsa dictio *κλαν τον αρτον*, *frangere panem*, quae solennis est ad eam rem significandam locutio (cf. Act. Cap. II : 42 et I Cor. X : 16); tum, quod haec *fractio panis* locum habuit die dominica, qua die solebant Christiani sacros agere conventus (cf. I Cor. XVI : 2) et Eucharistiam celebrare[2]; porro, quod in tota hac narratione ne unum quidem

---

[1]) Movit hos forsitan auctoritas S. Chrysostomi, qui ea, quae hic leguntur, de vulgari coena dicta accepit. «Ὁρα, inquit, πως και τῃ τραπεζῃ του Παυλου παντες εκοινωνουν. Εμοι δοκει, και παρα την τραπεζαν αυτον καθημενον διαλεγεσθαι.» h. e. *Vide quomodo mensae Pauli omnes participes essent. Videtur mihi etiam ad mensam sedens disseruisse.* » S. Chrys. Hom. 43 in Act. Ap.

[2]) Testis audiatur S. Justinus, qui circa annum 140 post Christum natum (in Apologia prima, n° 67, pag. 83 in edit. Benedict.) haec scripsit : « Και τῃ του ἡλιου λεγομενῃ ἡμερᾳ, inquit, παντων κατα πολεις η αγρους μενοντων επι το αυτο συνελευσις γινεται, και τα απομνημονευματα των αποστολων, η τα συγγραμματα των προφητων αναγινωσκεται μεχρις εγχωρει. Ειτα παυσαμενου του αναγινωσκοντος, ὁ προεστως δια λογου την νουθεσιαν και προκλησιν (παρακλησιν?) της των καλων τουτων μιμησεως ποειται· επειτα ανισταμεθα κοινῃ παντες, και ευχας πεμπομεν. Και... παυσαμενων ἡμων της ευχης, αρτος προσφερεται και οινος και ὑδωρ; και ὁ προεστως ευχας ὁμοιως και ευχαριστιας, ὁση δυναμις αυτῳ, αναπεμπει, και ὁ λαος επευφημει λεγων το Αμην. Και ἡ διαδοσις και ἡ μεταληψις απο των ευχαριστηθεντων ἑκαστῳ γινεται, και τοις ου παρουσι δια των διακονων πεμπεται. *h. e.* Ac Solis, ut dicitur, die, omnium sive urbes sive agros incolentium in eumdem locum fit conventus, et commentaria Apostolorum, aut scripta Prophetarum leguntur, quoad licet per tempus. Deinde ubi lector desiit, is qui praeest admonitionem verbis et adhortationem ad res tam praeclaras imitandas suscipit. Postea omnes simul consurgimus, et preces emittimus. Et... ubi desiimus precari, panis affertur et vinum et aqua; et qui praeest preces et gratiarum actiones totis viribus emittit, et populus acclamat *Amen*. Et eorum in quibus gratiae actae sunt (των ευχαριστηθεντων i. e. *panis et vini consecratorum*) distributio fit et communicatio unicuique praesentium, et absentibus per diaconos mittitur. »

verbum occurrit, ex quo coniicere liceat, sermonem hic esse de vulgari quodam convivio, ad quod Paulus Troadenses vocasset. Imo, quod illi conventui adessent quoque qui fenestrae insiderent, id profecto convivio non belle congruit. Denique sic visum est plerisque ex Antiquis; nam et Interpretes Syrus, Arabs, et Aethiops hoc loco celebratam Eucharistiam intellexerunt; in eadem sententia pariter fuere S. Augustinus (Ep. 86 apud Lorinum ad h. l.), et Ven. Beda (ad h. l.). Itaque dicendum videtur, Troadenses illuc convenisse ad celebrationem Eucharistiae. Putaverim autem, rem hoc ordine a Paulo esse gestam, ut *primum* habuerit ad congregatos prolixam orationem, quam interruptam vidimus quum e coenaculo foras ad lapsum Eutychum properaret; *deinde* vero, in coenaculum retrogressus, *Sacramentum confecerit sumseritque* (vs. 11 κλασας τον αρτον και γευσαμενος[1]), ac, pro more[2], praesentibus distribuerit; ac *tandem* ad eosdem denuo verba fecerit.

13. *Nos autem ascendentes navem*, etc.). *Nos autem*, inquit Historiographus, qui in comitatu erat, nos autem, sine Paulo, *progressi ad navigium* (προελθοντες επι το πλοιον) *navigavimus* (ανηχθημεν. Vide ad Cap. XIII : 13) Assum, exinde Paulum in navem *recepturi* (μελλοντες αναλαμβανειν); nam ut sic faceremus, Paulus *disposuerat* (ην διατεταγμενος), ipse pedestri itinere Assum venturus. — Ην διατεταγμενος est Perfect. Passiv. cum significatione Medii, ut supra Cap. XIII : 2.

---

[1]) Contexta huius loci oratio penitius inspecta me adduxit in eam sententiam, ut putem verba haec (vs. 11) : κλασας τον αρτον και γευσαμενος, referenda esse ad confectionem et sumptionem Sacramenti. Quare ea, quae supra (ad Cap. II : 46) de horum verborum sensu obiter dixeram, hic corrigo. Sciendum est, in Complutensi quidem editione legi (vs. 11) : κλασας αρτον sed Codd. ABCD* exhibent τον αρτον, cum Articulo.

[2]) Tertullianus *de Corona militis*, Cap. 3. « Eucharistiae Sacramentum, inquit,... etiam antelucanis coetibus, nec de aliorum manu quam praesidentium sumimus. »

14. *Cum autem convenisset nos in Asson*, etc.). Pergit Lucas : Cum autem *Assum* (εις την Ασσον) nos convenisset, illo ibi in navigium recepto, unà venimus *Mytilenen* (εις Μυτιληνην, wij kwamen *naar Mytilene*).

Vox συμβαλλειν etiam *intransitive* usurpatur; tum vero iuncta Dativo *societatis* valet Germanicum *mit jemanden zusammentreffen*. Praepositio εις (in εις τον Ασσον) hic construitur cum verbo *quietis*, ut supra Cap. XII : 19; videsis quae ibi ea de re notavimus. — Ασσον urbs, ad mare Aegeum sita, novem milliaribus a Troade distabat. — Μιτυληνη, seu, ut rectius scribitur, Μυτιληνη, erat urbs insulae Lesbi primaria.

15. *Et inde navigantes*, etc.). A Mytilena *avecti* (αποπλευσαντες), *sequenti die* (τη επιουση. Vide ad Cap. XVI : 11) pervenimus contra insulam Chium; tertia autem die (τη δε έτερα) appulimus (παρεβαλομεν) ad Samum insulam; et Trogyllii eam noctem *commorati* (μειναντες), postridie venimus Miletum.

Vox παραβαλλειν hic *intransitive* adhibetur valetque *accedere*, *venire ad*. Trogyllium, urbs et promontorium Ioniae, quadraginta stadiis a Samo distabat.— Miletus, urbs maritima, iacebat in finibus Ioniae et Cariae. Cf. Cellarii *Notit. orb. antiq*. Lib. III, § 98, 108.

16. *Proposuerat enim Paulus transnavigare* (*praeternavigare*) *Ephesum*, etc.). Asiae littus praeterlegentibus prius quidem occurrebat Ephesus quam Miletus; sed *decreverat* (κεκρικει Plusq. Perf. sine altero Augmento, ut supra Cap. XIV : 22) Paulus *praeternavigare* (παραπλευσαι) Ephesum; idque fecerat in eum finem, *ut ne quo modo* (όπως μη) *sibi accideret* (γενηται αυτω) *tempus terere* (χρονοτριβησαι) *in Asia;* h. e. ne diutius cogeretur morari in Asia. Praevidebat enim fore ut, si Ephesum adiisset, ibi diutius, quam vellet, a Christianis detineretur. Atqui timebat moram longiorem, nimirum properans Hiërosolymam, ut Lucas dicere pergit : *Pro-*

perabat enim, inquit, *ut, si fieri posset, die* (την ἡμεραν) *Pentecostes Hiërosolymae* (εις Ἱεροσολυμα) *esset.*

Την ἡμεραν, Accusativus, ad quaestionem : *quando*, pro quo alibi est Dativus, aut Praep. εν cum Dativo. Similis Accusativus legitur quoque supra, Cap. VII : 42, et 2 Petri Cap. II : 8. — De voce Πεντεκοστη vide ad Cap. II : 1. — Occurrit hic iterum Verbum *quietis* cum Praepositione εις ut supra vs. 14.

Ex sententia S. Ioannis Chrysostomi, Paulus ideo Hiërosolymam properabat, ut Iudaeis ad festum Pentecostes Hiërosolymam undique confluentibus, Christum posset annuntiare[1]. Etsi vero Apostolus ob eam causam Ephesum praeternavigaverat, attamen voluit Ephesinae ecclesiae presbyterio valedicere, ut deinceps narratur.

17—21. *A Mileto autem mittens Ephesum,* etc.). Miletum cum venisset Paulus, misso inde Ephesum nuncio (πεμψας scil. αγγελον[2], *ad se vocavit* (μετεκαλεσατο Aor. Med.) *presbyteros* (τους πρεσβυτερους) *Ephesinae ecclesiae* (της εκκλησιας[3]). Quum vero *advenissent* (παρεγενοντο Aor. 2 Med.) ad eum et simul essent, haec ad illos verba fecit : Vos scitis[4], quonam modo a prima die qua

---

1) Τις ἡ επειξις αὕτη; ου δια την ἑορτην, αλλα δια το πληθος... εσπευδε τον λογον καθειναι, h. e. « *Quae haec festinatio? non propter festum, sed propter multitudinem;... festinabat verbum annuntiare.* »

2) De locutione Elliptica πεμπειν pro plena πεμπειν αγγελον vel αγγελους, vide Lamb. Bos *Ellipses*, ex edit. Schaeferi, p. 13 sq. Plena locutio occurrit apud Herodotum (Lib. 1, Cap. 127) : Αστυαγης δε... πεμψας αγγελον εκαλεε αυτον.

3) S. Irenaeus (contra Haeres. Lib. III, Cap. XIV. Graeca hac parte non amplius supersunt) obiter dicit : *In Mileto, convocatis Episcopis et Presbyteris, qui erant ab Epheso, et a reliquis proximis civitatibus*, etc. Senserit ergo S. Irenaeus, convocatos a Paulo fuisse tam *primi* quam *secundi* ordinis sacerdotes, et fuisse convocatos non ab Epheso tantum sed etiam a reliquis proximis civitatibus. Sed haec Irenaei sententia non placet; tum quia Lucas mentionem non facit nisi de sacerdotibus *unius* ordinis et ab *una* civitate Epheso convocatis; tum etiam quia solus Irenaeus hoc sensit, et, uti mox (vs. 28) patebit, tacitò illi contradicunt Antiqui, qui dedita opera de hoc Actorum loco tractaverunt.

4) In valedictoria hac oratione Paulus multa loquitur de se, quia nimirum

Asiam intravi usque in diem hanc[1] vobiscum fuerim, *inserviens* scilicet (*δουλευων*) Domino (h. e. officium Apostolatûs mei exsequens) sine ullo fastu sed *cum summa animi*[2] *modestia* (*μετα πασης ταπεινοφροσυνης*, *met allen* mogelijken *ootmoed*), cum multis lacrymis, quas mihi commovebat sollicitudo mea pastoralis[3], et cum multis *afflictionibus et tribulationibus* (*πειρασμων*[4]), quae mihi acciderunt *in insidiis illis* (*εν ταις επιβουλαις*), quas Iudaei vitae meae continuo struebant. Scitis, quomodo (*ὡς*) nihil *eorum, quae* ad salutem vestram *conferrent* (*ουδεν των συμφεροντων*), celaverim (*ὑπεστειλαμην*[5]) quominus illud vobis praedicarem et vos docerem publice atque privatim; scitis, quomodo Iudaeos atque Gentiles obtestarer, ut per superioris vitae *poenitentiam ad* Deum (*την εις τον Θεον μετανοιαν*) se converterent, et crederent in Dominum nostrum Iesum Christum.

22—24. *Et nunc ecce alligatus ego spiritu*, etc.). Pergit Apos-

---

potissimum intendebat, ipso se in exemplum proposito, congregatos adhortari, ut quam constantissime atque integerrimo pastorali suo officio fungerentur.

[1]) Graece est : *τον παντα χρονον* h. e. *per omne illud tempus*, quo in Asia commoratus sum. Quod tempus fuit triennii. Vide infra ad vs. 31. Verba : *απο πρωτης ἡμερας κ. τ. λ.*, non sunt iungenda cum *ὑμεις επιστασθε*, sed cum *πως εγενομην*· adeoque est hic agnoscenda quaedam verborum *Traiectio*, ut supra Cap. XIX : 4.

[2]) Puta secundum illud effatum Domini (Luc. XXII : 26) : *Qui maior est in vobis, fiat sicut minor : et qui praecessor est, sicut ministrator.*

[3]) Sic ad Corinthios (2 Cor. Cap. II : 4) scripsit : *Ex multa tribulatione et angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas.* Et ad Rom. Cap. IX : 2, 3. — *Tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem.* Confer etiam Philipp. Cap. III : 18.

[4]) Est hic in usu vocis *πειρασμος* notanda Metonymia *effectûs pro causa.* Videlicet tribulationes, Paulo immissae, fidei ipsius et constantiae veluti *experimentum* capiebant.

[5]) Verbum Medium *ὑποστελλεσθαι* adhibetur de eo qui, v. g. prae metu, aliquid *celat*, *dissimulat*, atque adeo caret *παρρησιᾳ*. Sic, inter alios, Demosthenes (apud Kuinoel) vocem hanc adhibuit, quum diceret: *Πανθ' ἁπλως ουδεν ὑποστειλαμενος πεπαρρησιασμαι.* — Infinitivus *του μη αναγγειλαι* pendet a Verbo *ὑπεστειλαμην*, ut infra vs. 27.

tolus dicere : Atque ita quidem Ephesi me gessi. Et nunc, ecce, *animi mei impetu impulsus* (δεδεμενος τῳ πνευματι) Hiërosolymam proficiscor, quae ibi obventura mihi sint ignorans, nisi quod Spiritus sanctus *in singulis civitatibus* (κατα πολιν), quas hos itinere pertranseo, mihi per prophetas inibi commorantes denunciat (διαμαρτυρεται μοι, *mij betuigt*), *vincula et tribulationes Hiërosolymis*[1] *me manere*. Sed nihil harum rerum (ουδενος τουτων) me movet (λογον εχω), quominus fungar Apostolico meo munere, *nec duco vitam meam caram mihi* (ουδε ποιουμαι την ψυχην μου τιμιαν εμαυτῳ[2]) h. e. vitam meam contemno *ad perficiendum* (ὡς τελειωσαι) cursum meum, *hoc est* (και Epexegeticum), ministerium quod accepi a Domino Iesu, praedicandi scilicet *evangelium, quo gratia Dei credentibus offertur* (το ευαγγελιον της χαριτος του Θεου).

Verbum δεειν antiquis dictum fuit etiam de *cogendo* sive *impellendo*. Sic Pindarus (apud Kypkium ad h. l.) scripsit : Αλλα κερδει και σοφια δεδεται, h. e. *sed lucro etiam sapientia impelli solet*. — Λογον εχειν τινος, *rationem habere alicuius rei*, *curare aliquid*. Herodotus (in Thes. Henr. Steph. ad voc. λογος) : Και του γε λογον μαλιστα αξιον εστιν εχειν. — Ὡς valet etiam ἱνα, ut in hac formula (Hebr. VII : 9) : ὡς επος ειπειν. Ceterum Cf. Gr. pag. 555. 5. et Matthiä § 628, p. 1281, in 2ª Edit. Lips. — Της χαριτος est Genitivus Obiecti, ut supra Cap. XIV : 3. — Quod in Vulgata legitur : *Nec facio animam meam pretiosiorem quam me,* illud Estius

[1]) Var. lect. Post vocem μενουσιν additur εν Ἱεροσολυμοις in Cod. D.

[2]) Var. lect. Verba : αλλ' ουδενος— εμαυτῳ, magna varietate in Codd. leguntur, ita tamen ut sensus ubique eòdem recidat. In Codd. AD et aliquot Minusculis legitur sic : Αλλ' ουδενος λογον εχω, ουδε ποιουμαι την ψυχην μου τιμιαν εμαυτῳ. Quam lectionem Vulgata nostra fere refert. In Cod. D est ουδενος τουτων. — Tischendorfius edidit : Αλλ' ουδενος λογου ποιουμαι την ψυχην τιμιαν εμαυτῳ, κ. τ. λ. Interpres noster videtur pro τιμιαν εμαυτῳ legisse τιμιωτεραν εμαυτου, quam lectionem in nonnullis codicibus se vidisse testatur Sabbatierius. Inter variantes lectiones, quas Tischendorfius collegit, lectio τιμιωτεραν εμαυτου non comparet.

(in *loca difficiliora*, ad h. l.) ita interpretatur : « Vitam corporis non habeo potiori loco quam meipsum; quemadmodum faciunt, qui propter vitam conservandam perdunt se totos, dum negant fidem... Tales vitam suam faciunt pretiosiorem quam seipsos. »

25—27. *Et nunc ecce ego scio*, etc.). Supra (vs. 22 : *et nunc ecce ego vado*, etc.) dicere coeperat Apostolus, esse se ab ipsis digressurum. Idem hic repetit, sed ita ut simul significet, digressurum se esse absque spe reditùs. — Et nunc, inquit, ecce, ego scio quod non amplius visuri estis faciem meam vos omnes *inter quos* (εν οἷς) transivi praedicans regnum Dei, i. e. *Evangelium gratiae Dei* (vs. 24). Quapropter (q. d. *quia ergo digressurus sum a vobis*) illud apud vos hodierna die contestor, me, si cui perire acciderit, me, inquam, mundum esse a sanguine omnium, nec ullius interitum mihi posse imputari. Non enim *me subduxi* (ὑπεστειλαμην), quominus vobis annunciarem omne consilium Dei.

Dictum est hic : *non visuri estis vos omnes* pro *nemo vestrum visurus est*, idque ex Hebraeorum more loquendi. Idem hic loquendi mos notandus est in hoc Pauli (ad Rom. Cap. III : 20) : *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro*, i. e. nemo. Quod autem dicit Apostolus : *Vos omnes inter quos transivi praedicans* (en prêchant) *regnum Dei*, eo indicat, se nunc (vs. 25) non *tantum* eos alloqui qui ibi praesentes aderant, sed *ex commotiori animo* sermonem suum dirigere *etiam* ad absentes, puta ad Christianos omnes, sive in Asia, sive in Macedonia degentes. In sequenti vero versiculo (vs. 26) et deinceps denuo solos praesentes alloquitur. Ceterum, cum dicit Apostolus : scio *vos me non esse revisuros*, scientiam intelligit non talem, quae falli nequeat, sed eam quae habeatur ex probabili coniectura. Nam e Romanis vinculis ad Philemonem scribens (vs. 22) significat, sperare se fore, ut Colossenses suos, atque adeo Asianos, revideret; nam Colossensis erat Philemon. — De dictione καθαρος απο του αἱματος, vide supra ad Cap.

XVIII : 6. Infinitivus nominascens *του μη αναγγειλαι* pendet tamquam Nomen a Verbo Finito *ὑπεστειλαμην*. Vide Gr. pag. 356. 4. p. 377. — *Omne Dei consilium* Apostolus hic dicit quod alibi (I Tim. Cap. III : 9) vocat *mysterium fidei;* intelligit autem Dei voluntatem in his quae pertinent ad oeconomiam salutis humani generis per Christum procuratae.

28. ***Attendite vobis et universo gregi***, etc.). Pergit Apostolus : Attendite *vobis ipsis* (ἑαυτοις), inquit, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus episcopos constituit in eum finem *ut pasceretis* (ποιμαινειν Infinitivus *finis*) *ecclesiam Dei*[1], quam *sibi acquisivit* (περιεποιησατο) sanguine suo.

Ecclesia Dei hic intelligitur universus coetus Christianorum. Haec sponsa Christi est, Sponsi sui sanguine redempta (Luc. XXII : 20; I Cor. VI : 20; Ephes. I : 7; II : 13; Coloss. I : 12-13; 1 Pet. I : 18, 19; II : 9). Cuius Ecclesiae sive congregationis singulas partes singuli pastores pro sua cuiusque officii ratione pascunt, sub regimine supremi pastoris, Iesu Christi, inquam, in terris vicarii. Quod autem dicit Apostolus : *Spiritus Sanctus vos posuit*, id S. Chrysostomus (Hom. 44 in Act.) sic interpretatur : Παρα του Πνευματος, inquit, την χειροτονιαν εχετε, φησι· τουτο γαρ εστι το, εθετο, i. e. « *A Spiritu Sancto, ait, impositionem manuum* (Ordinis Sacramentum) *habetis; nam hoc est illud* POSUIT. — Hoc loco probe notandum est, *Deum* vocari ab Apostolo eum, qui *suo sanguine* Ecclesiam sibi acquisivit; est ergo Iesus Christus *Deus*.

---

[1]) VAR. LECT. Vox Θεου hoc loco legitur in Cod. B, et in Minusculis non paucis; eamque lectionem exhibent quoque versiones antiquae, Syriaca et Vulgata; et pariter occurrit apud Patres nonnullos. In Codd. GH multisque Minusculis est hic κυριου και Θεου. In Codd. AC*DE variisque Minusculis, ut et apud plures Patres, legitur tantum vox Κυριου. Quum igitur lectio Θεου gravissimos habeat testes, notumque sit Paulum scripsisse undecies εκκλησια του Θεου, numquam vero εκκλησια του Κυριου, ego quidem putaverim, lectionem Θεου hoc loco germanam esse Lucae scripturam.

Episcopos hic vocat Apostolus eos, quos supra Lucas (vs. 17) nominaverat *presbyteros* (πρεσβυτερους. Vulgata : *Maiores natu*). Intelliguntur autem utroque loco sacerdotes secundi ordinis[1]; nimirum hi aevo Apostolico promiscue nunc *presbyteri*, nunc *episcopi*, appellabantur. Primi autem ordinis sacerdotes, sive ii qui *episcopi* dicti sunt deinceps, illa aetate vocabantur *Apostoli*. Quae hic dicimus, ex antiquorum dicimus sententia; quorum verba hic subiicimus.

Et primo quidem loco audiatur Theodoretus, qui in suo Commentario in epistolam S. Pauli ad Philippenses (ad Cap. I : 1) haec scripsit : Επισκοπους, inquit, τους πρεσβυτερους καλει· αμφοτερα γαρ ειχον κατ' εκεινον τον καιρον τα ονοματα. Και τουτο ἡμας και ἡ των πραξεων ἱστορια διδασκει. Ειρηκως γαρ ὁ μακαριος Λουκας, ὡς εις την Μιλητον τους Εφεσιων μετεπεμψατο πρεσβυτερους ὁ θειος αποστολος, λεγει και τα προς αυτους ειρημενα· προσεχετε γαρ, φησιν, ἑαυτοις και παντι τῳ ποιμνιῳ, εν ᾧ ὑμας εθετο το πνευμα το ἁγιον επισκοπους ποιμαινειν την εκκλησιαν του Χριστου. Και τους αυτους και πρεσβυτερους και επισκοπους ωνομασεν. Οὑτω και εν τῃ προς τον μακαριον Τιτον επιστολῃ· δια τουτο κατελιπον σε εν Κρητῃ, ἱνα καταστησῃς κατα πολιν πρεσβυτερους, ὡς εγω σοι διεταξαμην. Και ειπων ὁποιους ειναι χρη τους χειροτονουμενους επηγαγε· δει τον επισκοπον ανεγκλητον ειναι, ὡς θεου οικονομον. Και ενταυθα δε δηλον τουτο πεποιηκε. Τοις γαρ επισκοποις τους διακονους συνεζευξε, των πρεσβυτερων ου ποιησαμενος μνημην. Αλλως τε ουδε οἱον τε ην πολλους επισκοπους μιαν πολιν ποιμαινειν· ὡς ειναι δηλον, ὁτι τους μεν πρεσβυτερους επισκοπους ωνομασε. Τον δε μακαριον Επαφροδιτον εν

[1]) Cornelius a Lapide, in Epist. ad Philipp. ad Cap. I : 1. Haec nomina, *Episcopus* et *presbyter*, olim, *inquit*, communia erant omnibus sacerdotibus tam maioribus, quos iam proprio *Episcopos*, quam minoribus, quos *presbyteros* nominamus. Sic Act. XX : 28 Paulus ad maiores Ecclesiae Ephesinae: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos*, id est, presbyteros et pastores, *regere Ecclesiam Dei:* nec enim Ephesi plures, quam unus erant Episcopi proprie dicti. Vide etiam S. Thom. 2. 2. q. 184, art. 6, ad primum.

αυτῃ τῃ επιστολῃ αποστολον ἀυτων κεκληκε· ὑμων γαρ, φησιν, αποστολον, και συνεργον της χρειας μου. Σαφως τοινυν εδιδαξεν, ὡς την επισκοπικην οικονομιαν αυτος επεπιστευτο, εχων αποστολου προσηγοριαν. h. e. Episcopos appellat presbyteros; utrumque enim nomen habebant illo tempore. Idque nos etiam docet Actuum historia. Cum enim dixisset Beatus Lucas, divinum Apostolum Ephesiorum *presbyteros* arcessivisse Miletum, exponit etiam quae illis dicta fuerant: *Attendite,* enim inquit, *vobis ipsis, et universo gregi, in quo vos posuit Spiritus Sanctus episcopos pascere ecclesiam Christi;* eosdemque nominavit presbyteros et episcopos. Ita etiam in epistola ad beatum Titum: *Ideo reliqui te in Creta, ut constituas per civitates presbyteros, ut ego tibi disposui.* Et cum dixisset, quales esse oporteat eos qui ordinantur, subiunxit: *Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem.* Atqui hoc etiam loco id manifestum fecit; episcopis enim coniunxit diaconos, nulla presbyterorum facta mentione[1]. Et alioqui fieri non poterat, ut

[1]) Addatur et hoc argumentum: Paulus Timotheum docet (I Ep. ad Timoth. Cap. 3), quales viros creare debeat *episcopos* et *diaconos;* presbyteri autem qui crearentur, quales viri esse debeant, ne verbo quidem docet: et tamen eidem Timotheo in eadem illa epistola haec praecipit (Cap. V: 19, 19): « *Qui bene praesunt presbyteri*, inquit, *duplice honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina... Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* » — In Tridentina synodo (Sess. XXIII, cap. IV) verba Pauli: *in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos*, citantur et referuntur ad sacerdotes primi ordinis, id est ad Episcopos, quos nunc dicimus. Sed minimo putandum est, Patres Tridentinos ibi voluisse definire, quo sensu illa verba essent intelligenda. « *Observandum est*, ait Em. Cardinalis Gotti (Oper. tom. 1, p. 32), *ex iis quae in universalibus Conciliis proponuntur, id solum tenendum esse de fide, quod est definitionis obiectum, non vero definitionis motivum, neque alia a Patribus in Conciliis vel dicta vel laudata; neque rationes quae adducuntur, neque ea quae ad explicandum afferuntur*, etc. Ad quae verba Cardinalis Gerdilius (*Saggio d'instruzione Teologica, dedicato alla Santita di nostro Signore Papa Pio VI; in Roma*, 1776, p. 69), sapientissime haec monet: *Questo avvertimento, tuttoche notissimo, merita di essere diligentemente notato, perchè comunemente trascurato nella prattica da non pochi Teologi, li quali per concitare invidia contro le sentenze d'altri Cattolici loro avversarj, si valgono di qualche parola, o proposizione incidente di Concilio, o altro autorevole*

multi episcopi essent unius civitatis pastores; ut liquido pateat, presbyteros eos fuisse, quos nominavit episcopos. Beatum porro Epaphroditum in epistola ipsa eorum appellavit apostolum : *Vestrum,* enim inquit, *apostolum et necessitatis meae adiutorem.* Aperte ergo docuit episcopale munus ipsi fuisse creditum, quum appellationem haberet apostoli. »

Idem iam alibi (in Cap. 3. Ep. 1 ad Timoth. ad vs. 1) eamdem rem docuerat his verbis : « Τους αυτους εκαλουν ποτε πρεσβυτερους και επισκοπους· τους δε νυν καλουμενους επισκοπους, αποστολους ωνωμαζον. Του δε χρονου προϊοντος, το μεν της αποστολης ονομα τοις αληθως αποστολοις κατελιπον· την δε της επισκοπης προσηγοριαν τοις παλαι καλουμενοις αποστολοις επεθεσαν· οὕτω Φιλιππησιων αποστολος ὁ Επαφροδιτος ην· ὑμων γαρ, φησιν, αποστολον, και συνεργον της χρειας μου· οὕτω Κρητων ὁ Τιτος, και Ασιανων ὁ Τιμοθεος αποστολοι· οὕτω απο των Ἱεροσολυμων τοις εν Αντιοχειᾳ εγραψαν οἱ αποστολοι και οἱ πρεσβυτεροι. h. e. « Eosdem olim vocabant presbyteros et episcopos; eos autem qui nunc vocantur episcopi apostolos nominabant. Procedente autem tempore, *Apostolatus* nomen reliquerunt iis, qui vere erant Apostoli; *Episcopatus* autem

---

documento, come se per quella dovesse la quistione rimanere pienamente definita; dal chè avvengono due mali : l'uno relativamente a' semplici fedeli, molti de' quali malamente si prevengono contro persone o sentenze innocentissime, e le fuggono, e ributtano come sospette di reità, onde si turba la pace, ed armonia fra Cattolici; l'altro relativamente agli Eretici, li quali da ciò prendono motivo di rinfacciare alla Chiesa Cattolica di tenere quelle tali sentenze per articoli di fede, e di rivolgere contro di essa il vantaggio, che si credono avere nell' impugnare le medesime, onde riesce loro più facile di sminuirne vieppiù con tale inganno l'autorità presso i loro seguaci. — Stapletonius (in Antidot. Apostol. in Act. Ap. ad h. l.) *Maiores natu*, inquit, *seu presbyteros Ephesinos positos fuisse episcopos* (επισκοπος ab επισκοπεω, inspicio) *seu speculatores in grege dominico, affirmat hic Paulus, quia speculandi et superintendendi officium tam pastori parocho, quam multarum civitatum Episcopo incumbit; sed proprie dictos Episcopos illos fuisse, quorum quisque in aliqua civitate primas teneret, nec Paulus aut Lucas affirmat, nec vero affine est, quum unius civitatis Ephesi presbyteri hi essent.* » — Timotheus, qui primus exstitit Ephesiorum Episcopus apud Paulum erat, quum hic Ephesinae ecclesiae presbyteros arcesseret.

appellationem imposuerunt iis, qui olim appellabantur Apostoli. Ita Philippensium apostolus erat Epaphroditus : *Vestrum*, enim inquit, *apostolum et adiutorem necessitatis meae;* ita Cretensium Titus, et Asianorum Timotheus apostoli; ita ab Hiërosolymis iis qui erant Antiochiae scripserunt apostoli et presbyteri. »

In eamdem sententiam loquitur Ioannes Darensis Syrus, qui floruit saeculo V ineunte, teste Abrahamo Ecchellensi, Maronita e Libano (in suo *Eutychio vindicato*, Part. 1, quae est, *de Alexandriae Ecclesiae originibus*, pag. 191). Nam Ioannes ille, exponens Caput 3 Epist. 1 ad Timotheum, haec scribit : « Prisco illo tempore, *inquit*, quilibet presbyter duobus cognominabatur nominibus, Presbyter scilicet, et Episcopus. Presbyteri enim vocabantur honoris causa juxta Iudaeorum morem illum qui honoratiores et archisynagogos vocabant presbyteros, uti passim in Evangelio scriptum occurrit. Appellabantur item ipsi presbyteri Episcopi propter populi procurationem, quandoquidem procurationem et sollicitudinem populi hoc nomen denotat. Quod autem episcopi appellati fuerint ipsi presbyteri, notum fit ex eo quod scriptum est : *Misit autem Paulus, et adduxit presbyteros Ecclesiae Ephesi.* Et cum processisset in sua narratione, subiunxit, ipsis dicens : *Attendite gregi, in quo constituit vos Spiritus Sanctus episcopos.* Eos autem ipsos, quos superius vocaverat *presbyteros*, demum hic *episcopos* appellat. Hinc igitur planum fit, presbyteros fuisse episcopos quoque nominatos. Episcopi vero quinque nominibus appellati sunt : nimirum *apostoli*, *presbyteri*, *principes sacerdotum*, *sacerdotes*, *et ministri.* Et hoc quidem duabus de causis. Primo, quia inferiorum officia habent. Secundo, quia functiones horum omnium ordinum ipsi perficiunt. Quod autem vocarentur *apostoli*, Actorum liber pluribus in locis demonstrat. Quod vero *presbyteri* nuncuparentur, in sua catholica epistola indicat Petrus : *Obsecro ergo*, inquit, *presbyteros, qui in vobis sunt*, EGO COMPRESBYTER VESTER; qui cum esset Apostolus et episcopus, presbyterum se vocat. Paulus etiam

scripsit Timotheo : *Ne contemnas gratiam, quae tibi data est per impositionem manuum presbyterii;* presbyterium autem hic ipsum appellat episcopatum, quem ille (Timotheus) susceperat a Paulo, et iis, qui cum illo aderant, per impositionem manuum factam Timotheo. Quemadmodum etiam Iacobus cum Petro et Ioanne manus imposuerunt fratri Domini nostri, uti tradunt Clemens et Eusebius; quod quidem et Canones Apostolorum, qui per Hippolytum, praecipiunt. *Sacerdotes* autem vocabantur, tum quòd alios constituebant sacerdotes, tum quòd et ipsi sunt constituti sacerdotes, et sacerdotalibus mysteriis funguntur. *Principes vero sacerdotum* (vocabantur), quia principes et rectores sunt illorum, qui sacerdotale obeunt munus. Quod autem *ministri* vocati fuerint, beatus Paulus testatur. Est enim ubi dicit : *Cui* MINISTRO *in Spiritu, in evangelio Filii eius.* Et est ubi dicit : *Ego qui sum apostolus gentium,* MINISTERIUM *meum honorificabo.* Et est ubi dicit : *Si enim ministri sunt Christi, sum ego plus quam illi;* ubi se *ministrum* appellat. Ex quo planum fit, nomina haec antiquitus confusa fuisse. Quandoque tamen distincte nominabantur; et illi, qui potestatem habebant constituendi sacerdotes, *apostoli* nominabantur; illi vero, qui nunc *presbyteri* dicuntur, *episcopi* quoque vocabantur. At postquam e vivis emigraverant primi Apostoli, huius denominationis puduit eos, qui post ipsos sunt constituti sacerdotes, propter illius honorabilitatem; et idcirco a nomine *Apostolorum* se abstinuerunt, et *episcopi* dumtaxat vocabantur, presbyteris presbyterorum nomen tantummodo relinquentes. »

Ioanni Darensi, inquit Ecchellensis, totidem fere verbis adstipulatur Maro, Tract. 1. Commentar. in Liturgiam S. Iacobi Cap. 6, et utrique succinit Ambrosius (?) in Epist. 1 ad Timotheum (apud Amalarium) hisce verbis : « Beatis vero, inquit, Apostolis decedentibus, illi qui post illos ordinati sunt, ut praeessent ecclesiis, illis primis exaequari non potuerunt, neque miraculorum testimoniis par (*pares*) illis habere (*haberi*), sed et multis aliis inferiores

illis esse videbantur; (quare) grave existimarunt, Apostolorum sibi vindicare nuncupationem. Diviserunt ergo nomina ipsa, et Presbyteris presbyterii nomen reliquerunt, alii vero Episcopi sunt nuncupati, hi, qui ordinationis praediti sunt potestate. » Apud Ecchell. ibid. p. 196.

29—30. *Ego scio quoniam intrabunt*, etc.). Pergit Apostolus dicere, se non sine causa tam sollicite eos monere. — Ego scio, inquit, post meum discessum ingressuros esse ad vos lupos crudeles (*falsos doctores*), qui gregi vestro non parcent, sed perniciem illi afferre conabuntur. Quin etiam ex ipsis vobis exsurgent viri, qui praedicaturi sunt doctrinas falsas, ut *Christi discipulos* (τους μαθητας) ab illo avellant, et suos efficiant sectatores.

Ego scio, etc.). Paulus divinitus edoctus *scivit*, quod hic futurum esse praedixit. Conficitur hoc ex verbis eius ad Ephesiorum Episcopum Timotheum (1 Ep. ad Timoth. Cap. IV : 1—6), cui idem hoc praedixit, quemque ideo et hortatur *ad vigilandum ;* ex quo consequitur, quod ibidem (vs. 1) legitur εν ὑστεροις καιροις, sumendum id esse de tempore iam instante. — Vox αφιξις (ab αφικνεομαι) plerumque quidem dicitur de *adventu in locum;* occurrit tamen etiam de *abitu* sive *discessu e loco*, ut hic, et apud Herodot. IX : 17 : Μετα, inquit, την αφιξιν την εις Θηβας, *post abitum ad Thebas*. — Εις ὑμας *ad vos*, i. e. ad Christianos Ephesios. — Εξ ὑμων αυτων *i. e.* ex ipso vestro presbyterorum ordine. — Μη φειδομενοι dictum est per Μειωσιν pro *perniciosissimi*. Του αποσπαν est Infinitivus *finis*, ut supra Cap. IX : 15. — In dictione αποσπαν—οπισω est Syntaxis *praegnans*, ut supra Cap. V : 37. — Διεστραμμενα sunt *distorta*, a *recto* veritatis tramite aliena.

31. *Propterquod vigilate*, etc.). Pergit Apostolus : Quapropter (διό, i. e. *quum ergo talia pericula* (vs. 29 et 30) *imminerant*) vigilate, memores quod per triennium, quod apud vos transegi,

non cessavi noctu dieque cum lacrymis admonere unumquemque vestrûm. — Quod dicit Apostolus : *non cessavi cum lacrymis admonere unumquemque vestrûm*, referendum hoc est ad Christianos Ephesios universe. De Syntaxi verborum : *επαυσαμην... νουθετῶν*, vide supra ad Cap. V : 42. Dicitur hic *τριετια*, *triennium*, numero rotundo, de omni illo tempore quod Apostolus Ephesi exegit. Hoc autem temporis spatium ut habeatur, biennio illi, quo in schola Tyranni docuit (Act. XIX : 10), addendi sunt tres illi menses, quibus docuit in synagoga (ibid. vs. 8), atque insuper tempus illud, quod Ephesi exegit, cum primum illuc venisset unà cum Aquila et Priscilla (Act. XVIII : 19, 20).

32. *Et nunc commendo vos*, etc.). Claudit orationem suam Apostolus : Et nunc, inquit (q. d. quod superest, fratres, quoniam avellor a vobis), tuendos servandosque vos committo (*παρατιθεμαι*) Deo et gratiae ipsius[1], *illi*, inquam, *qui potest* (*τῳ δυναμενῳ*) aedificare vos (spiritualiter) et dare vobis, in bono perseverantibus, coelestis patriae haereditatem *inter* (*εν*) sanctificatos omnes.

Metaphoricum illud aedificium, quod Apostolus hic in mente habet, *construitur* fide, spe et charitate, et *crescit* earumdem virtutum profectu. De *incremento* hoc in praesenti loco agitur, uti patet; adeoque sensus est : qui potest efficere gratiae suae auxilio, ut fide, spe et charitate crescatis in dies. — Itaque verbum Simplex *οικοδομησαι* hic notionem habet Compositi *εποικοδομησαι*, *superstruere*, *superaedificare*.

33—35. *Argentum et aurum*, etc.). Postremò Apostolus, ipso se in exemplum proposito, tacite eos monet, ut ne in re Evangelica

---

[1]) S. Chrysost. Hom. 45 in Act., in principio : Τῳ λογῳ της χαριτος αυτου· τουτεστι, τῃ χαριτι άυτου.

sua commoda quaerant et utilitates. — Non aurum, inquit, non argentum, non vestem cuiusquam concupivi. Nam, ut ipsi bene nostis, manus hae suppeditarunt ea quae mihi et collegis meis erant necessaria. *Per omnia* (παντα) exemplo meo vobis ostendi, oportere ministros Evangelii *sic* (οὕτω, i. e. operâ manuariâ) *se fatigando* (κοπιῶντας) suscipere (αντιλαμβανεσθαι) infirmos fide, et meminisse verborum Domini Iesu, scilicet *quod ipse* (ὅτι αυτος) *dixit : Beatius est dare quam accipere.*

Quum diceret Apostolus : *manus hae,* manus suas extenderit. — In locutione ταις χρειαις μου και τοις ουσι μετ' εμου est *oratio variata.* Nam quum dixisset ταις χρειαις μου, series orationis postulabat ut pergeret dicendo : και των οντων μετ' εμου. — Παντα Neutr. Plur. *per omnia, in omnibus*, ut I Cor. X : 33. Cf. Matthiä § 425. — Κοπιαω ut I Cor. IV : 12. — Αντιλαμβανεσθαι, *apprehendere, manum iniicere, manum adiutricem porrigere atque ita sustinere lapsantem.* — Ασθενουντες sunt infirmi *fide*, tales, inquam, qui, si sumptu gravarentur, facile suspicarentur, Apostolum evangelizare sui quaestûs causa, atque ita redderentur a doctrina Evangelica alieniores. Cf. I Cor. IX : 12, 18 et 2 Cor. XII : 14.

Dicit δει, *oportet,* videlicet ad cavendum offendiculum istiusmodi infirmorum. Quod autem hic memorat Apostolus Iesu Christi effatum : *beatius est dare quam accipere*, id quum nuspiam in sacris libris legatur, ex traditione hauserit. Ceterum, dictum illud referendum est ad bona temporalia. Scilicet ministri Evangelii quando mercedi, quae illis pro evangelico labore debetur (I Cor. IX : 4—19), renunciant, et, ut Apostoli verbis utar (ibid. vs. 18), *sine sumtu ponunt Evangelium,* eo ipso dici possunt *de suo dare aliis;* atque ita in ipsos cadit illud Domini : *beatius est dare quam accipere.* Nam virtutis est dare, necessitatis accipere. Μακαριον μαλλον, *beatum magis,* h. e. beatius.

36—38. *Et cum haec dixisset,* etc.). De locutione θεις τα γο-

νατα vide supra ad Cap. VII : 59. — Προσευχομαι scil. Θεῳ, quod latet in Praepositione προς. Post fusas communes illas ad Deum preces, magnus fletus omnium *coörtus est* (εγενετο); et *illapsi* (επιπεσοντες) in collum Pauli, *deosculabantur* (κατεφιλουν) eum. — Dolebant ex amore, et doloris sui amorisque vehementiam osculis et lacrymis testabantur. — In ῳ ειρηκει est *Attractio*.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

ARGUMENTUM. Mileto solvens Paulus cum suis, recto cursu pervenit ad insulam Coüm, postridie Rhodum, atque inde Patara, hinc vero Tyrum; ubi, quum illic reperisset Christianos, per septem dies commoratur. Erant ibidem qui afflatu prophetico noverant, manere Paulum afflictiones Hiërosolymae; quare eidem suadebant ne, uti statuerat, illuc proficisceretur. Ille vero nihilominus institutum illuc iter continuat, vs. 1—7. Itaque Tyro solvens, venit Ptolemaidem, indeque postridie proficiscitur Caesaream Palaestinae, ubi diversatur apud Philippum evangelistam, vs. 7—9. Ibidem propheta quidam, Agabus nomine, Paulo praedicit futurum esse, ut Hiërosolymae vinciatur et tradatur in manus Romanorum. Rogantibus autem Christianis ne se committeret Hiërosolymae, non acquiescit, vs. 10-14. Ergo Hiërosolymam proficiscitur, ubi a Iacobo et a presbyteris benigne exceptus, enarrat quanta Deus per ipsius ministerium gessisset inter Gentes, vs. 15—20. Illi autem Paulo notum faciunt, esse eum apud Christianos Palaestinenses delatum, quod Iudaeo-Christianis inter Gentiles degentibus suaderet, ut nec filios suos circumciderent, nec cetera instituta Mosaica servarent; atqui haec omnia magna religione adhuc observari a Iudaeo-Christianis Palaestinensibus; quumque hos latere non posset ipsius in urbem adventus, timendum esse ne quid forte hinc tumultûs exoriretur. Itaque Paulo suadent, ut quamprimum se ab hac falsa suspicione liberet, unà suggerentes ei modum, quo praestare illud posset; cui prudenti consilio Paulus obtemperat, vs. 20—26. Dum vero eam ob rem in templo versatur, Iudaei quidam Asiani, qui forte ibi aderant, falso praetextu populum contra ipsum concitant; a quo et fuisset occisus, nisi opportune interveniens tribunus militum eum e manibus eorum eripuisset. Hic vinciri Paulum et in arcem duci iubet. Existimabat autem tribunus, eum esse Aegyptium illum, qui haud ita pridem seditionem excitasset; in quo quum falsum se esse animadvertisset, Paulo, antequam custodiae traderetur, concedit facultatem verba faciendi ad tumultuantes suos populares, vs. 27—40.

1—3. *Cum autem factum esset, ut navigaremus abstracti ab eis, etc.*). Cum autem factum esset, inquit, *ut, postquam seiunxissemus nos* (αποσπασθεντας Aor. Passiv. cum notione reflexiva, ut

Luc. XXII : 41) ab ipsis, Epheso *solvissemus* (αναχθηναι), *recto cursu* (ευθυδρομησαντες) pervenimus ad insulam Coüm, postridie (τῃ δε ἑξης scil. ἡμερᾳ) Rhodum, atque inde Patara (εις Πατaρα). Illic nacti (εὑροντες) navem quamdam onerariam, in Phoenicen *iam iam transituram* (διαπερῶν), hanc *ingressi* (επιβαντες), Pataris *solvimus* (ανηχθημεν). Quum autem insula Cyprus nobis apparuisset, *relictâ eâ ad laevam* (καταλιποντες αυτην ευωνυμον), *navigabamus* (επλεομεν. Imp.) in Syriam, et appulimus (κατηχθημεν[1]. Aor.) Tyrum; nam *ibi* (εκεισε) navis merces (τον γομον, *de lading*) exponebat (ην αποφορτιζομενον, daar *werd* het schip *afgeladen*).

De Syntaxi verborum : εγενετο αναχθηναι ἡμας, vide supra ad Cap. IV : 5; et de notione vocis αναχθηναι, vide ad Cap. XIII : 13. — Ευθυδρομεω (ab ευθυς et δρομεω *curro*) est *recto cursu contendo in* (εις) *locum aliquem*. Eadem notione legitur verbum ορθοδρομεω apud Xenophontem. Videsis Henr. Steph. in Thes. ad voc. δρεμω. — Κῶς, Genitiv. κῶ. Pro κῶν solita forma Accusativi est hic forma rarior Κῶ, de qua vide, si placet, Gr. pag. 41. 2, et de usu Articuli cum nominibus geographicis (την Κῶ) videsis ibidem, pag. 105. 7. — Παταρα, αρων, τα. — Διαπερῶν Praesentis Temporis Participium reddidi *iam iam transituram*, de qua vi Participii Praesentis videsis Gr. pag. 374. 5.

Αναφαινειν τι τινι est *manifestare aliquid alicui*. Passiv. αναφαινομαι, *manifestus reddor*, cuius hic legitur Particip. Aor. αναφανεντες, quod construitur cum Accusativo rei : την Κυπρον. Quocirca notanda est regula haec : Verba quae aut Dativum aut Genitivum habent *Personae* (ut v. g. πιστευειν τινι, αναφαινειν τινι, κατηγορειν τινος), si Passive construantur, vertitur ille Dativus aut Genitivus *Personae* in Nominativum et fit verbi Passivi Subiectum, manente

---

[1]) Var. lect. Pro κατηχθημεν est κατηλθομεν in Codd. ABE, et nonnullis Minusculis. Eamdem lectionem exhibent quoque Vulgata et nonnullae aliae ex antiquis versionibus.

Accusativo *Rei*[1]. Exempli causa, quum scribere potuisset Paulus (ad Gal. II : 7) επιστευσε μοι Θεος το Ευαγγελιον, Passiva Syntaxi usus scripsit : πεπιστευμαι το Ευαγγελιον. Alia huiusmodi exempla occurrunt Rom. III : 2; I Cor. IX : 17; I Thessal. II : 4. Polybius sic dixit : πεπιστευμενος την πολιν παρα Ῥωμαιων. Iam, quod hic legitur, αναφανεντες την Κυπρον (cf. Nostratium : *toen wij Cyprus gewaar werden*) valet : *quum* insula *Cyprus* nobis *apparuisset*. Lucas hic scribere potuisset, usitatiori structura usus : αναφανειστης της Κυπρου, sed non absque Anacolutho. — Ευωνυμον, *sinistram*, est Accusativus *Praedicati*. Notat hic Valckenarius : « Proprie αριστερος, inquit, est *sinister*; sed quum *dextrae partes* apud Veteres boni habebantur ominis, *sinistrae* autem infelicis, inde factum, ut Graeci ipsius nominis mentionem formidarent, et pro αριστερος frequenter dicerent ευωνυμον, quasi dicas *bene nominatum*... *Sinistrum* etiam per Euphemismum dicebant ἑτερον. Hesychius : Ετερον ποδα· τον ευωνυμον. » Καταγομαι, *deorsum feror* (ex alto mari ad littus), *appello*. Verbo καταγομαι opponitur αναγομαι, de quo diximus supra. — Ην αποφορτιζομενον est Periphrasis Imperfecti. Εκεισε, *illuc*, hic non dicitur pro *illic*, sed dicitur *praegnanter*. « *Das Verb der Ruhe*, ait Kühner (*Grammatik* § 622, et *Anm.* 2), *involvirt den Begriff der damit verbundenen vorausgegangenen Bewegung, wenn die Praeposition* εις *mit dem Accusativ statt der Praeposition* εν *mit dem Dativ steht. Das Moment der vorausgehenden* Bewegung *muss als das vorherrschende aufgefasst werden können... So wie die Praepositionen, so werden zuweilen auch die* Ortsadverbien *in prägnanter Bedeutung gebraucht, indem das Verb des Satzes entweder neben dem Begriffe der Ruhe zugleich auch den Begriff der Bewegung, oder neben dem Begriffe der Bewegung zugleich auch den Begriff der Ruhe involvirt, und so beide Begriffe zusammenfasst und mit einander verschmilzt.* »

---

[1]) Videsis de hac Syntaxi Gr. pag. 273. 1.

4. *Inventis autem discipulis*, etc.). Sciverit Apostolus (cf. Cap. XI : 19; XV : 3), Tyri commorari nonnullos Christianos; sed non ita facile erat reperire illos, quum Tyrus esset urbs maximae amplitudinis et populosissima (cf. Cellar. Not. Orb. Antiq. Lib. III : Cap. XII, § 93). *Quum autem* investigando *reperissent* (ανευροντες δε) *Christianos illos* (τους μαθητας), manserunt apud illos dies septem. *Qui Christiani* (οἱ τινες) quum spiritu prophetico afflati (δια του πνευματος, *per Spiritum Sanctum*) scirent, Paulum Hiërosolymae manere afflictiones, cum dehortabantur ne illuc proficisceretur. — Scientia illa a Spiritu Sancto erat[1], sed non dehortatio haec; nam si hoc, Paulus obtemperasset, quod non fecit.

Ανευρισκειν (in Praesenti) est *diligenter inquirere*, ανευρειν (in Aoristo) autem *diligenter inquisitum invenire*. Cf. Raphelii Annot. ad Luc. II : 16, et ad Act. XXI : 4. — Λεγειν de *monendo*, ut supra vs. 38. De αναβαινειν vide supra ad Cap. III : 1, et XVIII : 22.

5—6. *Et expletis diebus*, etc.). Graece non est και, sed δε, quae Particula vim *adversativam* hoc loco obtinet, ut valet Nostratium *doch*. Sensus est : suadebant Paulo ut ne proficisceretur Hiërosolymam, *at* (δε) nihilo secius eò profectus est. Dicit ergo Lucas : At ubi *factum esset ut absolvissemus* (εγενετο ἡμας εξαρτισαι) septem *dies illos* (τας ἡμερας), *egressi proficiscebamur* (εξελθοντες επορευομεθα), deducentibus nos Christianis omnibus unà cum uxoribus et liberis usque extra urbem; atque ibi, positis in littore genibus, simul oravimus. Cumque vale nobis invicem dixissemus (ασπασαμενοι), navem conscendimus; illi autem quisque *domum suam* (εις τα ιδια) reversi sunt.

---

[1]) S. Chrys. Hom. 45 in Act. Ὁρα, inquit, προφητευουσι κἀκεινοι τας θλιψεις. Οικονομειται και δι' εκεινων λεχθηναι, ἱνα μη τις νομιση ἁπλως ταυτα λεγειν τον Παυλον και κομπαζειν. *h. e.* « Vide, prophetant illi afflictiones. Provisum autem fuit ut et illi dicerent, ne quis putaret, haec frustra et iactandi causa Paulum dixisse. »

Εγενετο hoc loco inservit tantum periphrasi. Cf. Cap. IX : 3. — Εξαρτισαι, *perficere*, hic redditur a Chrysostomo per πληρωσαι[1], *implere;* nec aliter Syrus vocem εξαρτισαι intellexisse videtur, quum hoc loco simpliciter scripserit : *et post dies hos*. Quare dubitandum non erat, quin εξαρτισαι ab antiquis dictum fuerit etiam de *transigendo tempus*. — De usu Imperfecti επορευομεθα hoc loco, ubi Aoristum exspectasses, vide supra ad Cap. XVI : 22. Προπεμπειν ut supra Cap. XV : 3. De προσευχομαι vide ad Cap. XX : 36. Εις τα ιδια scil. οικηματα, ut Ioan. I : 11, et Luc. II : 49.

7—9. *Nos vero navigatione expleta,* etc.). Nos vero, inquit, *navigationem* (τον πλουν) nostram perficientes (διανυσαντες), Tyro Ptolemaïdem pervenimus; et salutatis *Christianis ibi degentibus* (τους αδελφους), diem unam apud illos mansimus. *Postridie* (τη δε επαυριον scil. ἡμερᾳ) vero inde profecti, terrestri itinere venimus Caesaraeam. Et *ingressi* (εισελθοντες) domum Philippi evangelistae, *quippe qui esset* (οντος) unus ex *septem illis* (εκ των ἑπτα) diaconis olim Hiërosolymae institutis, apud eum mansimus. Huic autem Philippo erant quatuor *filiae virgines* (θυγατερες παρθενοι), quae identidem prophetabant (προφητευουσαι).

Διανυειν non nisi hoc loco in libris sacris Novi Testamenti occurrit; valet autem *perficere, absolvere*. Scholiastes ad Sophoclis *Aiac.* vs. 611 (apud Wetst. ad h. l.) : ανυω, inquit, την ὁδον, αντι του τελειῶ; et ad Electr. vs. 1478 : ηνυσα την ὁδον ἁπλως αντι του επληρωσα. Xenophon Eph. 1 Lucanca illa phrasi usus dixit : διανυσαντες τον πλουν εις Σαμον κατηντησαν. — Πλους est *navigatio*, i. e. actus navigandi, Belgice : *eene vaart*. Est ergo ὁ πλους, *instituta* (vs. 2) *navigatio;* ea hic dicitur fuisse *absoluta,* quum venissent Ptolemaïdem; unde consequitur, reliquam viam

[1]) Hom. 45 in Act. : Μετα δε το εξαρτισαι τας ἡμερας, φησι· τουτεστι, πληρωσαι.

terrestri itinere fuisse confectam. — Aoristus διανυσαντες hic adhibetur non de eo quod praecessit, neque de simultaneo, sed de eodem sub diverso respectu : erat enim το διανυσαι τον πλουν reipsa idem ac το καταντησαι απο Τυρου εις Πτολεμαιδα. Similis significationis Aoristus occurrit, exempli causa, etiam Act. I : 24. Graeca Belgice reddideris : *Wij nu voltrokken onze vaart en kwamen van Tyrus te Ptolemaïs aan.* De titulo *evangelistae* dicturi sumus ad Ephes. IV : 11. — Ουτος, *quippe qui esset* (vide Gr. pag. 382. 12.); scilicet *causa* indicatur, cur apud Philippum potius quam apud alium quempiam diversati sint. Versiculo nono Lucas *obiter* notat tamquam *memorabile quid*, huic Philippo fuisse filias quatuor, quae omnes virginitatem profiterentur (θυγατερες παρθενοι), et charisma haberent prophetiae. Cf. dicta ad Cap. XI : 27. De Philippi *filiabus virginibus* disserit Baronius ad an. Ch. 58, § 115, sqq.

10—12. *Et cum moraremur*, etc.). Quum autem, inquit, *per plures dies* (ἡμερας πλειους) Cesareae commoraremur, *descendit* (κατηλθε) illuc quidam propheta, *e Iudaea oriundus* (απο της Ιουδαιας), nomine Agabus (vide supra Cap. XI : 28). Is quum ad nos *venisset* (ελθων) et *tulisset* (και αρας) cingulum Pauli, *alligassetque* (δησάς τε) eo cingulo suas ipsius manus et pedes, afflatus Spiritu Sancto ita dixit : Haec ait Spiritus Sanctus : Virum, cuius est cingulum hoc, ita alligabunt Hiërosolymae Iudaei, tradentque in manus Gentium! Haec cum audissemus, tum nos (ἡμεις, scil. Lucas noster, ceterique Pauli comites), tum Christiani *inquilini* (οἱ εντοπιοι, Christiani Caesareënses) adhortabamur eum, *ut ne* Hiërosolymam *adscenderet* (του μη αναβαινειν).

De zona sive cingulo vide quae notavimus supra ad Cap. XII : 8. Agabus, pro more antiquorum Prophetarum (cf. Isaiae XX : 2, 3; Ierem. XIII : 1, sqq. XXVII : 2), id quod praedicebat simul actu symbolico repraesentabat. De Infinitivo του μη αναβαινειν videsis Gr. pag. 356, 4.

13. *Tunc respondit Paulus*, etc.). Paulum ibi omnes, ne se committeret Hiërosolymae, inter effusas lacrymas instanter supplicaverant. Ipse vero tenax propositi respondit illis : *Quid ploratis et* (fletu vestro) *frangitis* (τι ποιειτε κλαιοντες και συνθρυπτοντες) *cor meum?* Incassum illud facitis; *ego enim* (γαρ) *paratus sum*, etc. — Ὑπερ hic ut supra Cap. V : 41. — Quod dicit Paulus *frangitis*, eo indicat, se nihilominus magno affectu condolere ipsorum tristitiae.

Locutionem τι ποιειτε κλαιοντες tantumden valet ac τι κλαιετε, veluti in hoc Marci XI : 5 : τι ποιειτε λυοντες τον πωλον, quod profecto simpliciter valet τι λυετε. — De phrasi αποθανειν εις vide quae notavimus supra ad vs. 3. Dictio ἑτοιμως εχω significatione non differt a dictione ἑτοιμος ειμι (Luc. XXII : 33), aut εν ἑτοιμῳ εχω (2 Cor. X : 6). Polybius (apud Raphel. in Annott. ad h. l.) eodem modo dixit : προς παν ἑτοιμως εχειν, *ad omnia paratum esse*; et simili Adverbii cum Verbo εχειν structura Arrianus (Exp. Alex. Lib. I, Cap. 26) scripsit : Τον δε ὑπο καματου εγερθηναι μεν αδυνατως εχειν εκ του ὑπνου, *eum prae lassitudine e somno excitari non potuisse.*

14—16. *Et cum ei suadere non possemus*, etc.). Pergit Lucas : *quum vero* (δε) *ei non persuaderetur* (μη πειθομενου δε αυτου, quum non persuaderetur), ut ne pergeret Hiërosolymam, hoc ab eo petere *quievimus* (ἡσυχασαμεν) dicentes : Voluntas Domini fiat! Post illos autem dies (vs. 19), *quum nos ad iter parassemus* (επισκευασαμενοι), Hiërosolymam adscendimus. *Iverunt* autem illuc *nobiscum* (συνηλθον συν ἡμιν) *etiam* (και) *nonnulli ex Christianis* (των μαθητων, supple τινες, ut supra Cap. IX : 33) *Caesareënsibus* (απο Καισαρειας), secum adducentes Mnasonem quemdam, ortu Cyprium, antiquum discipulum, apud quem Hiërosolymae hospitaremur. — *Attractio* hic est; nam ex solita Syntaxi scribendum erat : αγοντες Μνασωνα τινα Κυπριον, αρχαιον μαθητην, παρ' ᾡ

ξενισθωμεν. Hoc modo et Interpres noster et Syrus locum hunc intellexit. Vide Gr. pag. 164. *Adnot.* 3.

17. *Et cum venissemus*, etc.). Γενεσθαι, si struatur cum Praepositionibus aut Adverbiis *motum* indicantibus, notat *venire aliquò*, ut hoc loco, et infra Cap. XXV : 15. Confer etiam quae notavimus supra ad Cap. XIII : 5. — Οἱ αδελφοι sunt Christiani Hiërosolymitani illi, quos primos in urbe salutaverant. — De *Genitivo absoluto* (γενομενων Aor.) huius loci quid dicendum sit, vide ad Cap. XVI : 16. — Ασμενως Hesychius interpretatur μετα χαρας, ἡδεως, προθυμως.

18—19. *Sequenti autem die*, etc.). Τῃ δε επιουσῃ (scil. ἡμερᾳ) vide ad Cap. XVI : 11. — Sermo hic est de Apostolo Iacobo, Hiërosolymitano antistite. Vide supra ad Cap. XII : 2. — Παρεγενοντο (Aor.) *adfuerunt*, *praesto fuerunt*. — Οἱ πρεσβυτεροι intelliguntur sacerdotes secundi ordinis, qui Hiërosolymae degerent. — Καθ' ἑν ἑκαστον dictum est Ellipticе pro καθ' ἑν ἑκαστον εκεινων, h. e. *sigillatim quodque eorum*; ex quo liquet, id, quod statim ibi sequitur, ὡν εποιησεν, per *Attractionem* scriptum esse pro ἁ εποιησεν.

20—22. *At illi cum audissent*, etc.). Hanc Pauli narrationem cum audivissent, Deum *glorificabant* (εδοξαζον), *h. e.* laudibus extollebant eius bonitatem, ut qui gratiam suam effudisset etiam in Gentiles. Cf. Cap. XI : 18.

dixeruntque ei : Vides, frater, etc.). Paulus apud Palaestinenses delatus erat, quod Iudaeo-Christianis inter Gentiles commorantibus auctor esset, ut nec filios suos circumciderent, nec cetera instituta Mosaica servarent. Quae omnia a Iudaeo-Christianis Palaestinensibus magna religione adhuc observabantur. Profecto non dubitabant nec Iacobus, nec presbyteri, quin calumniosa esset

haec criminatio; sed quum tamen esset fidem nacta inter Hiërosolymitanos, nec hos diu latere posset Pauli in urbem adventus, timebant, ne quid forte hinc tumultûs exoriretur. Quare Iacobus, qui omnium nomine verba hic fecerit, Paulo suadet, ut quantocius se ab hac falsa suspicione liberet, unà suggerens ei modum quo praestare illud posset; cui prudenti consilio Paulus obtemperat.

Sic ergo Iacobus Paulum affatus est : Vides, aiebat, frater Paule, quot sint hic millia Iudaeorum, qui crediderunt Evangelio; et hi omnes magno Legis (του νομου, scil. *Mosaicae ritualis*) observandae studio adhuc tenentur. Iam vero fama *edocti sunt* (κατηχηθησαν, vide supra, p. 119) *de te* (περι σου), quod Iudaeos omnes, *qui per* (κατα), i. e. *inter Gentiles versantur* (τους κατα τα εθνη) a Mose deficere (αποστασιαν *defectionem*) doceas, dicens, *debere eos non circumcidere* (μη περιτεμνειν αυτους, supple δειν, ut supra XV : 24, 38) *filios suos, nec vivere* (περιπατειν) *secundum ritus legis Mosaicae* (τοις εθεσι, *Dativus Normae*, ut supra XV : 1). *Quid ergo est* (τι ουν εστι)? q. d. quid ergo facto opus est? cf. I Cor. XIV : 15, 26. Et pergit Iacobus : *Evitari nequit, quin* istorum πεπιστευκοτων (vs. 20) *multitudo quaedam* (πληθος, sine Artic.) *conveniat tui causa* (puta, ut Paulum apud Iacobum accusarent); *audituri enim sunt te huc advenisse*. Postremis hisce verbis Iacobus in antecessum rationem exponit concilii quod mox (vs. 23 et 24) Paulo erat daturus. Timebat ille nonnihil tumultus.

23—25. *Hoc ergo fac quod tibi*, etc.). Volebat Iacobus, ut Paulus se a falsa illa suspicione liberaret, atque in eum finem publico aliquo facto ostenderet, se sentire legem esse bonam, minimeque se damnare eos qui eam observarent. Itaque suggerit illi modum, quo praestare illud posset : *Sunt nobis*, inquit, *viri quatuor, qui voto* (Naziraeatûs temporarii) *se obstrinxerunt*[1]. *Hos*

[1]) Is qui votum Naziraeatûs nuncupasset ad tria obligabatur; nam et abstinendum illi erat a vino omnique potu inebriante, et coma capitis alenda, et

viros assumito (adiungito te illis) *et sanctifica te* (ἁγνίσθητι *sanctificator.* Imperat. Aor.) *cum illis*, q. d. esto Naziraeus cum illis[1]; *et ferto sumptus* (δαπάνησον) *propter illos* (ἐπ' αὐτοῖς), *ut caput tondere possint*[2]; *atque ita cognoscent omnes* (γνώσονται), *nihil esse eorum quae* (h. e. falsa esse ea quae) *famâ circa te edocti fuerunt, sed contra, ipsum quoque te legem observare.* Et addit Iacobus : *Quod autem attinet ad eos qui ex Gentilibus facti sunt Christiani* (των πεπιστευκοτων εθνων), *nos illis scripsimus, decernentes nihil tale servandum ipsis*[3], *nisi ut abstineant se ab idolothyto, et sanguine, et suffocato, et fornicatione*[4]. Addiderit haec Iacobus, ut

---

cavendum a contactu mortui (cf. Num. Cap. VI : 1—9). Naziraei autem alii erant *perpetui*, ut S. Ioannes Baptista (Luc. I : 15), alii *temporarii*. Viri illi quatuor, de quibus hic agitur, quot dierum vel annorum Naziraeatum vovissent, non dicitur; sed ex contexta oratione (vs. 26 et 26) colligitur, eos prope abfuisse a voti sui termino.

1) Voces ἁγνίζειν et ἁγνισμος, in hac materia, respondent vocabulis Hebraicis הִזִּיר *Naziraeum se facere*, et נֵזֶר *Naziraeatus.* Cf. Deuter. Cap. VI : 2, 5 cum versione Septuagintavirali.

2) Naziraeis temporariis, exacto voti tempore, inter alia ex praescripto Legis (Numer. Cap. VI : 13-22) praestanda, offerendae quoque erant, sacerdotum ministerio, victimae tres, agnus, agna et aries. Quibus omnibus rite peractis, tondebantur, atque ita demum suo solvebantur voto. Quod si qui Naziraei sumtus, ad solutionem voti impendendos, ipsimet forre non valerent, his per alios succurri poterat. Et eximiae cuiusdam pietatis specimen edebat qui pauperibus Naziraeis sumtus illos vel ex toto vel ex parte suppeditaret. Itaque suadet Iacobus Paulo, ut *et* ipse temporarium voveat Naziraeatum, *et* praeterea spondeat, se laturum esse sumtus faciendos, ut viri illi quatuor *tonderi*, h. e. voto suo solvi possent. *Duplex* illud votum simul nuncupare, quod Iacobus Paulo hic suadet, non inusitatum fuisse inde colligitur, quod istiusmodi voti formula in Mishna (Tract. נזיר i. e. *Naziraeus*, Cap. 2) commemoratur. Erat autem talis: הריני נזיר ועלי לגלח נזיר h. e. *Ecce ego Naziraeus ero, et super me onus erit tondendi Naziraeum*, h. e. faciendi sumptus necessarios ut Naziraeus aliquis tonderi possit.

3) VAR. LECT. Verba μηδεν τοιουτον τηρειν αυτους ει μη leguntur in Codd. CDEGH, item in antiqua Itala et apud S. Augustinum (Vid. Sabat.). Absunt autem a Codd. AB, a Vulgata, et plerisque antiquis versionibus. Video, Tischendorfium in Lipsiensi sua editione N. T. Graeci secunda, a. 1849, illa verba in contextum non recepisse. Quod mihi non probatur; nam ut non est cur credamus habenda ca esse pro aliquo glossemate, ita facile fieri potuit, ut omissa fuerint a Librario, qui putaverit ea a Iacobo dici non potuisse, quum in Hierosolymitano illo decreto (Cap. XV : 28, sq.) minime legantur.

4) Fuerunt olim qui hanc Concilii Hierosolymitani prohibitionem ita ex-

significaret se, quamquam Paulo illa facere suadebat, tamen nullatenus recedere velle ab eo, quod circa rituum Mosaicorum observationem decretum fuerat in Concilio septem abhinc annis Hiërosolymae habito. Cf. dicta ad Cap. XV : 20.

Ξυρησωνται (a ξυραω *tondeo, rado*) Aor. Med. in Coniunctivo cum Accusativo Obiecti (την κεφαλην). Vide Gr. p. 264. *Adnot.* — In ὁτι ὡν κατηχηνται... ουδεν εστιν est *Attractio* et *Ellipsis;* usitata Syntaxis postulabat ut scriberetur : ὁτι εκεινων ἁ κατηχηνται... ουδεν εστι. Similis Ellipsis occurrit supra, vs. 19. — Στοιχειν, *incedere,* ut supra (vs. 21); περιπατειν de *vivendi ratione.* — Μηδεν τοιουτον (scil. rituum Mosaicorum) τηρειν αυτους per Ellipsin pro τηρειν δειν αυτους, ut supra Cap. XIV : 14, et XV : 24, 38. — Φυλασσεσθαι Med. construitur hic cum Accusativo : το, τε ειδωλοθυτον, etc. — Αυτους ibi pendet a κριναντες; puta scriptum ibi esse : κριναντες δειν αυτους φυλασσεσθαι, etc.

26. *Tunc Paulus assumptis,* etc.). Prudenti huic consilio Paulus sine mora obtemperavit. Itaque sociavit se quatuor viris illis, ac postridie *factus Nazaraeus* (ἁγνισθεις) *cum illis* (i. e. ut illi),

---

ponerent, ut dicerent, non nisi sensum mysticum, nescio quem, eidem subesse. Reffellit eos S. Thomas (1, 2. Q. 103, Art. 4. ad 3). Idem (*ibid.*) merito improbat quoque interpretationem Hiëronymi. Ipse deinde sensum illius prohibitionis rectissime exponit : « *Dicendum est*, inquit, *quod ad litteram ista sunt prohibita ; non ad observandum ceremonias Legis, sed ad hoc quod posset coalescere unio Gentilium et Iudaeorum insimul habitantium. Iudaeis enim, propter antiquam consuetudinem, sanguis et suffocatum erant abominabilia. Comestio autem immolatorum simulacris poterat in Iudaeis aggenerare circa Gentiles suspicionem reditûs ad idololatriam; et ideo ista fuerunt prohibita pro tempore illo, in quo de novo oportebat convenire in unum Gentiles et Iudaeos. Procedente autem tempore (cessante causa cessat effectus), manifestata Evangelicae doctrinae veritate, in qua Dominus docet, quod nihil quod per os intrat coinquinet hominem, ut dicitur Matth. XV, et quod nihil est reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur, ut ad Timoth. Cap. IV dicitur. Fornicatio autem prohibetur specialiter, quia Gentiles non reputabant eam esse peccatum.* »

Praesens S. Thomae locus mihi videtur mendose editus.

templum adibat, et, adductis hostiis pro solutione voti praescriptis (Numer. VI : 13—16), *expletionem dierum Naziraeatûs* sociorum suorum (την εκπληρωσιν των ἡμερων του ἁγνισμου) sacerdotibus *annunciabat* (διαγγελλων), idque faciebat *usque quo* (ἑως οὗ) *pro unoquoque eorum sacrificium* (ἡ προσφορα scil. a Mose praescripta Numer. VI : 13—21) *fuisset oblatum*.

Ἁγνισθεις, *cum se Naziraeum fecisset*, Aor. Passiv. significatione reflexiva, ut supra vs. 24. — Συν αυτοις iungendum est cum ἁγνισθεις, ut patet ex vs. 24. — Διαγγελλω de *annunciando per aliquem* dictum legitur apud Herod. II : 6, 9, et Xenoph. Anab. I : 6, 2 (vide Wahl. in Clavi ad h. v.). S. Chrysostomus quoque (Hom. 46 in Act.) διαγγελλων interpretatur καταγγελλων. Hoc ergo loco διαγγελλειν adhibitum sit de nuncio per Templi ministros ad sacerdotes perlato. — Ἑως οὗ, *usque quo*, hic construitur cum Aoristo Indicativi, ut apud Ioannem Cap. IX : 18 : Ουκ επιστευσαν... ἑως ὁτου εφωνησαν.

Existimo, quatuor illos viros prope abfuisse a termino sui Naziraeatûs; idque ita quidem, ut eorum unus *postera illa die* (vs. 26) voto suo solvi potuerit, reliqui tres autem intra dies sequentes sex. Existimo porro, Paulum intra spatium illorum sex dierum quater adiisse templum, et singulis dierum annunciasse *expletionem dierum Naziraeatûs* (την εκληρωσιν των ἡμερων του ἁγνισμου) alicuius ex sociis suis, factisque impensis, curasse ut tonderentur votoque suo solverentur. Paulum ipsum putaverim, *postera illa die* (vs. 26) vovisse Naziraeatum septem dierum, quum non videam fieri posse, ut ad aliud quid referatur id quod mox (vs. 27) dicitur : ὡς δε εμελλον αἱ ἑπτα ἡμεραι συντελεισθαι. Docet quidem Maimonides, *non esse Naziraeatum temporis brevioris quam triginta dierum*; ast in Sacra Scriptura nuspiam hoc dicitur; nuspiam quoque in Mishna prohibetur, quominus quis voveat Naziraeatum nisi ad dies minimum triginta.

Operae pretium fuerit hoc loco exhibuisse doctrinam S. Thomae

de rituum Mosaicorum observatione post Christum passum. Ergo, improbata hac in re opinione S. Hiëronymi, S. Doctor sic dicere pergit (Summae 1, 2. Q. 103, Art. 4) : « *Convenientius*, inquit, *Augustinus distinxit tria tempora : unum quidem ante Christi passionem, in quo legalia neque erant mortifera, neque mortua; aliud autem post tempus Evangelii divulgati, in quo legalia sunt mortua et mortifera; tertium autem est tempus medium, scilicet a passione Christi usque ad divulgationem Evangelii; in quo legalia quidem fuerunt mortua, quia neque vim aliquam habebant, neque aliquis ea observare tenebatur, non tamen fuerunt mortifera; quia illi, qui conversi erant ad Christum ex Iudaeis, poterant illa legalia licite observare, dummodo non sic ponerent spem in eis, quod ea reputarent sibi necessaria ad salutem, quasi sine legalibus fides Christi iustificare non posset. His autem, qui convertebantur ex Gentilitate ad Christum, non inerat causa ut ea observarent. Et ideo Paulus circumcidit Timotheum, qui ex matre Iudaea genitus erat; Titum autem, qui ex Gentilibus natus erat, circumcidere noluit. Ideo autem noluit Spiritus Sanctus ut statim inhiberetur his, qui ex Gentilibus convertebantur, observatio legalium, sicut inhibebatur his, qui ex Gentilibus convertebantur, Gentilitatis ritus, ut quaedam differentia inter hos ritus ostenderetur. Nam Gentilitatis ritus repudiabatur tamquam omnino illicitus et a Deo semper prohibitus; ritus autem Legis cessabat tamquam impletus per Christi passionem, utpote a Deo in figuram Christi institutus.*

27-29. *Dum autem septem dies consummarentur*, etc.). Graece hic dicitur : *quum autem futurum esset ut septem illi dies* (αἱ ἑπτα ἡμέραι) *finirentur*. Sensus est : Quum instaret finis septem illorum dierum. — Intelliguntur autem, ut iam innuimus, dies Naziraeatûs septiduani, quem Paulus voverit. His ergo diebus pene expletis, accidit, ut *Iudaei Asiani* (οἱ απο τῆς Ασιας Ιουδαιοι) *qui*

ad festum Pentecostes celebrandum venerant Hiërosolymam, Paulum, quem in Asia noverant, in templo viderent. Quum autem infenso in illum essent animo, simul ac *conspexissent* (θεασαμενοι) eum, *concitabant* (συνεχεον Imperf.) in eum *totum populum* (παντα τον οχλον) *ibi praesentem*, et violentas manus in illum iniecerunt, clamantes : Viri Israëlitae, succurrite! Iste est homo ille, qui omnes ubique ea docet, quae sunt hostilia et Genti nostrae (κατα του λαου), et legi nostrae (κατα του νομου), et sacro huic loco (κατα του τοπου τουτου), scil. Templo Hiërosolymitano[1]. *Atque insuper* (ετι τε) *etiam* (και) homines Gentiles (Ἑλληνας) induxit in Templum, contaminavitque sanctum hunc locum. — Postremae huius criminationis *causam* (γαρ) hanc notat Lucas (vs. 29) : Viderant enim, inquit, in urbe (*Hiërosolymae*) Paulum in comitatu suo habentem Trophimum Ephesium (vid. Cap. XX : 4), quem suspicabantur fuisse a Paulo introductum *in templum*, εις το ἱερον, i. e. in atrium Israëlitarum, quod Gentilibus, utpote incircumcisis, non licebat intrare. Sed falsa erat haec criminatio, ut Lucas indicat.

Ἑλληνας dicunt isti, in Plurali *generico*, ut supra pag. 439. Κοινοω τι, *commune quid facio*, i. e. *profano*, *contamino*, ex loquendi usu Hebraeorum. Vide ad Cap. X : 15. — Pro ενομιζον ὁτι κ. τ. λ. Lucas adhibere potuisset Syntaxin Accusativi cum Infinitivo.

30—32. *Commotaque est civitas tota*, etc.). Ad hunc tumultum *commota est* (εκινηθη) tota civitas, factaque est populi concursio. Et *comprehenderunt Paulum* (επιλαβομενοι Aor. 2 Med.) cumque *trahebant* (εἱλκον Imperfect. ab ἑλκω) extra templum : videlicet volebant eum occidere (cf. vs. 31) sed non in ipso templo, ne illud

[1]) Eâdem criminatione Iudaei olim usi fuerant in Stephanum. Vide supra ad Cap. VI : 13.

patrata ibi caede profanaretur; ob quam causam *statim* (ευθεως) quoque ac Paulus protractus esset extra templum, a Levitis ianitoribus *clausae sunt fores templi* (εκλεισθησαν αἱ θυραι). Interea vero dum eum *continuo percutientes* (cf. vs. 32) occidere quaerebant, ad Claudium Lysiam (vide Cap. XXIII : 26), Tribunum (τῳ χιλιαρχῳ, Dativ. *directionis*) Romanae cohortis, in arce Antonia, templo contigua, habitantem, *indicium pervenit* (ανεβη φασις), quod tota civitas Hiërosolyma *esset concitata* (συγκεχυται). Qui *statim* (εξαυτης=εξ αυτης της ὡρας), adiunctis sibi militibus et centurionibus, decurrit *in eos* (επ' αυτους). Hi vero *quum vidissent* (ιδοντες) tribunum cum militibus accurrentem, *cessaverunt percutere* (επαυσαντο τυπτοντες. vide Cap. V : 42) Paulum.

33—36. *Tunc accedens Tribunus apprehendit eum*, etc.). Tribunus autem *quum appropinquasset* (εγγισας), Paulum satellitum suorum ministerio *apprehendit* (επελαβετο), iussitque vinciri catenis duabus, puta manibus et pedibus, ita tamen ut adhuc incedere posset (cf. vs. 34). Interea ab adstantibus *sciscitabatur* (επυνθανετο), quisnam ille esset et quid admisisset. Nempe habebat Tribunus Paulum pro malefico aliquo, in quem plebs non sine causa saeviret. Quum autem *in* tumultuosa *illa turba* (εν τῳ οχλῳ) ad illam Tribuni quaestionem *alii aliud quid vociferarentur* (αλλοι αλλο τι εβοων), neque is, *ob eum tumultum* (δια τον θορυβον), *certum* (το ασφαλες) cognoscere posset, iussit Paulum, vinctus ut hic erat, duci *in castra* (εις την παρεμβολην). Quum vero *venisset* (εγενετο Aor. 2 Med.) *ad gradus quibus adscendebatur in arcem Antoniam* (επι τους αναβατμους. vide Fl. Ioseph. B. J. Lib. V : 8), evenit ut manibus portaretur a militibus *ob impetum turbae* (δια την βιαν του οχλου). Insequebatur enim tumultuans *illa* populi *multitudo* (το πληθος) vociferans : Tolle eum de medio!

* In locutione εστι πεποιηκως, ut et supra (vs. 29) in ησαν ἑωρακοτες est Periphrasis Verbi finiti per Verbum Substantivum et Par-

ticipium; qua de re videsis Gr. pag. 380. 11. Dicitur τις αν ειη, quia Tribunus *incertus* erat quis esset; contra dicitur τι εστι πεποιηκως, quia *pro certo* habebat, fuisse malefactum *aliquod* ab eo commissum. Vide Gr. pag. 301. — Ἡ παρεμβολη hic intelliguntur castra stativa (*la caserne*) militum Romanorum in arce Antonia (cf. Flav. Ioseph. de B. I. Lib. V. Cap. V : 8. — Γενεσθαι de *veniendo aliquò*, ut supra vs. 17.

37. *Et cum coepisset induci*, etc.). *Quum* Paulus iam *in eo esset ut induceretur* (μελλων εισαγεσθαι) *in castra* (εις την παρεμβολην), Graeca lingua utens *dicit* (λεγει in Praesenti historico) Tribuno : *Num* (ει, ut Cap. VII : 1) licet mihi aliquid dicere *ad te* (προς σε)? Ille vero dixit : An Graece loqui nosti!

38—40. *Nonne tu es Aegyptius*, *qui*, etc.). Quum Tribunus audiret Paulum Graece loquentem, suspicio illi nascitur, nescio quam ob causam, Paulum forsitan esse *Aegyptium illum*, qui haud ita pridem seditionem excitasset. — Scilicet paulo ante Aegyptius quidam, prophetam se esse simulans, seduxerat non paucos; quibus et persuaserat, ut se in montem Oliveti sequerentur armati, inde invasuri Hiërosolymam; nempe pollicitus fuerat effecturum se, ut solo suo iussu muri collaberentur atque ita liber illis in urbem aditus pateret. Sed, re cognita, Claudius Felix, Iudaeae Procurator, cum selecta militum manu seditiosos adortus, eorum multos ceperat vivos, plures occiderat, reliquis fuga elapsis unà cum Aegyptio illo, auctore seditionis. Vide Fl. Ioseph. Antiqq. Lib. XX, Cap. VIII : 6, et de B. I. Lib. II, Cap. XIII : 5. — Flavius Iosephus in huius rei relatione non sibi constat.— Ergo Tribunus suspicans, eum, quem comprehendi iusserat, forsitan esse elapsum illum Aegyptium, sic Paulum interrogat : *Num forte* (ἄρα[1]) tu es *Aegyptius*

[1]) Locutionem *ουκ ἄρα* S. Chrysostomus non aliter intellexit quam Interpres noster; nam illo Hom. 47 in Act. Ap. (in principio) sic scribit : Επειδη

ille (ὁ Αιγυπτιος), qui ante hos dies *excitavit* (αναστατωσας Particip. Aor.) et in desertum eduxit quatuor millia sicariorum (εξαγαγων Aor. 2, vide ad Cap. V : 27)? Cui Paulus : Ego quidem (μεν) non sum is quem tu putas, sed *Iudaeus Tarsensis* (Ταρσευς), Ciliciae (provinciae), urbis minime obseurae eivis; rogo autem (δε) te, *permitte* (επιτρεψον) mihi loqui ad populum. Quod quum illi permisisset, Paulus stans in gradibus, *manu mota populo indixit silentium* (κατεσεισε τῃ χειρι τῳ λαῳ, vide ad Cap. XII : 17). Magno autem silentio facto, *patrio sermone usus* (τῃ Ἑβραιδι διαλεκτῳ), sie populares suos allocutus est : *Viri fratres et patres*, ete.

Quaenam lingua intelligatur ea quae hic dieitur ἡ Ἑβραΐς διαλεκτος, vide supra ad Cap. IX : 4, pag. 248.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

Argumentum. Paulus ad populares suos orationem habet, qua, ad sui defensionem, ex ordine enarrat, quonam modo ex atroci Christianorum persecutore, factus sit ipse Christianus et Christianae doctrinae praeco, vs. 1—6. Et hactenus quidem dicentem patienter audiunt. Quum vero narrasset, se in extasi vidisse Iesum, ab eoque iussum fuisse ut Evangelium Gentilibus praedicaret, in furorem acti dicentem interrumpunt, inconditis clamoribus ad necem eum deposcentes, vs. 17—23. Tribunus, ex iguoratione linguae, Pauli orationem minime intellexerat, sed quum tanta rabie populus in eum inveheretur, non dubitaverit, quin reus esset alicuius criminis; quare abductum in castra flagris caedi iubet, ut ex illo cognosceret quid tandem commisisset; sed avertit hoc supplicium Paulus, declarans se esse civem Romanum. Quia tamen scire volebat Tribunus, cuiusnam criminis Paulus a popularibus suis accusaretur, postridie coram magno Synedrio illum statuit, nunc quidem suspicans, ut videtur, de religione esse controversiam, vs. 24—30.

1—2. *Viri fratres et patres*, ete.). Blanda compellatione adstantes alloquitur; assessores Synedrii, qui adessent, *patres*, reliquos vero *fratres* vocat. *Audite*, inquit, *meam nunc ad vos defensionem* (μου της προς ὑμας απολογιας). Scilicet purgaturus se erat adversus eriminationes, quas supra (Cap. XXI : 28) legimus.

γαρ επυνθανετο, Συ ει ὁ Αιγυπτιος; Εγω ειμι, φησιν, ανθρωπος, κ. τ. λ.

Quum autem audirent eum ipsos *alloquentem* (προσεφωνει) non Graeco sed *patrio ipsorum sermone* (τη Ἑβραιδι διαλεκτῳ. vide supra ad Cap. XXI : 40), adhuc altius adhibuère silentium.

3—5. *Et dicit: Ego sum vir Iudaeus*, etc.). Sum ego, inquit, genere *Iudaeus* (ανηρ Ιουδαιος), natus *quidem* (μεν) Tarsi in provincia Cilicia, educatus *vero* (δε) in hac civitate (scil. Hiërosolymae), ad pedes Gamaliëlis institutus *secundum rigorem Mosaicae legis* (κατα ακριβειαν του πατρωου νομου), *ita ut exsisterem* (ὑπαρχων) *acerrimus defensor* (ζηλωτης, *een ijveraar*) Legis[1], quales omnes vos estis hodie[2]. Et *religionem hanc* (ταυτην την ὁδον. vide ad Cap. IX : 2), quam nunc profiteor, olim persecutus sum *odio internecino* (αχρι θανατου), *vinciens et in carceres tradens* (δεσμευων και παραδιδους εις φυλακας) tam viros, quam mulieres, qui eam religionem profiterentur. Atque haec ita se habere *testis mihi est* (ματυρει μοι) *summus sacerdos* (ὁ αρχιερευς) *et Synedrium universum* (παν το πρεσβυτεριον), a quibus *quum et litteras accepissem* (και επιστολας δεξαμενος) *ad fratres Iudaeos* (προς τους αδελφους. vide ad Cap. IX : 2), Damascum profectus sum, ut *etiam qui illic essent* (και τους εκεισε οντας) Christianos adducerem vinctos Hiërosolymam, ut ibi punirentur.

Particula μεν nonnumquam posita est non *suo* loco (vid. Gr. pag. 526), ut factum est hic; nam Paulus sibi vult : Εγω... γεγεννημενος μεν... ανατεθραμμενος δε... κ. τ. λ. — Παρα τους ποδας, nam discipuli *ad* praeceptorum *pedes* sedere solebant, uti etiamnum fit. Videsis Vitringam *de Synagoga vetere* Lib. 1. P. 1. Cap. VII. — *Gamaliël* is idem est cum eo, de quo sermo fit supra

---

[1]) Vel *Dei* i. e. *cultus Dei*. Cf. Gal. Cap. I : 14. Pro Θεου Interpres noster videtur legisse νομου, quum vertat *aemulator* LEGIS. Sed lectio νομου testes habet fere nullos.

[2]) Significat, eos duci ad se persequendum zelo Legis; recte-ne vero an perperam, nunc non dicit, dicturus illud mox indirecto modo. Cf. S. Chrys. Hom. 47 in Act. Ap.

Cap. V : 34. — Verba *παρα τους ποδας Γαμαλιηλ* iungenda sunt non cum *ανατεθραμμενος*, sed cum *πεπαιδευμενος*, ut patet. — *Κατα ακριβειαν*, *secundum exactam rationem*. Vide ad Cap. XXVI : 5. — Ὑπαρχων exprimit *effectum* praecedentis *πεπαιδευμενος*, et resolvendum est Participium ὑπαρχων in verbum Finitum *Temporis Imperfecti*, quia pendet a *πεπαιδευμενος* Participio Temporis Praeteriti.

Quid sit *αχρι θανατου* explicatur per illud Cap. IX : 1 : *εμπνεων απειλης και φονου εις τους μαθητας του Κυριου*. — Ὁ *αρχιερευς* intelligitur Caiaphae in Pontificatu successor Ionathan (Fl. Ios. Antiqq. Lib. XVIII, Cap. IV : 4), deinceps a Vitellio eo munere abdicatus (Fl. Ios. ibid. Cap. V : 3). Ionathan ille tunc temporis adhuc superstes fuerit, quum Paulus testem eum appellet. Cf. dicta ad Cap. IX : 2. — Hiërosolymitanum Synedrium magnum hic vocatur *το πρεσβυτεριον*. — Αξων, *adducturus*, *ut adducerem*.

6—10. *Factum est autem*, *eunte me*, etc.). *Evenit* autem, ita pergit, proficiscenti mihi et circa meridiem ad Damascum appropinquanti, *ut* subitò de coelo magna *lux* me *circumfulgeret* (*εγενετο... περιαστραψαι φως*. syntaxis est ut Cap. IV : 5), eaque luce perculsus *decidi* (*επεσον*) in terram, et vocem audivi dicentem mihi : Saule, Saule, cur me persequeris? Ego vero respondi : Quis es, domine? Et dixit ad me : Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris (vide ad Cap. IX : 5). Illi autem viri, qui mecum erant, *lucem illam* (*το φως*) quidem *viderant* (*εθεασοντο* Aor.) ac *terrefacti fuerant* (*εμφοβοι εγενοντο*[1]. Aor. 2), vocem autem eius *qui mihi loquebatur* (*του λαλουντος μοι*) non *audierant*

[1]) Var. lect. Verba *και εμφοβοι εγενοντο* leguntur in Cod. DEG variisque Minusculis et nonnullis antiquis versionibus. Tischendorfius (in editiono sua Novi Testamenti Gr. Lips. 1849) verba illa in toxtum non recepit. Equidem dubitaverim, an haberi possint pro glossemate ex Cap. IX : 7 derivato, quum illic scribatur non *εμφοβοι* sed *εννεοι*.

(ἤκουσαν. Aor.). — Vide heic dicta ad Cap. IX : 7. — Pergit Paulus : Et dixi : Domine, *quid faciam?* (τι ποιησω, *wat moet ik doen?* vide Gr. pag. 300. β). Dominus autem dixit ad me : Surge ac (ἀναστας, opgestaan zijnde) vade Damascum; et ibi dicetur tibi de omnibus (*daar zal tot u gesproken worden over alles*), *quae* (ὧν pro ἁ, per Attractionem) *tibi praecepta sunt facienda* (τετακται σοι ποιησαι, *wat u bevolen is te doen*).

11—16. *Et cum non viderem*, etc.). Pergit Apostolus : Quum verò non viderem *prae* (ἀπο de *causa*, ut pag. 482) *splendore* (της δοξης) illius lucis (q. d. *quum haberem oculos illius lucis splendore sic perstrictos, ut nihil omnino viderem*), *manu ductus* (χειραγωγουμενος) *ab iis qui mecum erant* (ὑπο των συνοντων μοι), Damascum veni. Illic autem Ananias quidam, *vir ad Legis normam pius* (ἀνηρ εὐσεβης[1] κατα τον νομον), bono testimonio *ab omnibus inhabitantibus Iudaeis* (ὑπο παντων των κατοικουντων Ἰουδαιων), h. e. ab omnibus Iudaeis Damascenis *commendatus* (μαρτυρουμενος. vide ad Cap. X : 22) ad me venit, et adstans mihi caeco dixit : Saule frater, *respice* (ἀναβλεψον)! Et ego protinus (αὐτῃ τῃ ὡρᾳ), recepto visu *respexi in eum* (ἀνεβλεψα εἰς αὐτον). Tum ille : Deus patrum nostrorum *assumpsit* (προεχειρισατο) te, ut cognosceres voluntatem eius, et videres Iustum (τον δικαιον, scil. Iesum Messiam) audiresque vocem ex ore eius, quia ad (προς) omnes homines testis illi eris *eorum quae* (ὧν) vidisti et audisti. Et nunc quid cunctaris? agedum, et, invocato nomine Christi, baptizator et abluito peccata tua!

Δοξα hoc loco de *splendore* dicitur, ut 1 Cor. XV : 40, 41. — Ananias, Iudaeo-Christianus, legem Mosaicam religiose adhuc obser-

---

[1]) Var. lect. Vox εὐσεβης non legitur in Cod. A. Pro εὐσεβης est in Codd. BGH vox εὐλαβης. Tischendorfius nec εὐσεβης nec εὐλαβης in contextum recepit. Nescio an recte; putaverim alterutram vocem a Luca ibi scriptam fuisse.

vabat. Confer hic dicta ad Cap. IX : 3, sqq. — Ananiae illud *αναβλεψον*, *respice*, sermo fuit operans, ut supra pag. 481. Divinitus edoctus fuerat Ananias ea quae ad Paulum hic dicit. Cf. IX : 10, 17.— Vocem προχειριζομαι (Med.), quam Interpres noster hic reddidit *praeordino*, infra (Cap. XXVI : 19) reddit *constituo*. Est autem verbum Denominativum προχειριζομαι tantumdem ac προχειρον ποιεω, *facio prae manibus* (προ χειρων) *esse*, et mox *in manus sumo*, *adsumo* ad aliquid, *destino*, *designo*. Dictum est ὢν ἑωρακας pro (μαρτυς) εκεινων ἁ ἑωρακας. Est ergo in hac locutione *Ellipsis* et *Attractio*. — Μελλειν, *cunctari*. Scholiast. ad Eurip. Hecub. 726 : Μελλειν· το βραδυνειν, το οκνεισθαι. — Αναστας abundat; vide ad Cap. VIII : 33. — Βαπτισαι et απολουσαι Imperativi sunt Aoristi formae Mediae; vertas : *faites vous baptiser et laver de vos péchés*. Sensus autem est : *Recipe baptismum, quo munderis ab omnibus peccatis tuis*. Nimirum est in hac locutione : βαπτισαι και απολουσαι, notanda Hebraeorum illa loquendi ratio, qua duo Imperativi coniunguntur ita, ut posterior significet quid secuturum sit, si fiat id quod exprimitur per priorem; sic Genes. Cap. XLII : 18 dicitur : זאת עֲשׂוּ וִחְיוּ *hoc facite et vivite*, quorum verborum sensus est : *hoc facite et vivetis*, h. e. *si hoc feceritis*, *vivetis*.

17—21. *Factum est autem revertenti mihi*, etc.). Pergit Paulus : *Evenit* autem mihi Hiërosolymam *reverso* (ὑποστρεψαντι) et in templo precanti, *ut raperer extra me* (εγενετο... γενεσθαι με εν εκστασει. syntaxis est ut Cap. IV : 5), videremque illum (scil. τον δικαιον. vs. 14) dicentem mihi : Festina ac *celeriter* (εν ταχει, *in haast*) Hiërosolymâ egredere, quia tuum de me testimonium Hiërosolymitani non admittent. Et ego dixi : Domine, mihi potius quam alii cuipiam credituri sunt; nam sciunt ipsi, me eum esse qui antehac *in carcerem coniiciebam* (ημην φυλακιζων) et *per varias synagogas* obeundo (κατα τας συναγωγας) flagellabam credentes in

te; quique, quum Stephani testis tui sanguis effunderetur, *etiam ipse* (και αυτος) adstabam necique eius consentiebam, ac custodiebam vestimenta eorum qui interficiebant illum. Cf. Cap. VII : 57; VIII : 3; IX : 1, 2; XXVI : 10, 11. Et dixit Dominus ad me : Vade, obtempera, quia ad nationes procul semotas emissurus sum te. — Factum hoc est deinceps. Cf. Cap. IX : 15; XIII : 2; Rom. XV : 19.

Usitata Syntaxis postulasset, ut pro Genitivo *absoluto,* και προσευχομενου μου, scriberetur και προσευχομενῳ[1]. — Est ergo oratio illa anacoluthica. — Εκστασις intelligenda hic est talis, qualem supra (ad Cap. X : 10) descripsimus. Confer etiam quae de hoc rerum genere docuimus ad Cap. X : 3; et puta Pauli animo tunc divinitus iuformatas fuisse istiusmodi notiones et imagines, ut visus sibi fuerit videre Iesum, et audire eum ad se loquentem, et illos cum eo miscere sermones. In ιδειν αυτον λεγοντα Zeugma est : accidit ut *viderem eum* et audirem *dicentem*. — Περι εμου referendum est ad μαρτυριαν, cui interpretationi non obstat absentia Articuli την ante περι εμου. Vide dicta ad Cap. I : 5 epistolae ad Philippenses. — De Syntaxi Participii cum verbo substantivo (ημην φυλακιζων), quae vs. 19 et 20 quinquies occurrit, vide ad Cap. I : 10 et IX : 28. — Κατα τας συναγωγας. intelliguntur synagogae Hiërosolymitanae; ceterum vide ad Cap. XXVI : 11.

22—24. *Audiebant autem eum usque ad hoc verbum*, etc.). Hactenus Iudaei Paulum quieti audierant; sed quum diceret, iussum se fuisse a Iesu Messia, ut Gentilibus Evangelium praedicaret[2], magnis clamoribus vocem loquentis interruperunt, ad Tribu-

---

[1]) Var. lect. Pro προσευχομενου μου est χροσευχομενῳ in Cod. E et nonnullis Minusculis. Videtur haec lectio esse correctio Librarii, cui alterius lectionis Syntaxis suspecta fuerit.

[2]) Scilicet contumeliosissime dictum hoc illis videbatur, quum sic postponerentur Gentilibus idololatris, quos praecipuo quodam contemtu prosequebantur.

num vociferantes : *Aufer de terra isthunc hominem* (τον τοιουτον, talem)! *nam vivere non debebat!* Quum autem isti sic vociferarentur, et prae iracundia vestimenta sua hac illac agitarent, ac, concussa terra pedibus, pulverem iactarent in aërem, Tribunus Paulum in castra duci iussit, *praecipiens* (ειπων) *flagris cum torqueri* (μαστιξιν ανεταζεσθαι αυτον), ut intelligeret, quam ob causam populus sic *continuo* vociferaretur (επεφωνουν Imperf.) *contra illum* (αυτῳ, Dativus *directionis*).

Tribunus, ignarus linguae, qua Paulus fuerat usus, orationem eius minime intellexerat. Suspicans tamen ex inconditis illis clamoribus ingentique tumultu, magnum aliquod facinus ab eo esse admissum, per flagra vult ab illo extorquere causae eius confessionem. In quo egit contra ius Romanum. Digest. L. 48, tit. 18 (apud *de Wette* ad h. l.) : *et non esse a tormentis incipiendum, divus Augustus constituit.*

Ου γαρ καθηκεν αυτον ζῆν proprie valet : *non conveniebat ut ille viveret*, q. d. iam dudum erat occidendus. De usu Indicativi Modi in hac oratione, vide Gr. pag. 502. 2. — Pricaeus (in Critic. sacr. ad h. l.) : « Non ego, *inquit,* heic abiecisse eos vestimenta existimem, sed argutis et impatientibus manibus hac illac iactavisse ea... Et ne quis hanc Lucae esse mentem dubitet, addam ex Luciano locum, ubi et vox απορριπτειν. Agit de histrione Aiacem insanum saltante : Το θεατρον ἅπαν συνεμεμηνει, και επηδων και εβοων, και τας ἐσθητας απορριπτουν. Ab admirationis excessu nempe, ut hi ab iracundiae. — Ῥιπτειν S. Chrysostomo (Hom. 48 in Act.) est εκτινασσειν. — Ανεταζειν, *inquirere;* deinde *per tormenta quaestionem habere de aliquo*, ut hoc loco, et Sap. II : 19 et VI : 6.

25—30. *Et cum astrinxissent eum loris,* etc.). Quum *autem* (δε) milites *protendissent* (προετειναν[1]) eum columnae *ad flagella-*

[1]) Var. lect. Pro προετεινεν est προετειναν in Codd. BG multisque Minusculis; atque haec lectio ceteris (προετεινον, προσετειναν, προσε-

tionem (τοις ἱμασιν), dixit adstanti centurioni Paulus : *Num* (ει) licet vobis civem Romanum et indemnatum flagellare? Hoc autem quum audisset centurio, adiit Tribunum, illique rem renunciavit, dicens : *Quid acturus es* (τι μελλεις¹ ποιειν; qu'allez-vous faire)? Caveto tibi! *nam* (γαρ) hic homo civis Romanus est! Accessit autem Tribunus ad Paulum dixitque illi : Dic mihi! Tu-ne civis Romanus es? Ille vero dixit : *Sum* (Ναι). Et respondit Tribunus : Ego *magna* pecuniae *summa* (πολλου κεφαλαιου, pour un grand capital. Genitiv. Pretii) *hoc ius civitatis* (την πολιτειαν ταυτην, dit burgerregt) acquisivi. Paulus autem dixit : At ego etiam natus sum Romanus civis, iure civitatis a parentibus ad me translato. Protinus ergo discesserunt a Paulo milites, *qui iam in eo erant* (οἱ μελλοντες) ut eum *tormentis examinarent* (ανεταζειν. vide supra ad vs. 3). *Ipse autem Tribunus quoque* (και ὁ χιλιαρχος δε) sibi metuit, ubi intellexit, Paulum civem Romanum esse seque eum *ad torturam* vinxisse. Postridie vero cupiens *verum* (το ασφαλες) cognoscere, scilicet *cuiusnam rei* (τι) accusaretur a (παρα, *de la part*. vide Gr. pag. 393) Iudaeis, a vinculis eum *solvit* (ελυσεν) iussitque convenire *sacerdotes principes* (τους αρχιερεις) totumque ipsorum (Iudaeorum) Synedrium; et eum *deduxisset* (καταγαγων, scil. ab arce Antonia ad conclave Synedrii) Paulum, hunc coram ipsis statuit.

Τοις ἱμάσιν, *loris*, Dativ. *Commodi*. Vocabulum ἱμας, αντος, dicitur et de *corrigia*, qua calceamenta veterum alligabantur (Ioh. I : 27), et, in Plurali, de loris, ex quibus componebatur scutica sive flagellum; de *funibus ad vinciendum* nuspiam, ut videtur, ἱμας dictum occurrit. — De *cive Romano a flagellis immuni* vide quae notavimus supra ad Cap. XVI : 38. Licebat tamen civem

---

τεινον, προέτεινεν, προσετεινεν) auctoritate praestare mihi videtur. Interpres noster legerit προσετειναν.

¹) Var. lect. Vox ὅρα ante τι μελλεις non legitur in Codd. ABCE multisque Minusculis; abest pariter a nonnullis antiquis versionibus. Glossema esse omnino videtur.

Romanum virgis caedere, si prius ob crimen esset damnatus capitis. Sed Paulus erat ακατακριτος, *indemnatus.* — Sciebat Tribunus (cf. Cap. XXI : 39), Paulum Tarsensem esse, et tamen iussit eum flagellare; ex quo consequitur Tarsenses universos ius civitatis Romanae non habuisse. Ergo civis Romanus erat Paulus, non qua Tarsensis, sed quod e maioribus suis aliquis illud ius esset consecutus, aut meritis suis (vide Sueton. Aug. Cap. 47), aut pecunia (Dio Cass. Lib. 60, Cap. 17. Fl. Ioseph. B. I. Lib. 2, Cap. 14). Suspicabatur Tribunus, Paulum civem Romanum se simulasse, quum illi esse videretur homo vilioris conditionis quam ut ius Romanae civitatis pecunia sibi redimere potuisset. Hinc mens Tribuni erat dicere : *Ego quidem magna pecuniae summa ius illud acquisivi, tu vero quomodo illud adeptus es?* — Artemid. I : 16 : Τα χρηματα κεφαλαια λεγεται. — Timebat sibi Tribunus, quia contra ius Romanum *a tormentis incoeperat.* Vide supra ad vs. 24. — Articulus το afficit integram dictionem hanc : τι κατηγορειται παρα των Ιουδαιων, ut Cap. IV : 21; et est haec dictio Epexegesis antecedentis : το ασφαλες. — Εις hoc loco proprie valet *inter;* vide Gr. pag. 423. A. De forma vocis καταγαγων vide ad Cap. V : 27.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

ARGUMENTUM. Constitutus coram Synedrio Paulus, intrepidis in iudices coniectis oculis, innocentem se esse omnique culpa vacare libere profitetur. Sed hanc libertatem non ferens Ananias summus sacerdos, adstantibus praecipit ut percutiant os dicentis. Quam iniquitatem Paulus acri responso reprehendit, vs. 1—5. Cumque ex hoc rei exordio satis intelligeret, se ad sui defensionem nihil heic acturum, nec aliam quam iniquam sententiam a talibus iudicibus exspectandam esse, ad dissolvendum consessum, bona quadam arte usus, efficit ut inter ipsos suos iudices oriatur dissensio talis, ut mox illorum pars praecipua illi faveret. Tribunus vero qui ibi aderat, quum timeret ne Paulus in illo tumultu ab adversariis suis discerperetur, eum e Synedrio reduci iubet in carcerem, ubi ille nocturna visione divinitus recreatur. vs. 6—11. Postridie Iudaei plus quam quadraginta, de Paulo interficiendo coniurati, propositum suum communicant assessoribus Synedrii, Pauli adversariis. Curandum his erat, ut Paulus denuo ad Synedrium deduceretur, qua opportunitate uterentur illi ad eum interimendum, vs. 12—15. Sed illae insidiae innotescunt Pauli sororis filio, et per hunc Paulo atque ipsi quoque Tribuno. Quare is insequenti nocte Paulum, militum satellitio munitum, Caesaream ad Felicem provinciae Praesidem mittit una cum litteris praecipua eius causae capita continentibus. Caesareae Paulus a Felice in praetorio Herodis custodire iubetur, audiendus quando accusatores eius illuc advenissent; nam hos Tribunus ad Felicem praesidem amandaverat, vs. 16—35.

1. *Intendens autem in concilium Paulus*, etc.). Tribunus, ut vidimus (Cap. XXII : 30), Paulum coram Synedrio statuerat. Ille ergo, quum facta sibi esset copia dicendi, oculis intrepidis *in Synedrii assessores intentis* (ατενισας τω συνεδριω), sic dicere coepit: Viri fratres! ego *optima* gaudens *conscientia* (παση συνειδησει αγαθη. Dativ. *societatis*) conversatus sum (πεπολιτευμαι) *coram Deo* (τω Θεω) ad hunc usque diem.

2—3. *Princeps autem sacerdotum Ananias*, etc.). Plura dicere Paulus parabat; Ananias *autem* (δε) *summus sacerdos* (ὁ αρχιερευς), offensus liberiori illo exordio, nec ferens tantam hominis constantiam, praecepit apparitoribus *sibi adstantibus* (τοις παρεστωσιν αυτω), ut percuterent os dicentis. Ad quam iniquitatem (τοτε) indignatus Paulus dixit ad eum: futurum est ut te percutiat Deus, o paries dealbate! Et tu sedes hic *tamquam is qui iudicat me*

(κρινων) secundum legem, et ipse *contra legem agens* (παρανομῶν) iubes me percuti! Videlicet contra legem agebat iudex, qui ante cognitam causam poenam aliquam infligeret. Cf. Ioan. VII : 51. — Erat ille Ananias is, quem Quadratus, Syriae Praeses, vinctum miserat Romam, ut Caesari Claudio factorum rationem redderet.

De dictione Elliptica ατενιζειν vide ad Cap. I : 10. — Τῳ συνεδριῳ est Dativus *directionis*. — Πασῃ hic, ut supra, de eo, quod est in aliquo genere summum, praestantissimum. Πεπολιτευμαι Perfectum formae Passivae significatione Media, ut supra Cap. XIII : 2. — De notione vocis πολιτευεσθαι diximus ad Cap. I : 27 epistolae ad Philippenses. Dativus ille τῳ Θεῳ nec Dativus *Normae*, nec *Commodi* esse mihi videtur, sed quasi *Directionis*, quo sensu et Latinus Interpres et Syrus quoque eumdem sumserunt. Intelligitur autem hic vita acta a Paulo ex quo, relicta Synagoga, factus fuerat discipulus Christi; nam hanc vitae suae partem adversarii eius culpabant. — *Paries dealbate*, demta Metaphora, hoc loco valet : *o hypocrita!* Cf. Matth. XXIII : 27. Cogita parietem, non structum ex lapidibus, sed ex sordido luto confectum, extrinsecus autem nitida calce obductum. Eadem metaphora usus Seneca dixit (de Provid. Cap. VI) : *Isti, quos pro felicibus aspicitis, si non qua occurrunt sed qua latent videritis, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem parietum suorum extrinsecus culti.*

4—5. *Et qui adstabant*, etc.). *Ille autem qui* Paulo *adstabant* (οἱ δε παρεστωτες) dixerunt ad eum : Num summo sacerdoti Dei maledicis! Quibus Paulus : Nesciebam, fratres, esse summum sacerdotem (ὅτι εστιν αρχιερευς, *dat er een Hoogepriester was*); quod si scivissem, utique non maledixissem illi; *nam* (γαρ) scriptum est (Exod. XXII : 27) : *Principi populi tui non maledices.*

Verba Pauli : Τυπτειν σε μελλει ὁ Θεος, si formam orationis spectes, *praedictionem* aliquam secuturae poenae, non vero *male-*

dictionem continere videntur. Putaverim tamen, dicentis fuisse mentem, iniquo iudici maledicere sive male precari; ratio est, quia non adstantes tantum (vs. 4) illa verba pro maledicto quodam habuere, verum etiam ipsemet Paulus (vs. 5) verbis suis hunc sensum subesse affirmavit. Ceterum, vide quae supra (ad Cap. VIII : 20) notavimus de Petro Apostolo male precante Simoni Mago.

In exprimendis sententiis qualis est haec : ουκ ηδειν, ὁτι εστιν αρχιερευς, Latini quidem in altero dictionis membro Imperfecto utuntur, Graeci vero Praesenti. Vide Hermannum ad Viger. Cap. V, Sect. III, § XI. Et sunt quoque in libris sacris Novi Testamenti exempla istius usus passim obvia. Cf. Marc. V : 14. Luc. XIX : 3. Ioan. : 13; VI : 64. Act. Ap. Cap. XII : 3; XIX : 34; XXVIII : 1.

Verba haec : ουκ ηδειν, ὁτι εστιν αρχιερευς, ita reddere solent interpretes ut significetur, Paulum ignorasse, summum sacerdotem esse eum, in quem dixerat : *percutiet te Deus*. Et multum laborant in explicando, qui fieri potuerit, ut Paulus hoc ignoraverit; nec quemquam vidi, qui nodum, mea quidem sententia, recte solverit. Ego vero non putaverim, Lucae verba eum habere sensum, quem interpretes illis subiiciunt; imo, si hoc dicere voluisset Lucas, quod ex eius verbis intelligunt, scripsisset, opinor, non ὁτι εστιν αρχιερευς, sed ὁτι οὗτος εστιν ὁ αρχιερευς, vel ὁτι εστιν ὁ αρχιερευς. Nimirum animadverti, tam Lucam quam ceteros auctores sacros eam constanter in scribendo Articulo legem servare, ut *sicubi verbo ειναι pro Praedicato postponitur appellativum rei aut personae determinatae nomen a quo nullus Genitivus pendeat*, ibi Praedicato Articulum apponant; atqui absque Articulo hic scribitur : ὁτι εστιν αρχιερευς. Quae adeo verba Gallice reddiderim : je ne savais pas *qu'il y eût un souverain Pontife;* atque hoc, opinor, Paulus dicere voluerit, videlicet existimans, supremi Pontificatùs sedem eo tempore vacare; quod in turbulen-

tissimo illo rerum Iudaicarum statu identidem acciderit. Et tunc quidem temporis rem ita habere Paulus putare facile potuerit, quòd sciret, postremum Pontificem a Quadrato Syriae praeside vinctum Romam fuisse missum ad tribunal Imperatoris (Fl. Ioseph. Antiqq. Libb. XX, Cap. VI : 2), nec inaudivisset illum, Agrippa iuniore pro eo intercedente, absolutum, pristinae dignitati fuisse restitutum, aut alium quempiam in eius locum fuisse suffectum.

6—8. *Sciens autem Paulus*, etc.). Quum Pauli interesset suam Tribuno praesenti probare innocentiam, satisque intelligeret rem sibi esse cum iniquis iudicibus, bona quadam arte usus est[1], ut incolumitati suae consuleret. Noverat scilicet, assessores Synedrii minorem partem constare Sadducaeis, quae secta resurrectionem mortuorum negabat, maiorem vero Pharisaeis, qui hanc resurrectionem affirmabant. Ergo ut iniquos suos iudices dissociaret, atque faventes sibi nancisceretur Pharisaeos, *elata voce* in Synedrio *exclamavit* (εκραξε) : *Viri fratres! Pharisaeus ego sum, et Pharisaeorum filius* (ortus a patre et proavis Pharisaeis); *ob* (περι) *praedicatam a me spem futurae resurrectionis mortuorum, ego in ius sum vocatus* (κρινομαι)! Haec ubi dixisset, contentio orta est Pharisaeos inter et Sadducaeos, *scissaque est* (εσχισθη) Synedrii assessorum *multitudo* (το πληθος). — Addit Lucas huius schismatis causam, quam iam innuimus : *Sadducaei enim* (μεν γαρ) *dicunt, non esse resurrectionem, neque angelum, neque omnino creatum aliquem spiritum; Pharisaei contra* (δε) *utrumque profitentur.* — Sadducaei, praeter Deum, substantiam aliquam spiritualem admittebant nullam. Animam vero esse dicebant corporis quamdam temperaturam, eamque adeo unà cum corpore interire docebant. — Pharisaeismus *per se* laudabile erat institutum, quum aliud non esset quam vitae perfectioris professio. Quare Paulus sicut

[1]) Vide ad Cap. XXIV : 21.

legem observare adhuc poterat, eo modo poterat et Pharisaeismum profiteri. Cf. Serarii *Trihaeresii* Lib. II, Cap. V.

Περι proprie est *de*, sed hic dicitur de *causa*, valetque *ob*, *propter;* vide supra ad Cap. XIX : 23. — Dicitur περι ελπιδος και αναστασεως per Hendiadyn pro περι ελπιδος αναστασεως. Articulus abesse poterat; vide Gr. pag. 113. — Το πληθος hic dicitur de *membris Synedrii*, ut Luc. XXIII : 1, coll. XXII : 66. Verba *neque angelus*, negant *speciem*, et quae adduntur, *neque spiritus*, negant spirituum creatorum *genus*, quod complectitur Angelos et animas a corpore sciunctas.— Quae Sadducaei hic dicuntur negare, ad *duo* doctrinae capita revocantur; *utrumque illud* (τα αμφοτερα) Pharisaei profitebantur.

9. *Factus est autem clamor magnus*, etc.). Contentio illa inter utriusque sectae assessores mox evasit clamorosa. Et nonnulli ex Pharisaeis e loco suo *assurrexerunt* (αναστντες), atque in Pauli favorem *depugnabant* (διεμαχοντο), dicentes : *Nihil mali comperimus in hoc homine! Si vero* (ει δε) *spiritus aliquis* (si qua anima separata) *ad eum locutus est, aut Angelus?...* Imperfecta est haec sententia, abrupto, ut videtur, a vociferantibus Sadducaeis dicentis sermone; nam mordacissimus erat, uti patet. Noverint Synedrii assessores, Paulum, inter alia, dixisse in hesterna sua oratione (Cap. XXII : 6), obtigisse sibi visionem; atque huc respici videtur in mordaci hoc sermone. Interpres noster quòd verba ει δε reddit *quid si*, non ideo putandus est Graeca aliter legisse, sed liberius Latine illa reddiderit.

10. *Et cum magna dissensio facta esset*, etc.). *Cum* autem *incaluisset dissensio* (πολλης δε γενομενης στασεως), et Paulum hinc atque illinc distraherent, Sadducaei tamquam reum, Pharisaei tamquam clientem, *veritus* (ευλαβηθεις) Tribunus, ne Paulus in illo tumultu ab ipsis discerperetur, iussit *satellitium* (το στρατευμα) in

conclave Synedrii descendere, et *rapere* (ἁρπασαι) eum e medio eorum, atque in castra reducere. —Ευλαβεομαι[1], verbum *Deponens Passivum*, in his libris non legitur nisi hoc loco et Ep. ad Hebr. Cap. XI : 7. — *Timebat* Tribunus; nempe noverat, Paulum esse civem Romanum. Vide supra ad Cap. XXII : 26, 27 et XVI : 37-40.

11. *Sequenti autem nocte*, etc.). Proxima autem (τῃ επιουσῃ. vide ad Cap. XVI : 11) nocte Dominus Iesus Paulo apparuit, illique dixit : *Forti animo esto* (θαρσει), Paule! nam sicut *res meas* (τα περι εμου) *testimonio tuo confirmasti* (διεμαρτυρω. Depon. Med. Aor.) Hiërosolymae, ita te oportet etiam Romae de iisdem *testimonium exhibere* (μαρτυρησαι). — Apostolorum praedicatio erat eorum quae viderant et audierant *testificatio*. Cf. Luc. XXIV : 48. Act. I : 8. 22; V : 32; X : 39, 42; XXII : 18; 2 Thess. I : 10. Et laudatur hic Pauli praeterita in *testificando* constantia, ut excitetur ad futuram.

Εφισταναι de *apparitione* dictum passim occurrit. Vide Luc. II : 9; XXIV : 4; Act. XII : 7. De eo vero, utrum nempe dormienti an vigilanti haec apparitio contigerit, idem putaverim dicendum quod dixi de visione supra, Cap. XVI : 9 relata. De Praepositione εις iuncta Verbo *quietis*, videsis quae notavimus ad Cap. XXI : 3.

12—13. *Facta autem die*, etc.). Sensus est : Quum autem illuxisset dies, conspirarunt inter se quidam Iudaei, ac divinae maledictioni devoverunt sese, si prius sumpsissent cibum aut potum quam Paulum interfecissent. Erant autem viri plures quam quadraginta, qui hanc coniurationem fecerant.

Συστροφη (a συστρεφω *contorqueo*) *coïtio, concursus*, etiam dici-

---

[1]) Var. lect. Pro ευλαβηθεις est eiusdem notionis usitatior vox φοβηθεις in Codd. ABCE.

tur de *conspiratione;* Suidas : Συστροφη· ἡ ὁμονοια, και ἡ επι κακῳ συμφωνια. Atque hoc sensu ea vox hic sumenda est, quum mox (vs. 13) illa συστροφη vocetur συνωμοσια. — Αναθηματα (ab ανατιθεσθαι) a Graecis dicebantur *donaria,* ut puta, clypei, phialae, alia, Diis consecrata, atque e templi parietibus suspensa, aut ibidem in edito aliquo et conspicuo loco collocata; atque hoc sensu vox αναθημα in libris sacris Novi Testamenti non occurrit nisi tantum Lucae Cap. XXI : 5, ubi adhibita est de *donariis templi Hierosolymitani.* Vox αναθημα sub forma Hellenistica sonabat αναθεμα. Haec vox αναθεμα in his libris paulò frequentius occurrit, verùm significatione longe diversa; nam respondet voci Hebraicæ חֵרֶם, ubi significat *devotionem personae* vel *rei ad exitium.* A voce αναθεμα verbum Denominativum αναθεματιζειν ἑαυτον notat hoc loco *devovere se exitio;* puta dixisse istos : *Deus nos perdat, si quid comedamus,* etc. Λεγειν hic dicitur de *spondendo,* quare et construitur cum Infinitivis Aoristi. Vide Gr. pag. 362. γ. — De locutione πλειους τεσσαρακοντα vide supra ad Cap. IV : 22. — De αποκτεινωσι, in *Coniunctivo,* videsis Gr. pag. 328.

14. *Qui accesserunt ad principes sacerdotum et seniores,* etc.). Coniurati illi adierunt *sacerdotes principes et seniores,* Synedrii assessores (vide ad Cap. IV : 5), non omnes, sed eos quos noverant Paulo infensos, puta assessores Sadducaeos. His coniurationis suae arcanum patefecerunt, unà ab his petentes, curarent ut Paulus denuo ex arce Antonia ad Synedrium deduceretur, quo ipsi nanciscerentur opportunitatem illum occidendi : *Devotione,* inquiebant, *devovimus* (αναθεματι ανεθεματισαμεν), i. e. gravissima exsecratione devovimus *nos ipsos* (ἑαυτους), *ut nihil gustaremus* (γευσασθαι, Infinitivus *finis*) *donec Paulum occidamus. Nunc igitur,* ut propositum nostrum exsequi possimus, *vos unà cum reliquis Synedrii assessoribus* (ὑμεις συν τῳ Συνεδριῳ) *significate Tribuno, ut Paulum* (ex arce Antonia) *deducat ad vos* (ad conclave Synedrii) *tamquam*

causam eius examinaturos accuratius quam heri per tumultum fieri licuerit. *Nos vero parati sumus ad interficiendum eum, priusquam ad locum Synedrii appropinquet;* ut ne putetur occisus ab aliquo ex vobis.

De Dativo (αναθεματι) intendente vim coniuncti sibi verbi (ανεθεματισαμεν) vide quae notavimus ad Cap. IV : 17. — Pronomen Reflexivum ἑαυτου (contract. αὑτου) cct., quod proprie ad tertiam Personam pertinet, refertur tamen etiam ad *primam* Pluralis, ut et ad *secundam* utriusque Numeri. Vide Gr. pag. 146. 5. — Ακριβεστερον Neutrum Comparativi adhibitum est pro Adverbio ακριβεστερως, sed alterum Comparationis membrum reticetur, ut supra Cap. XVII : 22.

16—21. *Quod cum audisset,* etc.). Hoc ergo modo coniurati isti Paulo necem machinabantur; verum totum illud multorum hominum molimen unius pueri operà funditus destruxit Deus, quo scilicet providente factum est, ut nefarium istorum consilium innotesceret Pauli sororis filio, ac per eum Paulo, et mox ipsi Tribuno. Rem sic narrat Lucas : Sed *has insidias* (το ενεδρον) quum *inaudivisset* (ακουσας) Pauli sororis filius, *advenit* (παραγενομενος Aor. 2) *et in castra ingressus* (και εισελθων εις την παρεμβολην), rem Paulo renunciavit. Qui, ea re audita, *cum ad se vocasset* (προσκαλεσαμενος) unum quempiam ex centurionibus, dixit illi : Adolescentem hunc *abducito* (απαγαγε Imperat. Aor. cum *reduplicatione.* vide ad Cap. V : 27) ad Tribunum; habet enim aliquid quod illi renunciet. Ille ergo centurio, sicut erat rogatus, assumptum adolescentem perduxit ad Tribunum, et dixit illi : Captivus ille Paulus me ad se vocavit[1] rogavitque ut ad te adducerem adolescentem hunc, *quippe qui haberet* (εχοντα) quod tibi diceret. Tribunus

---

[1]) Var. lect. Verba προσκαλεσαμενος με a Vulgata absunt; leguntur autem in Codd. Graecis omnibus, Velesiano tantum aliquo codice excepto.

autem, apprehensa manu adolescentis, secessit cum eo seorsim (κατ' ιδιαν), cumque percontatus est, dicens : Quid est, quod mihi renunciandum habes? Cui ille : Judaei *inter se constituerunt* (συνεθεντο) *ut te rogarent* (του ερωτησαι σε), Paulum ut *cras* (αυριον Adv.) in Synedrium *deduceres* (καταγαγης ex arce Antonia), *quasi* (ὡς) aliquid *certius* (τι ακριβεστερον) *inquisituri de illo* (μελλοντες πυνθανεσθαι περι αυτου). Tu igitur (ουν, quum hoc scias) ne illis obsequaris; insidiantur enim eius vitae viri ex eis plusquam quadraginta, *qui quidem* (οἵτινες) devoverunt se, ut nec manducarent nec biberent donec eum interfecerint (ανελωσιν); et iam nunc ad hoc facinus parati sunt, exspectantes *faciendam a te promissionem* (την απο σου επαγγελιαν) de Paulo ab arce Antonia in conclave Synedrii deducendo.

Ακουειν (vs. 16) de *resciscendo, cognoscendo,* quo sensu legitur quoque in Ep. ad Ephes. Cap. I : 15. — Την παρεμβολην. vide supra ad Cap. XXI : 34. — Ἑνα (vs. 17) pro τινα, ut Luc. V : 17; XX : 1. — De verbo αγειν, quod in hac pericopa pluries occurrit cum Reduplicatione, vide ad Cap. V : 27. — Κατ' ιδιαν, *privatim, seorsim;* mente supplendum videtur οικιαν. — Του ερωτησαι est Infinitivus *finis*. Vide Gr. pag. 358. β. — Τι ακριβεστερον, Comparativus, tacito altero comparationis membro, ut supra Cap. XVII : 22. Μη πεισθης (Passiv. Aor. Coni.) αυτοις, h. e. ὑπ' αυτων. q. d. *ne persuadearis ab illis.* — Πλειους τεσσαρακοντα, ut supra Cap. IV : 22. — Infinitivi φαγειν et πιειν, ut vs. 12. — Απο σου non est Periphrasis Genitivi, sed significatur *promissum* (ἡ επαγγελια) quod *ab illo* profecturum sperabant. Ceterum confer quae notata sunt ad vs. 12, 13 et 14 antecedentes.

22—26. *Tribinus igitur,* etc.). Pergit Lucas : Tribunus *igitur* (ουν *pergentis* in narrando), his auditis, adolescentem a se dimisit, *postquam* ei *praecepisset* (παραγγειλας), ne cuiquam diceret se haec illi nota fecisse. Cumque *ad se vocasset* (προσκαλεσαμενος) Tribu-

nus duos quosdam ex centurionibus, dixit illis : Curate ut inde ab hora noctis tertia (*nona pomeridiana.* vide ad Cap. III : 1) in promptu sint qui Caesaream proficiscantur *milites* (στρατιωται) ducenti, cumque his equites septuaginta et ducenti *lancearii* (δεξιολαβοι). Idem quoque iussit iumenta praesto sistere, ut his impositum Paulum salvum perducerent ad Felicem praesidem. (Nocturno tempore et magno satellitio stipatum Paulum abduci iussit Tribunus, quòd timeret ne si forte coniuratis innotuisset quod faceret, hi in itinere Paulum raperent atque occiderent, ipse autem criminaretur tamquam is qui ob praestitam hanc patrandae caedis opportunitatem pecuniam accepisset[1]). Addidit Tribunus epistolam ad Felicem huius exempli : *Claudius Lysias*, etc.

In verbis ὁτι ταυτα ενεφανισας προς με, oratio ex *indirecta* fit *directa.* — Τινας abundat in δυο τινας, ut Luc. VII : 19. Vide quae notavimus supra ad Cap. XIX : 14. — Στρατιωται quum hic distinguantur ab equitibus et δεξιολαβοις, intelligendi sunt *milites gravis armaturae*, qui dicuntur. Sed δεξιολαβοι quinam sint, non satis certo constat. Pro δεξιολαβους legitur in Codice A vocabulum δεξιοβολους, quod si rectum sit vocis δεξιολαβους interpretamentum, δεξιολαβοι sunt *iaculatores*, quo sensu etiam Syrus interpres (ܘܫܕܝ ܒܝܡܝܢܐ, i. e. *et jaculatores dextra* manu) vocem δεξιολαβους intellexit. Noster interpres existimavit δεξιολαβους esse eosdem ac δορυφόρους (milites hastatos), quum illud vocabulum reddiderit *lancearios.* — In verbis (vs. 24) κτηνη τε παραστησαι, transitio fit ab oratione *directa* ad *indirectam ;* et pendet Infinitivus

[1]) Var. lect: Versiculus ille, qui in Vulgata nostra vigesimus quintus est, integer abest a Codd. Graecis, uno tantum Minusculo excepto, in quo sic legitur : Εφοβηθη γαρ μηποτε ἁρπασαντες αυτον οἱ Ιουδαιοι αποκτενωσι, και αυτος μεταξυ εγκλημα εχῃ ὡς αργυριον ειληφως h. e. *Timebat enim, ne forte raperent eum Iudaei atque occiderent, et ipse postea* (μεταξυ. vide ad Cap. XIII : 42) *accusaretur tamquam is, qui pecuniam* (ad hoc) *accepisset.* Notant Lovanienses Bibliorum editores, se vidisse Codices MSS. Vulgatae novem, a quibus integer hic versiculus aberat.

παραστησαι a verbo Finito ειπε, *dixit*, h. e. *jussit;* quod ex vs. 23 assumendum est. — In διασωσωσι προς observanda est dictio *praegnans*, a profanis etiam scriptoribus adhibita; nam eodem modo locuti sunt Diogenes Laertius, Xenophon, alii, ut, allatis exemplis, notat Raphelius (Annott. Philolog. in N. T. ad h. l.). — Γραψας pendet ab ειπε (vs. 24) : *jussit unàque scripsit epistolam ad Felicem.* Aoristus ergo hic adhibetur de *contemporaneo.* — Επιστολην περιεχουσαν τον τυπον τουτον, *epistolam continentem hoc*, i. e. huius exempli; quo sensu Cicero dixit (Lib. X ad Fam. Ep. 5, apud Raphel. ad h. l.) : *Binas a te accepi litteras eodem exemplo.* Τυπος hic valet Gallicum *copie.* Hoc quoque sensu dicitur 3 Maccab. Cap. III : 30. Και ὁ μεν της επιστολης τυπος οὑτως εγεγραπτο.

26—30. *Claudius Lysias*, etc.). Sequitur hic Tribuni *elogium;* nam sic, ut notat Kuinoel (ad h. l.), vocari solebat epistola, quam magistratus minores dare solebant ad maiores sive Praesides provinciarum, cum reos sibi oblatos iis mitterent; atque hinc frequenter rei dicuntur *missi sub elogio* — Elogium autem Pauli erat tale : *Claudius Lysias Felici, optimo* (τῳ κρατιστῳ) *Praesidi, salutem.* — *Virum hunc a Iudaeis comprehensum et prope ab iisdem interfectum* (και μελλοντα αναιρεισθαι ὑπ' αυτων. vide Cap. XXI : 31, 32) *ego cum militibus meis* (συν τῳ στρατευματι) *superveniens iis eripui, quia cognoveram* (μαθων) *eum esse civem Romanum.* (Mentitur Tribunus, ut patet ex Cap. XXI : 33—34; XXII : 24—30). *Cupiens autem scire causam propter quam accusarent illum* (δι' ἡν ενεκαλουν αυτῳ), *deduxi* (κατηγαγον) *eum in ipsorum Synedrium.* (Reticet Tribunus, se, contra ius Romanum, cognitionem causae eius a tormentis incoepisse. vide ad Cap. XXII : 24). *Quem comperi accusari propter* (περι) *quaestiones ad legem eorum pertinentes, nullum vero habere crimen, quod vel morte dignum esset, vel vinculis. Quum vero indicatum mihi esset, insidias huic viro structum iri a Iudaeis, confestim* (ἐξαυτης) *cum*

misi ad te, et accusatoribus quoque (και) *ejus praecepi, ut de iis, quae haberent contra eum, dicerent apud te. Vale.*

Χαιρειν, scil. λεγει vel ευχεται. Haec formula epistolis praefigi maxime solebat. Suidas : Αρχαιον εθος το επιστολαις προστιθεναι το χαιρειν. — Κρατιστος proprie *robustissimus*, titulus erat honorificus maioribus magistratibus tribui solitus. Respondet illi Latinorum *optimus*. — Μελλων αναιρεσθαι ὑπ' αυτων valet : *quum jam prope esset ut ab eis interficeretur*. Praepositio] περι hoc loco dicitur de *causa ob quam*, ut Luc. Cap. III : 19. — In verbis his : μηνυθεισης δε μοι επιβουλης εις τον ανδρα μελλειν εσεσθαι, Tribunus duplicem Syntaxin permiscuit; nam aut scribendum erat : μηνυθεισης δε μοι επιβουλης εις τον ανδρα μελλουσης εσεσθαι, aut ita : μηνυθεντος δε μοι επιβουλην εις τον ανδρα μελλειν εσεσθαι. — De Syntaxi verbi μελλειν, cum *vario* Infinitivo, vide Gr. pag. 365. *Adnot.* 3. — Ερρωσο (Perfectum Passiv. Imperativi a Ῥωννυμι) usitata erat apud Graecos epistolarum clausula. — De usu Imperativi in forma Temporis Perfecti videsis Gr. pag. 350. *Adnot.*

31—32. *Milites ergo*, etc.). Milites ergo illi (vs. 23) *secundum id quod praeceptum illis fuerat* (κατα το διατεταγμενον αυτοις) a Tribuno, *assumptum* in suam tutelam *Paulum* (αναλαβοντες τον Παυλον) Antipatridem *per noctem* (δια της νυκτος) duxerunt. Postero vero die *siverunt* (εασαντες) septuaginta equites illinc Caesaream proficisci cum Paulo, ipsi autem unà cum lancеariis redierunt ad castra sua Hierosolymitana (εις την παρεμβολην). — Videlicet crediderint captivi sui securitati equestre illud praesidium deinceps sufficere, quum iam esset ab Hierosolymis remotior.

Quod fit *nocturno tempore*, id dici solet fieri δια νυκτος, vel νυκτος. Quum ergo hic scribatur cum Articulo, δια της νυκτος, putaverim Lucam sibi voluisse, milites circa horam nonam vespertinam Hierosolymà cum Paulo profectos, pervenisse Antipatridem antequam illucesceret, atque adeo totum hoc iter confecisse *per*

noctem (pendant la nuit) illius diei. — Antipatris, Palestinae urbs, Caesaream inter et Hierosolymam sita, a metropoli octo milliariis distabat, a Caesarea septem. — Ὑποστρεφειν, *intransitive*; ut supra Cap. XIII. 34.

33—35. *Qui cum venissent Caesaream.* etc.). *Qui quidem* (οἵτινες) equites Caesaream ingressi (εισελθοντες), reddita Praesidi epistola, etiam Paulum ei stiterunt. Cum autem legisset Praeses epistolam, percontatus est Paulum, ex quanam esset provincia. *Cognito autem* (πυθομενος) quod a Cilicia esset, dixit : *audiam te* (διακουσομαι σου) quando *etiam* (και) accusatores tui advenerint. Iussitque eum in praetorio Herodis custodiri. Puta in loco captivis destinato.

Ποιος hic valet τις, ut Matth. Cap. XXII : 36 : Ποια εντολη μεγαλη εν τῳ νομῳ. Paulum civem Romanum esse, ex Lysiae epistola Praeses intellexerat; itaque sciscitatur ab eo, ex quanam Romani imperii provincia esset. — Επαρχια proprie est dignitas του ὑπαρχου, q. d. *praefectura;* sed etiam sic vocabatur regio, cui ὑπαρχος aliquis esset praefectus. — Compositum διακουειν hic valet Nostratium *verhooren*, sensu forensi. Cf. Win. *De verborum cum Praepositionibus compositorum in N. T. usu.* Partic. V. p. 16. — Πραιτωριον, vox origine latina (praetorium, h. e praeitorium), si sermo sit de Romana aliqua provincia, intelligitur palatium, in quo Praesides provinciarum (*proconsules, propraetores.* vide supra pag. 329) habitabant et ius dicebant. Caesareae autem huic usui inserviebat palatium, quod olim occupaverat Herodes Magnus; quare et dictum fuit praetorium *Herodis.* Cf. Sueton. Caligul. Cap. 37.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

ARGUMENTUM. Die quinto postquam Paulus fuisset abductus Caesaream, eò quoque proficiscuntur Ananias, summus sacerdos, unà cum assessoribus aliquot Synedrii. Qui ad tribunal Praesidis admissi, Paulum, illuc ab eodem citatum, per causidicum suum Tertullum accusant seditionis et profanati templi, vs. 1-9. Calumniosam hanc accusationem Paulus refellit, suosque adversarios redigit ad silentium, vs. 10—21. Praeses autem, utraque parte audita, ampliandum censet, iubetque Paulum deinceps liberiore servari custodia, vs. 22—23. Felix successorem Porcium Festum habet post biennium, quo tempore Paulum frequenter ad familiare colloquium arcessiverat, spe emungendae ab eo pecuniae pro liberatione sui. De re religiosa coram ipso et uxore Drusilla aliquando disserentem incassum audiverat. Felix successori suo Festo Paulum relinquit vinctum in gratiam Iudaeorum, vs. 24—27.

1. *Post quinque autem dies*, etc.). Dies agebatur quintus, ex quo Paulus Hierosolyma fuerat abductus Caesaream, quum illuc profectus quoque est, Paulum ibi accusandi causa (cf. Cap. XXIII : 30. 35), Ananias summus sacerdos unà *cum aliquot* (μετα τινων) senioribus, Synedrii assessoribus (vide ad Cap. IV : 5.), et quodam Tertullo. Erat is *orator forensis* (ρητωρ) sive *causidicus*, qui causam eorum apud Felicem praesidem ageret. Ergo ubi ventum erat Caesaream, ενεφανισαν τῳ ἡγεμονι κατα του Παυλου, h e. *indicium fecerunt Praesidi adversus Paulum*, Paulum apud Praesidem accusarunt. — Haec notio, inter alias, verbo εμφανιζειν tribuitur a Wahlio (in *Clavi* ad h. v.), qui ibi iubet conferre Bornemannum (in Rosenmulleri Repertorio II, p. 271). Sentit cum eo Grotius (ad h. l.) : « Εμφανιζειν, inquit, est *indicium facere*... In Glossario, εμφανιζω *allego, intimo*. Quare hic sensum esse arbitror : *accusationem attulerunt, reum egerunt Paulum, inscripserunt in crimen*, more Romano. »

2—3. *Et citato Paulo, coepit accusare Tertullus*, etc.). *Quum autem Paulus*, qui sub militari custodia servabatur, iubente Praeside, ad tribunal *fuisset vocatus* (κληθεντος δε αυτου), eo praesente, Tertullus causidicus accusationem sic orsus est : *Quod*

constanter per te fruimur multa pace multisque correctionibus (διορθωματων), *quae huic nationi* (rebus publicis huius nationis) *per tuam providentiam contingunt* (γινομενων τῳ εθνει τουτῳ[1]), *id semper et ubique agnoscimus* (αποδεχομεθα), *praestantissime Felix, et gratias tibi de eo habemus quas possumus maximas* (μετα πασης ευχαριστιας). — Praesidis benevolentiam captat Tertullus turpi adulatione. Cf. Tacit. Hist. Lib. V. Cap. 9, et Ann. Lib. XII. Cap. 54; item Fl. Joseph. Antiqq. Lib. XX. Cap. VIII : 9. Ad structuram verborum huius loci quod attinet, referenda huc est regula, quam tradit Matthiä (Ausfürliche Griechische Grammatik, § 555) : « *Die verba, die eine Gemüthsbewegung anzeigen, wie* sich freuen, unwillig, betrübt seyn, sich schämen, bereuen, etc., *nehmen den Gegenstand oder die wirkende Ursache derselben, die im Lateinischen durch* quod, *oder den Accusativ* cum Infinitivo *gegeben wird, im Particip zu sich.* » Vide etiam Gr. pag. 369. 1. Syntaxis praesenti similis occurrit etiam supra Cap. XVI. 34, atque iterum infra Cap. XXVI : 2. Τυγχανειν τινος est *nancisci, assequi, potiri, frui.* De varia notione et Syntaxi verbi τυγχανειν videsis Viger. Cap. V, Sect. XI. § 15. sqq. Genitivus διορθωματων γινομενων pariter pendet a Participio τυγχανοντες. Ante διορθωματων γινομενων ex antegresso πολλης mente supplenda est απο του κοινου vox πολλων. — Παντη τε και πανταχου dicit Tertullus, quasi dicat, notante Wetstenio (ad h. l.) : » Quod nunc facimus praesenti tibi, id etiam de absente praedicamus. Non in os solum laudamus. » — Πασης, ut Philipp. Cap. I : 20.

4. *Ne diutius autem te protraham,* etc.). Pergit Tertullus : Verum ne prolixiore prooemio *diutius* (επι πλειον), quam res postulat, te (maximis negotiis occupatissimum) detineam sive remorer

---

[1]) Var. lect. Voces τῳ εθνει a Vulgata absunt: ceterum ubivis leguntur, etiam in antiqua Itala.

(εγκοπτω), rogo te, ut *ea qua soles humanitate* (τη ση επιεικια, Dativus *normae*) breviter nos audias.

De locutione επι πλειον vide quae notavimus supra ad Cap. XIX. 8. Εγκοπτειν est *incidere*, et metaphorice *impedire, detinere, remorari*. Phavorinus: ενεκοψεν· ενεποδισεν. Gloss. Vet. apud Labbaeum: εγκοπτω, *incido, impedio*. — Συντομως, *concise*, *breviter*. Hesychius: Συντομως· δια βραχεων.

5—9. *Invenimus hunc hominem, etc.*). Ad ipsam iam accusationem veniens Tertullus ita pergit: *Scilicet* (γαρ) *quum comperissemus* (εὑροντες) *virum hunc esse pestem* (hominem esse pestiferum) *atque apud Iudaeos omnes* (πασι τοις Ιουδαιοις) *per orbem Romanum habitantes* (τοις κατα την οικουμενην) *commovere seditionem*, *esseque antesignanum* (πρωτοστατην[1]) *sectae Nazarenorum*, *talem denique qui etiam attentaverit* (επειρασε) *profanare templum, nos eumdem comprehendimus atque secundum legem nostram voluimus iudicare.* Nobis autem id agentibus *supervenit Lysias Tribunus, eumque magna vi* militum *e manibus nostris eripuit et misit ad te, iussus quoque accusatoribus ejus ad te venire*[2]. *A quo* (Lysia) *poteris ipse, examinando* (ανακρινας), *cognoscere de omnibus his* (περι παντων τουτων), *de quibus nos eum accusamus*. Ananias autem et ceteri qui aderant *Iudaei* (οἱ Ιουδαιοι) rabulae sui dictis *assensi sunt* (συνεθεντο), dicentes rem se habere ita ut Tertullus dixerat.

Participium εὑροντες quum non habeat verbum Finitum a quo pendeat, oratio ibi est anacoluthica; ut talis non esset, versiculo

[1]) Var. lect. Post vocem πρωτοστατην legitur vox *seditionis* in Vulgata, sed absque ullo Graeco teste.

[2]) Var. lect. Verba, quae leguntur inde a (vs. 6) και κατα usque ad (vs. 8) παρ' οὑ, absunt a Codd. ABGH plurimisque Minusculis. Sed ut non deest cur suspiceris ea potuisse a Librariis omitti, ita contrà a contexta oratione postulantur; nam si ea tollas, illud παρ' οὑ (vs. 8) referendum erit ad οὑ (vs. 6) adeòque ad Paulum; quod si hoc, dicendum erit accusatores hic ad probandam accusationem provocasse ad ipsius accusati testimonium; quod si acciderit, ego quidem vehementer mirer.

sexto pro ὃν και εκρατησαμεν scribendum fuisset εκρατησαμεν αυτον. Nos secundum hanc scriptionem Graeca hic Latine reddidimus. Interpres noster Participio εὑροντες notionem tribuit Aoristi Indicativi. Sed nequit, hoc certe loco, Participium sumi pro verbo Finito. Vide Gr. pag. 370. 2. — Dativum πασι τοις Ιουδαιοις putaverim habendum esse pro Dativo *locali*, ut vertendum sit *apud*, vel *inter* omnes Judaeos. De Dativo *locali* videsis Kühnerum § 568. — Videtur mihi ambigi posse, utrum locutio ἡ οικουμενη hic et supra (Cap. XVII. 6) sumenda sit de *orbe Romano*, an vero utroque loco per Hyperbolam adhibita sit de *universo terrarum orbe*, ut v. g. in hoc Plutarchi de Alexandro : Εις ὃν ἡ οικουμενη νυν αποβλεπει. — Προτοστατης, *qui primus stat* in re militari, idem est qui λοχαγος aut ἡγεμων. Vocabulum illud hic sumitur metaphorice; servata metaphora reddi potest *signifer*, *antesignanus*, aut *primipilaris*.

Paulum Iudaei illi Asiani (Cap. XXI : 28) accusaverant de templo ab illo profanato; secundum praesentes autem accusatores tantum *attentasset* (επειρασε) illud facere. Κατα τον ἡμετερον νομον (vs. 6.) : scilicet Iudaeis in re religiosa, ut diximus supra (ad Cap. VII : 60), relictum erat ius damnandi capitis; eorum tamen sententia a Praeside sive Procuratore Romano confirmanda erat, et vero etiam exsequenda. Innuunt ergo per rabulam suum accusatores, Iudaeorum ius hac in re laesum fuisse a Lysia, ut qui Paulum ab ipsis iudicandum e manibus eorum violenter extraxisset. Tacent autem isti, quod, nisi Lysias supervenisset, Paulum, indicta causa, tumultuarie occidissent. Mirandum vero quod ad Lysiam ipsum tamquam testem (vs. 8. παρ' οὑ) provocare ausi fuerint. Speraverint, opinor, fore ut per audaciam hanc convictus Praeses de veritate intentatae accusationis, Paulum vindictae ipsorum permitteret. Sed res aliter cecidit. Nempe mentiri eos Praeses ex Lysiae epistola (Cap. XXIII : 27) facile animadverterit. — In ὡν ἡμεις κατηγορουμεν αυτου est *Attractio*; nam dici solet καταγορειν τι τινος.

10—11. *Respondit autem Paulus*, etc.). Ad hanc *autem* (δε) Tertulli accusationem Paulus, postquam Praeses *nutu illi significasset* (νευσαντος αυτῳ) ut pro se diceret, ita respondit : *Quum te multos iam annos huic populo iudicem praeesse* (οντα) *sciam, confidentius* (ευθυμοτερον) *causam meam* (τα περι εμαυτου) *defendo* (απολογουμαι), *siquidem* (ex testibus) *cognoscere potes, exactos mihi esse dies non plures quam duodecim ab ea die qua* (αφ' ἡς) ex hac urbe Caesarea *adscendi Hierosolymam adoraturus* (προσκυνησων), i. e. religionis causa. Vide ad Cap. XX : 16.

Duo erant ob quae Paulus *confidenter* (ευθυμως) aut *confidentius* (ευθυμοτερον) se coram Praeside defenderet : et *prius* quidem, quod Felix iam per multos annos causas Iudaeorum cognosceret, adeoque mores eorum haberet perspectos; *alterum* vero, quod accusaretur de crimine nuperrime patrato, quod propterea an esset nec-ne ab eo admissum, facile posset a iudice inquiri; *prius* praemittitur illi ευθυμοτερον[1] απολογουμαι, *alterum* vero eidem subnectitur. Per *prius* illud Paulus intendebat, ut opinor, accusatorum suorum levare fidem.

De Participio οντα pro Infinitivo ειναι vide supra ad Cap. VII : 12. — Τῳ εθνει τουτῳ (*voor dit volk*) est Dativus *Commodi*. De ευθυμοτερον vide dicta ad Cap. XVII : 22. — Αφ' ἡς scriptum est compendiose pro απο της ἡμερας ἡ. Dies autem illi duodecim (vs II) mihi videntur ita esse computandi, ut eorum *primus* fuerit ille, quo Paulus Iacobum convenit (Cap. XXI : 18); *secundus*, quo vovit Naziraeatum (vs. 26); *septimus* quo comprehensus est a Tribuno (vs. 33); *octavus*, quo stetit coram Synedrio (Cap. XXII : vs. 30); *nonus*, quo profectus est Caesaream (Cap. XXIII : 11. 12. 23); *decimus*, quo Caesaream pervenit (vs. 32); *decimus tertius*, quo stetit una cum Tertullo pro tribunali Praesidis; ita ut, quum ageretur dies ille *decimus tertius*, ageretur et dies *quintus* ex quo Hierosolymà Caesaream fuerat profectus.

[1]) VAR. LECT. Pro ευθυμοτερον est ευθυμως in Codd. ABE plurimisque Minusculis.

12—13. *Et neque in templo.* etc.). Venit nunc Paulus ad obiecta crimina diluenda; idque facit primum quidem generalius (vvs. 12 et 13), deinde vero specialius. Pergit ergo dicere : *Et*, quo tempore Hierosolymae eram, *neque in templo invenerunt me ad quempiam verba facientem* (προς τινα διαλεγομενον) *aut concursum* (επισυστασιν) *populi excitantem, neque in Synagogis* (Hierosolymitanis), *neque* alicubi *per urbem; neque* ullo alio argumento *probare possunt ea de quibus nunc me accusant.* Sensus est : Neque in Templo, neque in Synagogis, neque per urbem, nullibi invenerunt me ad aliquem verba facientem aut concursum populi excitantem. Et sicut nequeunt ea, de quibus nunc me accusant, tamquam testes oculati affirmare, ita nec alio quopiam argumento eadem *probare* (παραςpossunt.

Διαλεγεσθαι ut supra pag. 425. Κατα την πολιν valet Nostratium *door de stad heen.* Επισυστασις (ab επισυσταμαι, concurro) intelligitur *concursus* contra leges Romanas (vide ad Cap. XIX : 40); hoc sensu vocabulum illud apud LXX legitur Num. Cap. XXVI : 9, et apud Fl. Ioseph. contra Appion. I : 20 (apud Wahlium in Clavi ad h. v.). Παραστησαι τι, *praesto sistere aliquid* (daarstellen), et metaphorice, *argumentis aliquid probare*, i. q. αποδειξαι, ut v. g. apud Fl. Ioseph. Antiqq. Lib VIII. Cap. II : 5.

14—16. *Confiteor autem hoc tibi,* etc.). Nexus et sensus : Quae isti mihi crimina obiiciunt, haec a me admissa fuisse nego; *confiteor autem hoc* (ὁμολογῶ δε τουτο) tibi, Praeses, me, *secundum religionem illam* (κατα την ὁδον) *quam* adversarii mei falso infamant *haereseos* nomine (ἡν λεγουσιν αἱρεσιν), *ita* (οὑτω) colere *Deum patrum nostrorum* (τῳ πατρῳῳ Θεῳ[1]) *ut credam* (πιστευων) *iis*

[1]) Var. lect. Pro τῳ πατρῳῳ Θεῳ occurrit inter Velesianas lectio τῳ πατρι και τῳ Θεῳ μου, quam lectionem et Vulgata exhibet. Ceterùm, qui collati sunt Codices omnes, omnesque antiquae versiones constanter dant lectionem τῳ πατρῳῳ Θεῳ. Notat Zegerus, unum atque alterum Codicem Vulgatae habere *patrio Deo*, et vocem *meo* abesse in multis.

omnibus quae in Lege atque in Prophetis scripta sunt, habeamque in Deo repositam spem (ελπιδα εχων εις τον Θεον) *aliquando futuram esse* (μελλειν εσεσθαι) *mortuorum tam iustorum quam iniquorum resurrectionem, quam hi quoque ipsi* (i. e. accusatores mei, qui hic adstant) *exspectant. Atque ita animo comparatus* (εν τουτῳ), *ipse quoque* (και αυτος), ut alii, *studeo expertem offensae* (απροσκοπον) *habere conscientiam semper, tam erga Deum, quam erga homines* (i. e. studeo numquam offendere nulla in re neque Deum neque homines).

Ὁδος de *Religione Christiana*, ut supra Cap. XIX : 23. Hanc Tertullus αἱρεσιν vocaverat (vs. 5), malo huius vocabuli sensu, traducendo Paulum tamquam paternae fidei destructorem[1]. Quam criminationem Paulus refellit, profitendo se credere omnia et singula quae scripta sunt in sacris suae gentis libris[2]. — *Modus* illius λατρευω qui per vocem οὑτω indicatur, is qualis sit describitur per duo Participio πιστευων et (ελπιδα) εχων Asyndetice coniuncta, quae aequaliter pendent a verbo Finito λατρευω. — Κατα τον νομον PER *legem*, sed ita ut cogitandum sit : PER LIBROS *quinque Mosaicos*. Praepositio κατα hoc loco eamdem notionem habet, quam eidem tribuimus supra, vs. 5. — In dictione hac, τοις προφηταις γεγραμμενοις, vox γεγραμμενοις pendet a πιστευων, et id quod praemittitur, τοις προφηταις, dictum est hoc pro ὑπο των προφητων, quae verbi Passivi syntaxis in his libris non infrequens est. — Ὁ πατρῳος Θεος intelligitur *Deus Abraham, Isaac et Iacob*. Lectio Vulgatae : *deservio Patri et Deo meo* plana est. — Post μελλειν est apud auctores profanos Infinitivus Futuri; in libris vero Novi Testamenti μελλειν fere semper construitur cum Infinitivo Praesentis. Vide Gr. pag. 365. *Adnot*. 3. — In locutione εν τουτῳ Praepositio εν

[1]) Pono, dicta fuisse a Tertullo plura quam a Luca referantur; idemque sentio de Pauli ad objecta crimina responso.

[2]) Locutio haec : *lex et prophetae*, passim (v. g. Matth. VII : 12) indicat integrum corpus sacrorum librorum veteris Testamenti. Confer quae notavimus ad Cap. XIII : 40.

mihi dicta videtur de statu *interno* in quo quis versatur, ut v. g. Luc. IV : 36; Act. II : 46; 2 Cor. VIII : 2; Hebr. XI : 2. Fieri tamen etiam potest, ut εν τουτῳ hic valeat *propter hoc, propterea,* ut Joann. Cap. XVI : 30; Syrus interpres hoc loco εν τουτῳ sic intellexit; nam id vertit ܡܛܠ ܗܢܐ. Tum vero Praepositio εν sumenda est tamquam dicta *de fundamento in quo* quid nititur. — De voce απροσκοπος vide quae notavimus ad Cap. I : 10 epistolae ad Philippenses.

17. *Post annos autem plures,* etc.). Redit (δε) Paulus ad diluendam accusationem. *Post plures autem annos* absentiae a metropoli, inquit, Hierosolymam *veni* non alia de causa quam *ut inter* (εις) *populares meos* pauperiores *eleëmosynas distribuerem, et ut sacrificia*[1] *offerrem; in quibus* (εν αἱς[2]) peragendis dum essem occupatus, *invenerunt me* (εὑρον, Impersonaliter), *ut Naziraeum* (ἡγνισμενον), *in templo,* tranquille ibi agentem, *absque turba, absque tumultu* (ου μετα οχλου, ουδε μετα θορυβου). *Sed* tumultum tunc temporis, publice me tamquam reum accusando, excitarunt *Iudaei Asiani nonnulli* (τινες δε), *quos* ergo *oportebat* (εδει) in hoc iudicio *coram te* (επι σου) *adesse, meque accusare, si quid contra me haberent. Aut,* quandoquidem Asiani illi non comparuerunt, *edicant illi ipsi* (puta assessores Synedrii, qui hic per Ananiam et ceteros repraesentabantur) *quodnam aliud crimen quando steti* (σταντος) *coram Synedrio in me invenerint quam* (ἡ) *illud de unico effato illo, quo stans inter eos exclamavi: Propter resurrectionem mortuorum ego iudicor hodie a vobis!*

Praepositio δια hic valet *post,* ut Marc. Cap. II : 1. Vide Gr.

---

1) Var. lect. Post προσφορας additur in Vulgata : *et vota*, sed absque ullo Graeco teste, nisi quod inter Velesianas occurrit lectio και ευχας.

2) Var. lect. Pro οἱς est αἱς in Codd. ABCE plurimisque Minusculis. Tischendorfius tamen edidit οἱς. Ego quidem malim αἱς, quum Relativum hoc loco non nisi ad προσφορας referri queat.

pag. 407. 1. *Eleēmosynae* intelliguntur illae, de quibus sermo est Rom. XV : 25, 26. — Και προσφορας, *et oblationes;* hinc discimus, Paulum sibi Hierosolymam profecturo proposuisse, ibidem Deo offerre sacrificia. Iacobi autem consilium secutus, obtulit eas victimas, quas diximus supra ad Cap. XXI : 23—26. — Lego non εν οἱς sed εν αἱς (vide not. 2, pag. 544), quod refero ad antegressum προσφορας. — Ἡγνισμενον, *Naziraeum factum.* vide supra ad Cap. XXI : 24. — Si legas τινες absque δε[1], sensus est : *invenerunt me... Iudaei Asiani nonnulli, quos,* etc.; si verò legas τινες δε, Verbum εὑρον sumendum est *impersonaliter,* et voces τινες δε απο της Ασιας Ιουδαιοι habendae sunt pro primis vocibus sententiae cuiusdam, quae imperfecta mansit, perficienda autem sit ex iis quae Cap. XXI : 27, 28 fuère narrata. — *Quos oportebat coram te adesse :* hisce verbis Apostolus significat, falsa esse quae illi imputabantur, quum primi eius accusatores (Cap. XXI : 28) ad iudicium non comparuissent.

Ea, de quibus Paulus accusabatur (Cap. XXI : 28), praetexta erant omnia; vera autem causa cur eum criminarentur erat, quia praedicabat, Iesum Nazarenum a mortuis esse resuscitatum. Vidimus autem supra (Cap. IV : 2), Petrum et Ioannem comprehensos fuisse *a Sadducaeis,* quòd docerent Iesum a mortuis resurrexisse, quum insigni hoc exemplo unà praedicarent, *posse* homines a mortuis resurgere. Jam si ponamus, pariter *a Sadducaeis* eam excitatam fuisse adversus Paulum persecutionem, quae Cap. XXI : 27, 28 narratur, facile intelligemus, quo modo ex rei veritate Paulus dicere potuerit (supra, Cap. XXIII : 6) : *Viri fratres... de spe et resurrectione mortuorum ego iudicor.*

22—23. *Distulit autem illos Felix,* etc.). Felix *autem* (δε), *quum exactius nosceret, qualis esset ea religio quam Paulus profite-*

[1]) Vocula δε in Codd. BCH non legitur.

batur (ακριβεστερον ειδως τα περι της ὁδου), Paulum non damnavit, sed iudicium causae in aliud tempus distulit (ανεβαλετο αυτους), *dicens* (ειπας) : Quando Lysias Tribunus huc descenderit, *de causa vestra* (τα καθ' ὑμας) *accuratius cognoscam* (διαγνωσομαι); *unàque mandavit* (διαταξαμενος τε) *Centurioni* (τῳ ἑκατονταρχῃ), ut Paulus *custodiretur* (τηρεισθαι Passiv.) *et haberet relaxationem* (εχειν τε ανεσιν) a vinculis, h. e. ut esset in custodia libera, *et ut* (Centurio) neminem *familiarium illius* (των ιδιων αυτου) prohiberet, quominus eidem ministraret.

Ανεβαλετο (Aor. 2 Med.) ab αναβαλλομαι, *differre;* in re iuridica : *differre in alium diem alicujus causae sententiam.* Latinorum verbum forense hac in re erat *ampliare*. Auct. ad Herenn. IV : 36 : *Quid fuit, judices, quare in sententiis ferendis dubitaveritis, aut istum hominem nefarium ampliaveritis?* Itaque ανεβαλετο αυτους reddi potest : *ampliavit illos*, scil. Paulum et accusatores eius. — Ακριβεστερον pro Adverbio ακριβεστερως, ut supra Cap. XXIII. 15; alterum membrum Comparationis abest, ut ibidem; putaverim, integram sententiam esse hanc : religio Christiana qualis esset, accuratius cognoscebat *quam ut facile crederet, Paulum, eiusdem praeconem, esse virum criminosum, qualem adversarii ejus eum exhibebant.* — Διαταξαμενος pendet ab ανεβαλετο, isque adeo Aoristus hic adhibitus est de *contemporaneo*, ut supra p. 473.

24—26. *Post aliquot autem dies,* etc.). Post nonnullos autem dies venit (puta εις το ακροατηριον. vide Cap. XXV : 23) Felix cum Drusilla uxore, quae Judaea erat, arcessitumque Paulum audivit sermocinantem *de fide Christiana* (περι της εις Χριστον Ιησουν πιστεως). Cum autem Paulus eò esset dilapsus, ut iam *dissereret* (διαλεγομενου) de iustitia et castitate, deque iudicio *futuro* (του μελλοντος εσεσθαι), *tremefactus* (εμφοβος γενομενος) Felix, quum concionator illi minime placentia loqueretur, eidem *dixit*

(απεκριθη) : *In praesenti* (το νυν εχον) abeas! *tempus autem opportunum* (καιρον δε) *nactus* (λαβων), arcessam te, *simul etiam sperans* (ἅμα και ελπιζων) fore, ut pecunia sibi daretur a Paulo pro liberatione sui; quam etiam ob causam *frequentius* (πυκνοτερον pro πυκνοτερως) eum arcessebat cumque eo colloquebatur.

Παραγενομενος ut supra Cap. V : 21. — De Drusilla videsis Fl. Ioseph. Antiqq. Lib. XX. Cap. VII : 1. sq. — Paulum Felix arcessivit, incitante forte Drusilla uxore, quae, cum esset Iudaea, ex curiositate audire voluerit, quaenam esset nova doctrina, quae a Iudaeo Paulo praedicabatur. Studio autem Paulus de iustitia et castitate disserebat; sciebat enim Felicem esse adulterum et iniustum. Corn. a Lapide ad h. l. Cf. Tacit. Hist. Lib. V. Cap. 9, et Annal. Lib. XII : 54. — De locutione το νυν εχον videsis Zeunium ad Viger. Cap. I § VI. Conferri potest Nostratium : *voor als nu*. — Participium ελπιζων pendet ab antecedente verbo Finito απεκριθη, quod sumendum est eo sensu, quo supra, Cap. III : 12.

27. *Biennio autem expleto*, etc.). Elapso autem biennio, ex quo Paulus captivus venisset Caesaream, Felix in procuratione provinciae successorem accepit Porcium Festum; *quumque vellet* (θελων τε) discedens rem gratam facere Iudaeis, quos multis modis vexaverat, Paulum in vinculis reliquit. — Δεδεμενον est Accusativus *Praedicati*.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

ARGUMENTUM. Festus, in procuratione Iudaeae successor Felicis, provinciam suam ingressus, post triduum se confert Hierosolymam; ubi rogatus a Iudaeis ut Paulum illuc arcessi iuberet, ille contra invitat hos, Caesaream ut secum veniant, si quidem Paulum accusare vellent, vs. 1—5. Paucis post diebus Caesaream reversus Festus, Paulum ad se in iudicium adduci iubet; adsunt et Pauli accusatores; quos hic refellit, vs. 6—8. Festus autem Iudaeorum gratiam inire iam cupiens Paulum rogat, velit-ne Hierosolymae a popularibus suis iudicari: quod ille prudenter recusat; et iam, iure civis Romani usus, ad Caesarem appellat. Festus de re cum consiliariis suis locutus, respondet, eum, quandoquidem ad Caesarem appellasset, ad Caesarem esse iturum, v. 9—12. Interim dum exspectatur opportunitas Romam eundi, Caesaream venit, novum praesidem salutaturus, rex Agrippa unà cum sorore; qua occasione quum Festus causam Pauli Agrippae exposuisset, hic cupidum se ostendit Paulum audiendi, vs. 13—22. Postridie Paulus coram Agrippa et magna concione sistitur, Festo praesentibus causam declarante, ob quam eum produxisset, vs. 23—27.

1—3. *Festus ergo cum venisset,* etc.). Festus *ergo* (ουν, sicut novo Praesidi conveniebat provinciae suae metropolin quamprimum invisere) *provinciam suam* (τῃ επαρχιᾳ) *ingressus* (επιϐας), post triduum relictâ Caesareâ Hierosolymam *adscendit* (ανεϐη). Ibi *sacerdotes principes* (οἱ αρχιερεις[1]) *et Iudaeorum primates* (οἱ πρωτοι των Ιουδαιων) mox adversus Paulum *indicium fecerunt* (ενεφανισαν) novo Praesidi, eumque *rogabant* (παρεκαλουν), *petentes sibi* (αιτουμενοι. Med.) ab eo hunc *favorem* (χαριν) contra Paulum, ut (ὁπως) eum Caesareâ Hierosolymam *arcesseret* (μεταπεμψηται), *insidias* hoc modo Paulo *struentes* (ενεδραν ποιουντες), ut eum, sicariorum operâ, *per viam* (κατα την ὁδον. langs den weg) *interficerent* (ανελειν Infinitiv. *finis*).

Επιϐαινειν alias cum Praep. εις aut επι, ut Act. XX: 18, XXI: 6, hic cum Dativo, ut apud Arrianum (Exped. Alex. Lib. V. initio; apud Kuin. ad h. l.): ὡς δ'επεϐη τῃ Νυσσῃ Αλεξανδρος. Vide Gr. pag. 452. 2. — De εμφανιζειν diximus ad Cap. XXIV: 1. —

[1]) VAR. LECT. Pro ὁ, τε αρχιερευς est οἱ αρχιερεις in Codd. ABCEG multisque Minusculis.

Ex dictis infra, vs. 15, 16, liquet, Iudaeos *prius* petivisse ut Festus Paulum damnaret, nullo denuo instituto iudicio. — Ὀπως hoc loco inservit Periphrasi *Infinitivi*, ut ἱνα supra, Cap. XIX : 4. — Participium ποιουντες ad modum Appositionis iungitur Participio αιτουμενοι, utrumque autem pendet a verbo Finito παρεκαλουν.

4—5. *Festus autem respondit*, etc.). Festus autem istorum petitioni non annuit, responditque, *asservari Paulum Caesareae* (τηρεισθαι τον Παυλον εν Καισαρειᾳ), ibique mansurum, se autem brevi illuc esse profecturum; *secum* (συγκαταβαντες) *proinde* (ουν) Caesaream *descenderent* qui *inter eos* (εν ὑμιν) *auctoritate praestarent* (οἱ δυνατοι), atque ibi Paulum accusarent, si quid criminis esset in hoc viro.

6. *Demoratus autem*, etc.). Pergit Lucas : Commoratus autem *inter* (εν) Hiërosolymitanos dies *non plures quam* octo *aut decem* (ου πλειους οκτω η δεκα[1]), Festus Caesaream descendit, et *postridie* (τῃ επαυριον scil. ἡμερᾳ) sedit *pro* (επι) tribunali, iussitque Paulum adduci. — « Erant, inquit Grotius (ad h. l.) quae *de plano* fieri poterant, maiora non nisi *pro tribunali*. Haec enim inter se opponuntur apud Suetonium, Paulum et Papinianum. » De Syntaxi πλειους (πλειονας) οκτω, vide ad Cap. IV : 22.

7—8. *Qui quum perductus esset*. etc.). *Quum* autem *advenisset* (παραγενομενου. Particip. Aor. 2. Med.), *stiterunt sese circum* (περιεστησαν. Aor. 1. vide ad Cap. I : 3) cum accusatores qui Hierosolymâ Caesaream descenderant Iudaei, afferentes *contra Paulum* (κατα του Παυλου) multas ac graves *criminationes* (αιτιωματα), quas probare non valebant, *quum ille apologiâ suâ efficeret*

[1]) VAR. LECT. Pro ου πλειους η οκτω legitur ου πλειους οκτω η δεκα in Codd. ABC multisque Minusculis, et nonnullis antiquis versionibus. Atque haec lectio, quam et Vulgata nostra refert, ceteris auctoritate praestat.

(*απολογουμενου αυτου*), se neque in legem Mosaicam, neque in templum, neque in Caesarem quidquam peccasse. — Postremo hoc versiculo ab oratione indirecta transitum est ad directam. — Ad quaenam accusationis capita illa *πολλα και βαρεα αιτιωματα* revocarentur, ex Pauli apologia (vs. 8) liquet. Demonstraverit ille, se, quòd Christum praedicasset, non ideo peccasse contra legem Mosaicam; ceterum legem a se honorari nuperrimo exemplo eoque publico constitisse; porro, non fuisse templum a se profanatum, quum falsum esset nec probare possent accusatores, Trophimum Gentilem a se in templum fuisse introductum; — tandem nec in Caesarem se peccasse, quum nuspiam seditionem concitasset, quod vel accusatores eius fateri debebant, quum hanc accusationem nullis idoneis argumentis possent probare. — In *παραγενομενου* — *περιεστησαν* est Anacoluthon.

9. ***Festus autem volens***, etc.). Festus autem, volens gratiam inire a Iudaeis, audita hac Pauli apologia, illi ***dixit*** (*αποκριθεις ειπε*) : Num vis Hierosolymam adscendere, atque ibi a Synedrio ***de his*** (*περι τουτων*, de iis, quae tibi imputantur) iudicari ***me praesente*** (*επι εμου*, *coram me*, puta, ne quid iniquius de te statuatur)? « Habebat Synedrium, ut (ad h. l.) notat Grotius, iurisdictionem quamdam in Iudaeos; sed civitatis Romanae ius validius erat iure Synedrii. Itaque invitus cogi non poterat illos agnoscere iudices. » Ob hanc ergo causam Festus Paulum rogat, ***an velit*** (*θελεις*) a popularibus suis iudicari. Χαριν καταθεσθαι (Aor. 2 Med.) q. d. *gratiam collocare sibi* (*τοις Ιουδαιοις*. Dativ. *localis*, de quo vide Kühner § 568) ***apud Iudaeos***. — Αποκριθεις ut Cap. III : 12.

10—11. ***Dixit autem Paulus***, etc.). Paulus autem, non immemor insidiarum, quas antea illi struxerant Iudaei (Cap. XXIII : 15), tribunal popularium suorum adire recusat. Festo ergo sic respon-

det : *Sto hic coram* (επι) *tribunali Caesaris*[1]; meum, quum civis Romanus sim, hoc proprium forum est, *ubi* (οὗ) *me oportet indicari*[2]; nec ab hoc meo iure discedo! *Nullum in Iudaeos* (in legem eorum aut templum) *delictum admisi, ut tu quoque reapse melius nosti*, quam noscere fingis. Nec refugio istorum tribunal quòd male mihi conscius sim, ideoque iustum iudicium reformidem. *Nam si* (ει μεν γαρ[3]), te iudice, *in culpa sum* (αδικῶ) *et morte dignum aliquid commisi, non recuso mori; si vero nihil est eorum* (si vana sunt omnia) *de quibus isti me accusant*, absolvendus sum; et *nemo me* salva iustitia *potest illis condonare*. — Sentit Paulus, se in certam mortem tradi, si Synedrii iudicio permittatur; nam etiamsi causa sua ibi ageretur Festo praesente (vs. 9), hic tamen iniquam sententiam, quam Synedrium tulisset, minime fuisset rescissurus, quandoquidem iam in ipsa hac causa iniquum iudicem se demonstrasset, quum nullius criminis convictum non statim absolvisset (vs. 7). Quare non sine ratione timens Paulus, ne forte nolentem ad tribunal Synedrii amandaret, iure suo utens addit : Καισαρα επικαλουμαι, *Caesarem appello*, q. d. *si me vis Synedrio iudicandum tradere*, *ad Caesarem appello*. — « Licebat hoc, inquit (ad h. l.) Grotius, Romanis legibus in tali casu; nam ante sententiam appellari potest, si quaestionem in civili negotio habendam iudex *interlocutus*[4] *sit*, vel in criminali contra leges hoc faciat. L. *ante*. D. *De appellationibus recipiendis*. Erat autem contra leges Romanas civem Romanum provincialibus hominibus iudicandum tradere, et id nolentem. »

---

[1]) « Recte *tribunal Caesaris* vocat id quod Procurator habebat nomine ac mandato Caesaris. Ulpianus (L. 1. D. De officio Procuratoris Caesaris) : *Quae acta gestaque sunt a Procuratore Caesaris, sic ab eo comprobantur, atque si a Caesare gesta sint.* » Grotius.

[2]) Nam de Cive Romano Praesidum Romanorum erat cognoscere. *Idem*.

[3]) VAR. LECT. Pro γαρ est ουν in Codd. ABCE et plurimis Minusculis; lectio ουν alteri praeferenda mihi videtur.

[4]) *Interlocutio* apud Jurisconsultos est pronunciatio judicis initio mediove litis, quae totam causam non perimit finitque, sed ex parte solum definit et judicat : quae *sententia interlocutoria* hodie in Scholis appellatur. *Paul.* Dig. 1 : 15. 3.

— Festus autem, postquam de Pauli appellatione *cum consiliariis suis* (μετα του συμβουλιου) deliberasset, eidem respondit : *Quandoquidem ad Caesarem provocasti, ad Caesarem ibis.* « Provocatio Pauli, quod idem notat, non erat simpliciter facta, sed sub conditione; verum Festus libenter arripiebat occasionem, qua se ab hac molestia et invidia liberaret. »

Αδικειν τινα τι, *injuria aliqua afficere aliquem*. Pro αδικειν τινα dicitur etiam αδικειν εις, προς et περι τινα. Cf. Kühner § 550. Anm. I. de Accusativo τι vide Gr. pag. 251. *Adnot.* 2. — Praesens αδικῶ, quod legitur vs. 11, dictum ibi est de *statu durante;* puta pro αδικῶ scriptum esse αδικος ειμι. Καλλιον Comparativus est absque altero Comparationis membro expresso, ut supra Cap. XVII : 22; confer Nostratium : *gelijk gij ook wel beter weet.* Πεπραχα Perfect. a πρασσω. — Παραιτουμαι est *mihi deprecor*, quo sensu Demetrius apud Livium dixit : *Ego si quid impie in fratrem admisi, nullam deprecor poenam.* — Ουδεν εστι, ut supra Cap. XXI : 24. Dictum est ουδεν ὡν pro ουδεν εστιν εκεινων ἁ per *Ellipsin* et *Attractionem.* — Χαριςασθαι de *condonando aliquem ita alteri, ut ab hoc damnetur;* quo sensu Cicero dixit (*Coel.* I.) : *Ne patiamini M. Coelium libidini muliebri condonatum;* i. e. damnatum in mulieris gratiam. — Επικεκλησαι Perfect. Passiv. cum notione Media, ut supra, Cap. XIII : 2.

13—16. *Et quum dies aliquot,* etc.). Interea dum exspectabatur opportunitas Paulum Romam mittendi, *elapsis aliquot diebus* (ἡμερων διαγενομενων τινων), Agrippa Rex et soror eius Berenice Caesaream venerant, Festum, novum praesidem *salutaturi* (ασπασομενοι). Quum autem plures dies illic commorarentur, Festus per occasionem Regi *exposuit* (ανεθετο) causam Pauli (τα κατα τον Παυλον, *ea quae ad Paulum pertinebant*), dicens : Est hic vir quidam relictus a Felice vinctus; de quo, *quum Hierosolymam venissem* (γενομενου μου εις Ἱεροσολυμα, vide supra ad Cap. XXI :

17), *accusationem attulerunt* (ενεφανισαν. vide supra ad Cap. XXIV : I.) *principes sacerdotes* (οἱ αρχιερεις) ac seniores Iudaeorum, postulantes *contra eum iudicium* (κατ' αυτου δικην), hoc est, eius condemnationem. Quibus respondi, non esse Romanis hunc morem, ut quemquam *condonent* (χαριζεσθαι. vide ad vs. 11) in exitium, (*condemnando eum*) priusquam is qui accusatur *praesentes* (κατα προσωπον, *in conspectu*) habuerit accusatores suos, et *locum* (opportunitatem) acceperit *defendendi se* (τοπον απολογιας) *de objecto crimine* (περι του εγκληματος). — De πριν η cum Optativo, vide Viger. Cap, VII : Sect. X. Graeci dicunt διατριβειν ἡμερας τινας, quo modo Latini *terere* tempus. — Agrippa ille, de quo hic, erat Agrippa II, filius illius Herodis Agrippae, quem divinitus percussum foedo morbo interiisse Lucas supra (Cap. XII : 23) narravit. Ceterum confer quae notavimus ad Cap. XII : 1.

17—19. *Cum ergo huc convenissent*, etc.). Illi ergo (scil. *accusatores* vs. 16) quum huc (*Caesaream*) convenissent, ego *sine ulla dilatione* (αναβολην ουδεμιαν ποιησαμενος) *sequenti die* (τῃ ἑξης, scil. ἡμερᾳ) consedi pro tribunali, iussique virum illum adduci. *Circum quem* (περι οὗ) *quum se stitissent* (σταθεντες. Particip. Aor. I. Passiv. cum notione reflexiva, ut Cap. II : 14) accusatores eius (οἱ κατηγοροι), nullum *crimen* (αιτιαν, ut Matth. XXVII : 37) inferebant *eorum quae* (ὡν pro εκεινων ἁ, ut supra Cap. XXI : 24) suspicabar ego (ὑπενοουν εγω[1]) illatum iri contra eum; sed tantum movebant contra eum quaestiones quasdam *de sua ipsorum religione* (περι της ιδιας δεισιδαιμονιας. vide supra ad Cap. XVII : 22), et de quodam Jesu defuncto (τεθνηκοτος), quem Paulus *dictitabat* (εφασκε) vivere (a mortuis resuscitatum esse). Haesitans vero[2] ego

---

[1]) Var. lect. Post vocem εγω additur πονηραν in Codd. AC, et πονηρων in Codd. BE. Lectio το πονηρον, quam Vulgata exhibet, non notatur nisi inter Velesianas lectiones.

[2]) Var. lect. Pro τουτου est τουτων in Codd. ABCEG multisque Minusculis.

quod attinet ad (εις, ut Philipp. IV : 15) *inquisitionem* (ζητησιν) *de huiusmodi rebus* (περι τουτων[1]), dicebam illi, num vellet ire Hierosolymam, atque ibi a Synedrio de his rebus iudicari. Quum vero Paulus, appellatione interposita, postulasset, *ut in custodia servaretur* (τηρηθηναι) ad Augusti cognitionem, servari eum iussi donec mitterem illum ad Caesarem. — Graece est ἑως οὑ πεμψω, i. e. *donec eum mittam;* in quibus verbis transitio est ab oratione *indirecta* ad *directam.* — Infinitivus τηρηθηναι (vs. 21) est *Obiectum* Verbi επικαλεσαμενου, non vero Infinitivus *finis.*

22—23. *Agrippa autem dixit,* etc.). Agrippa, curiositate ductus, Festo significat, cupidum se esse Paulum audiendi. *Vellem* (εβουλομην), inquit, ipse quoque (και αυτος, sicut tu eum audivisti) *audire hominem istum.* Cui Festus : *Cras* (αυριον) audies eum. *Postridie* (τῃ επαυριον, scil. ἡμερᾳ) *igitur* (ουν) quum venissent Agrippa et Bernice *multa cum ostentatione* (μετα πολλης φαντασιας), et introissent in auditorium cum Tribunis ac primoribus viris civitatis, *jussisselque Festus* (και κελευσαντος του Φηστου) Paulum adduci, Paulus adductus est.

De usu et notione Imperfecti εβουλομην hoc loco, vide Gr. pag. 303. Vocem φαντασια Interpres noster reddidit *ambitio;* non male, quum ea vox a scriptoribus bene Latinis etiam de *pompa* dicatur. Cf. *Facciolati* Lexic. ad h. v. Το ακροατηριον hic videtur *locus causis audiendis et cognoscendis destinatus.* Ανδρες οἱ κατ' ἐξοχην οντες est locutio periphrastica pro ανδρες ἐξοχοι.

24—27. *Et dicit Festus,* etc.). Cum adductus esset Paulus, Festus sic praesentes allocutus est : Agrippa rex, et omnes quot-

---

[1]) S. Chrys. Hom. 51 in Act. Οὑτως ειπε, inquit, συσκιαζων το οικειον ἁμαρτημα h. e. « *Sic loquitur suum adumbrans peccatum.* » Nempe ut gratiam iniret apud Judaeos, Paulum ad Synedrium mittere Festus voluerat, vs. 9, non vero quòd non satis certum haberet, quid in ea causa pronunciaret.

quot hic *nobiscum adestis* (συμπαροντες ἡμιν) viri, coram vobis hic *cernitis* (θεωρειτε) *hominem eum* (τουτον), *propter* (περι, ut supra Cap. XIX 23) quem tota multitudo Iudaeorum me tam Hierosolymae, *quam hoc in loco* (και ενθαδε) *convenerunt* (ενετυχον), acclamantes, eum, ut hominem pestilentem (Cap. XXIV : 5), neci esse tradendum nec amplius vivere oportere. Ego vero *quum mente comprehendissem* (καταλαβομενος Aor. Med.) h. e. *comperissem, intellexissem*, cum nihil morte dignum *fecisse* (πεπραχεναι), et *quum ille ipse* ad Augustum *appellasset* (αυτου τουτου επικαλεσαμενου), statui eum eò mittere. Verum certi aliquid quod de hoc viro *Domino* (τῳ Κυριῳ) Imperatori scribam, non habeo. Quapropter produxi eum *coram vobis* (εφ' ἡμων), et praecipue coram te, o rex Agrippa, *ut*, inquisitione facta, *haberem quod scriberem* (ὁπως σχῶ τι γραψω). Nam *absurdum* (αλογον) mihi videtur, *eum, qui vinctum aliquem mittit* (πεμποντα δεσμιον), *non etiam* (μη και) *crimina contra eum* (τας κατ' αυτου αιτιας) delata significare.

Εντυγχανειν τινι, *convenire*, *adire-aliquem*. Hesychius : εντυγχανει· προσερχεται. — In dictione το πληθος... ενετυχον est constructio *ad sensum*. — *Domini* (του Κυριου) appellationem (ut scribit Suetonius in *Vita Aug*. Cap. 53 et in *Vita Tiberii* Cap. 27) Augustus et Tiberius repudiarunt; insequentes vero Imperatores eam admiserunt. Traianum Plinius saepissime ita appellavit. — Αιτιαι i. q. supra (vs. 7) αιτιωματα.

——

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

Argumentum. Paulus, concessa sibi ab Agrippa potestate loquendi, post breve prooemium, vs. 1—3, defensionem sui incboat a probando, se iniuria traduci tamquam paternae Religionis destructorem. Quem in finem *primum* exponit, quam fuerit inde a prima juventulo exactissimus Mosaicae Religionis observator, vs. 4—9; *tum* commemorat, quam ardenti zelo olim persecutus fuerit Jesu Nazareni discipulos, vs. 9-12; *deinde* enarrat, quae sibi proficiscenti Damascum ad persequendos Christianos accidissent, et quomodo ipse ex acerrimo discipulorum Jesu persecutore factus esset ejusdem et discipulus et praeco; unà innuit, se, praedicando Jesum, nequaquam esse paternae Religionis destructorem, quum demonstraret in persona Jesu Nazareni adimpleta esse ea, quae Moses et Prophetae de venturo Messia praedixissent, vs. 12—24. Hic vero Festus dicentem interrumpit tamquam delirantem. Paulus contra protestatur, se loqui verba et vera et sana, et ad ipsum regem Agrippam provocat. Sed hic quum hanc interpellationem aegre ferret, derisoriè illi respondet, et mox unà cum Festo, Berenice, et ceteris, ex auditorio discedit, vs. 24—30. Digressi inde deque Paulo inter se collocuti, in hanc sententiam conveniunt omnes, dimitti posse Paulum, nisi Caesarem appellasset, vs. 31—32.

1—3. *Agrippa vero,* etc.). Postquam Festus haec (Cap. XXV : 24—27) fuisset praefatus, Agrippa ad Paulum, qui vinctus ibi adstabat (infra vs. 29), dixit : Permittitur tibi *loqui pro temetipso* (ὑπερ σεαυτου λεγειν) ad causam tuam defendendam. Tum Paulus, dextra *extensa manu* (εκτεινας την χειρα), ut facere solent dicturi, *se defendebat* (ἀπελογεῖτο), utens defensione hac : Beatum me existimo, Rex Agrippa, quod *de omnibus, quorum* a Iudaeis *accusor* (περι παντων ὧν εγκαλουμαι), *ad mei defensionem* hodierna die *dicturus sum* (μελλων απολογεισθαι) te praesente, *quum* tu imprimis *gnarus sis* (γνωστην οντα σε) *omnium* Iudaicae gentis in re religiosa institutorum et quaestionum. Quapropter obsecro te, ut patienter (μακροθυμως, *longanimiter*) me audias. — Defensionem sui Paulus inchoat a probando, se iniurià traduci tamquam paternae Religionis destructorem. Post haec dicturus fuisset de reliquis accusationis capitibus (vide supra, Cap. XXV : 8), nisi dicentem Festus interrupisset (vs. 24).

Dextra extensa manu. Rem describit Apuleius (apud Wetsten. ad h. l.) : *Porrigit dextram, et ad instar oratorum conformat*

articulum; duobusque infimis conclusis digitis, ceteros eminentes porrigit. — Participium μελλων απολογεισθαι continet *causam cur* existimet se beatum. Similem Participii usum observavimus supra Cap. XVI : 34 et XXIV : 3. — Επι σου proprie est *coram te.* — Pro solita Syntaxi, quae hoc loco fuisset μαλιστα γνωστου οντος, est hic abnormis Participii structura, cuius tamen exempla occurrunt quoque apud auctores bene Graecos. Vide Viger. Cap. VI. Sect. 1 : XII. Ceterum οντα resolvendum est in *quum sis*, ut Cap. XXI : 8. — Των κατα Ιουδαιους non est Periphrasis Genitivi, sed proprie valet *quae* PER (i. e. inter) *Iudaeos* sunt. Vide Gr. pag. 429. α. Εθος *mos, consuetudo, ritus*, et hinc, per Metonymiam, *institutum*, ut supra Cap. XXI : 21.

4—5. *Et quidem vitam meam*, etc.). Post illud prooemium Paulus ad ipsam iam defensionem transit (μεν ουν). *Vitam igitur* (μεν ουν) *meam*, inquit, *inde a iuventute* (την εκ νεοτητος), *inde a principio* (την απ' αρχης) et deinceps *inter populares meos* (εν τω εθνει μου) *Hierosolymae actam* (γενομενην) *sciunt Iudaei omnes, quum me ab initio* (ανωθεν, ex quo primum Hierosolymae versari coepi) *cognoscant* (προγινωσκοντες); sciunt, inquam, *si de re testimonium dicere velint* (εαν θελωσι μαρτυρειν), *quod* (ότι) *vixerim Pharisaeus, sectam secutus religionis nostrae exactissimam* (in interpretandis et observandis legis Mosaicae praescriptis religiosissimam).

Μεν ουν sunt Particulae *transeuntis*, ut Cap. VIII : 4. 25. Την απ' αρχης *explicatius* dicit id, quod iam dictum fuerat per verba την εκ νεοτητος. Participium γενομενην ad utrumque pertinet. — Pro ισασι, forma frequentiore, alibi (Luc. XI : 44, et Ioh. X : 5) est infrequentior οιδασι. Videsis hac de re Matthiä § 231. pag. 452, et Gr. pag. 67. — Participium προγινωσκοντες resolvendum est in verbum Finitum, eo modo quo supra Cap. XVII : 24. Praepositio προ in Composito προγινωσκοντες otiosa non est; Latinae tamen orationi non congruit ut exprimatur. — Ότι pendet ab

ισασι, veluti si Belgice dicas : *zij kennen mijn leven* (mijn levenswijze), *dat* (ὅτι) *ik namelijk*, etc. Graeca verbotenus sonant : *Quod secundum exactissimam sectam nostrae religionis vixerim Pharisaeus.* — De Pharisaicae sectae, sive scholae, sive haereseos (αἵρεσις bono sensu) ακριβεια, vide *Serarii Trihaeres.* Lib. II, Cap. 5. Vox θρησκεια proprie de *cultu* religioso dicitur; et mox de *religione ipsa*. Suidas : Θρησκεια· ἡ λατρεια· ὁθεν και ἑτεροθρησκος· ἑτεροδοξος.

6—7. *Et nunc in spe*, etc.). Nexus talis est : Religionem patrum nostrorum haetenus observavi quam religiosissime; sed neque nunc ab avita religione recessi, quippe qui ob id reus sum, quòd praedicaverim, adimpletam esse promissionem de mittendo Messia Patribus nostris a Deo factam. Pergit ergo dicere : *Et nunc propter spem* (επ' ελπιδι) *promissionis patribus nostris a Deo factae* (της προς τους πατερας ἡμων επαγγελιας γενομενης ὑπο του Θεου) *reus hic adsto; ad quam* (εις ἡν) promissionem *duodecim tribus nostrae* (το δωδεκαφυλον ἡμων) *intentè* (εν εκτενεια) *die nocteque* Deum *colentes* (λατρευον) *pertingere sperant; propter* (περι) *hanc spem accusor, rex Agrippa, idque a Iudaeis! Quare* (τι) *incredibile iudicatur apud vos, an Deus mortuos suscitet?*

Infra (Cap. XXVIII : 20) promissus Israeliticae genti Messias vocatur *spes Israëlis*, ἡ ελπις του Ισραηλ, quod ex contexta oratione (vs. 22. sq.) constat; adeoque *spes* ibi per Metonymiam vocatur ipse ille, qui ab Israële sperabatur sive exspectabatur. Putaverim autem, vocem ελπις in praesenti loco pariter metonymice esse sumendam, et id quod sequitur Substantivum nomen, επαγγελιας inquam, positum ibi esse, ex noto Hebraismo, pro Adiectivo. Simili modo Genitivus της επαγγελιας Adiectivi locum tenet in Ep. ad Ephes. Cap. I : 13 et ad Hebr. Cap. XI : 9. — Voces προς τους πατερας pendent a voce γενομενης. Articulus ante vocem ελπιδι abesse poterat. Vide Gr. pag. 113. Itaque ελπις της επαγγελιας

tantumdem sit ac *spes promissa*, h. e. per Metonymiam : *Messias* patribus nostris, Abrahamo, Isaaco, Iacobo, *promissus*. Promissus hic Messias ut cito veniret, ut veniret in diebus suis, Israëlitae Pauli coaetanei, ut et horum proavi, assidue precabantur. — επι (de causa) *propter*, ut Matth. XIX, 9. — Περι ἧς, *ob quam*, ubi περι similiter dicitur de *causa*, ut supra Cap. XIX : 23. — Emphasin habet illud ὑπο των Ιουδαιων in fine sententiae positum. Τι *absolute* positum pro *quid!* in his libris, quantum scio, nuspiam occurit. Ad interrogationem autem illam quod attinet, obscurum est, ut mihi quidem videtur, quò tendat. Coniecerim, eam dirigi ad accusatores Pauli Sadducaeos (cf. Cap. XXV : 2), qui ibi praesentes adessent. Vide quae notavimus ad Cap. XXIV : 21. — Dicitur in praesenti εγειρει, quia mortuorum resuscitatio hoc loco non consideratur tamquam *factum aliquod*, sed tamquam *dogma*; quare non ὅτι, sed ει *problematicum* adhibetur.

9—11. *Et ego quidem*, etc.). Dicere iam pergit Apostolus, quomodo ex acerrimo discipulorum Iesu persecutore factus sit ipse eiusdem discipulus, imo et praeco. Particula ουν est hic *pergentis* in narrando, ut supra Cap. VIII : 23; μεν autem, quod hic legitur, *solitarium* est, ut Cap. V : 41, et afficit vocem εδοξα, ut adeo Paulus sibi velit : Εγω ουν εδοξα μεν εμαυτῳ, κ. τ. λ. Confer quae notavimus ad Cap. XXII : 3. — Graeca sic Latine liberius reddiderim : Ego *ergo* (ουν) olim visus *quidem* (μεν) mihi sum (εδοξα εμαυτῳ) i. e. existimavi, me oportere *erga* (προς) nomen Iesu Nazareni multa contraria (hostilia) agere; id quod etiam feci Hierosolymae; *et quidem* (και) multos *ex Christianis* (των ἁγιων) ego in carceres inclusi, accepta ad hoc faciendum *a sacerdotibus principibus* (παρα των αρχιερεων) potestate; *et quum tollerentur* (αναιρουμενων τε αυτων) e vita, necem ipsorum *assensu meo comprobavi* (κατηνεγκα ψηφον). Et obibam omnes *Hierosolymae synagogas* (τας συναγωγας) ad Christianos ibi deprehendendos; *et frequenter illis*

poenam (flagrorum) *infligendo* (πολλακις τιμωρῶν αυτους), cogebam eos *Iesu Nazareno maledicere* (βλασφημειν); quin et, *crescente* meo *erga illos* (αυτοις Dativ. directionis) *furore* (περισσως εμμαινομενος), eosdem persequebar *etiam* in exteras (*extra Palaestinam sitas*) usque urbes.

Δοκεω hic *intransitive*, pro *videor*, ut supra, Cap. XVII : 18. Demosthenes sic dixit : Ὡς εμαυτῳ δοκῶ, νομιζω δε και ὑμιν συνδοκειν. Sexcenta alia huiusmodi exempla legere est apud Wetstenium ad h. l. — Προς, *erga*, ut supra, Cap. VI : 1 et Luc. XXIII : 12. Το ονομα dictum est per Metonymiam de *persona*. Ὁι ἁγιοι, *Christiani*; videsis quae notavi ad Cap. I : 1 epistolae ad Philippenses. — Κατακλειω alibi (Luc. III : 20) cum praepositione εν, hic cum Dativo *locali*, ut Sap. XVII : 2. De hoc Dativo, iuncto Verbis cum Praepositione κατα compositis, vide Bernhardy, p. 243.— Pluralem αναιρουμενων tamquam Pluralem Categoricum ad solum Stephanum occisum esse referendum, non putem; fieri certe potuit, ut *alii praeter Stephanum* Christianae religionis causâ mortem violentam tunc temporis obierint, etsi hoc nullibi memoriae proditum sit.

Κατηνεγκα ψηφον proprie est *detuli calculum*, i. e. suffragium. Iudicibus hoc proprium est; sed hic dicitur, per Catachresin, de *consentiendo* sive *approbando*. Ad rem quod attinet, nihil aliud Paulus hic dicit, quam quod supra (Cap. XXII : 20) de se dixerat : ἠμην συνευδοκῶν. — Permultae erant Hierosolymae Synagogae (vide Vitringam *de Synagoga vetere*. Prolegom. Cap. IV, pag. 28), easque primis illis temporibus adire solebant etiam ii, qui iam Christo nomen dedissent.

12—14. *In quibus dum irem*, etc.). *In quibus rebus* (εν οἱς, ut Cap. XXIV : 18) quum essem, i. e. quum crudeli huic negotio intentus, *etiam* (και) Damascum proficiscerer, potestate Synedrii instructus, *die medio* (ἡμερας μεσης), *per viam qua ibam* (κατα την ὁδον, langs den weg) vidi, Rex, *coelitus* (ουρανοθεν) delapsum lumen

sole splendidius circumfulsisse me *atque eos qui mecum iter faciebant* (και τους συν εμοι πορευομενους). Omnibus autem nobis ad fulgurantem illam lucem in terram *collapsis* (καταπεσοντων), audivi vocem, etc.

Των αρχιερεων dicitur hic de toto Synedrio, per *Synecdochen.* Vide ad Cap. IV : 5 et IX : 21. — Παρα, *de la part de.* Ἡμερας μεσης est Genitivus *temporis;* de *quo* vide Gr. pag. 524. Ὑπερ την λαμπροτητα, *super splendorem.* Praepositio ὑπερ, quae *proprie* dicitur *de loco,* hic metaphorice adhibita est *de modo, quem quid excedit,* ut Philipp. Cap. II : 9. — Περιλαμψαν (Particip. Aor. Neut.) Latine accurate reddi nequit. Ceterum vide quae notavimus ad Cap. IX : 3-6.

15—18. *Ego autem dixi,* etc.). Pergit Paulus : *Ego autem dixi : Quis es, Domine?* (vide ad Cap. IX : 5) *Dominus autem dixit : Ego sum Jesus, quem tu persequeris* (vide ibid.). *Verum age, exsurge et consiste in pedes tuos!* (vide ibid. ad vs. 6). *In hunc enim finem* (εις τουτο) *a te visus sum* (ωφθην σοι, ut Cap. II : 3) i. e. apparui tibi, *ut* scilicet *designarem* (προχειρισασθαι. Infinitivus *finis*) *te* (constituerem te) *ministrum et testem, et eorum quae* (ὡν τε) *iam vidisti, et eorum quorum causâ* (ὡν τε) deinceps *a te videbor* (οφθησομαι σοι) i. e. quorum causâ tibi deinceps apparebo, *te* (ne tu ante expletum ministerii tui cursum ab hostibus Christiani nominis interficiaris) *eripiens,* ubi opus fuerit, e manibus *popularium tuorum* (εκ του λαου) *et Gentilium* (και των εθνων), *ad quos nunc ego te mitto, ut aperias* (ανοιξαι) *oculos eorum,* ut *se convertant* (του επιστρεψαι) *a tenebris ad lucem, et a potestate Satanae ad Deum;* quo fiat, *ut remissionem peccatorum et sortem inter* (εν) *sanctificatos accipiant* (του λαβειν) *per fidem in me* (πιστει τῃ εις εμε).

Εις τουτο refertur ad insequentem Infinitivum *finis,* i. e. ad προχειρισασθαι, κ. τ. λ. — Γαρ ibi *rationem* dat superioris mandati

(*exsurge*), quo iubebatur bono esse animo. De προχειρισασθαι diximus supra ad Cap. XXII : 14. Dictum est ὧν ειδες pro εκεινων ἁ ειδες per *Ellipsin* et *Attractionem*, ut supra Cap. XXI : 24; pariter in eo quod sequitur, ὧν οφθησομαι σοι, Relativum ὧν est pro εκεινων ἁ, sed ἁ ibi censetur valere δι' ἁ, i. e. *ob quae*. Meyerus (ad h. l.) similis locutionis Ellipticae exemplum affert ex Sophocle (Oedip. T. 788), qui scripsit ὧν μεν ἱκομην, quod resolvendem est in εκεινων δι' ἁ ἱκομην. — Ex verbis ὧν τε οφθησομαι σοι (Vulg. *eorum, quibus apparebo tibi*) colligitur, Dominum Iesum *plus semel* apparuisse Paulo. *Corporales-ne* autem an *intellectuales* fuerint visiones illae quae primam sunt secutae, certo dici nequit. Participium εξαιρουμενος describit curam quam de Paulo habiturus est is, qui illi dicit οφθησομαι σοι. Ceterum vox illa εξαιρουμενος sumenda est eo sensu quo supra Cap. VII : 10, 34, et XII : 11. Bene Lorinus : « Promissum, inquit, istud *de ereptione*, non excludit illam aliam praedictionem (Cap. IX : 16) : *Ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati;* et solum id continet, futurum, ut evadat mortem eique spatium concedatur exsequendi munus iniunctum (ibid. vs. 15), nempe *portandi nomen Iesu coram Gentibus, regibus, et filiis Israël.* » — Εις οὑς referendum est ad του λαου et ad των εθνων. — Ανοιξαι, του επιστρεψαι, et του λαβειν sunt tres Infinitivi *finis*, inter quos est ratio *proximi*, *propioris*, et *remoti*. De Infinitivo *finis* cum του, vide ad Cap. VII : 19. — Επιστρεψαι sumitur hoc loco *intransitive*, ut supra Cap. XIV : 14, XV : 19. — Quid sit converti a *tenebris ad lucem*, etc., dicturi sumus ad Cap. I : 12-14 epistolae ad Colossenses.

19—23. *Unde, rex Agrippa,* etc.). Pergit Paulus : *Quapropter, Rex Agrippa,* (ὅθεν. q. d. quum mihi tam insigni modo innotuisset, quid me facere oporteret), *non fui* (εγενομην) *inobediens* (απειθης) *coelesti visioni* (illi qui mihi coelitus apparuerat, et, quid a me

vellet, declaraverat), *sed primum Damascenis* (αλλα τοις εν Δαμασκῳ πρωτον. vide ad Cap. IX : 20), *et mox Hierosolymae* (vide ibid. vs. 28, 29) *et in omni regione Iudaeae, et* (deinde) *Gentibus annunciabam, oportere eos* superioris vitae *agere poenitentiam* (μετανοειν) *seque ad Deum convertere, opera facientes* (πρασσοντας), *quae illam poenitentiam decerent*[1]. *Hanc ob causam quum me Iudaei in templo comprehendissent* (συλλαβομενοι), *interficere me conabantur. Divinum igitur nactus auxilium* (επικουριας ουν τυχων της παρα του Θεου) incolumis *subsisto usque in hodiernum diem,* assidue *testificans atque praedicans* Evangelium *sine discrimine omnibus* (μικρῳ τε και μεγαλῳ), *nihil docens extra ea quae et Prophetae et Moses dixerunt esse eventura; an* (ει) *scilicet Messias* (ὁ Χριστος), *qui venturus erat, secundum vaticinia Prophetarum ad patiendum destinatus sit* (παθητος); *an primus ex mortuis resuscitandus ad vitam immortalem, annunciaturus sit lumen* veritatis *Israeli* (τῳ λαῳ) *et Gentibus.* — Videlicet Paulus ostendere solebat, vaticinia Prophetarum de Messia, in persona Iesu Nazareni suum habuisse complementum.

Ὅθεν dicitur et *de loco,* et *de origine rei,* et tandem *de causa,* ut hic et Matth. XIV : 7. — Γινομαι hoc loco notione non differt ab ειμι. Confer ea quae notavimus supra ad Cap. V : 24. Imprimis autem hac significatione adhibitae leguntur formae εγενομην, εγενηθην et γεγονα. — Απειθης is est *qui sibi persuaderi non patitur, incredulus,* et mox *immoriger, inobediens,* ut hoc loco et Rom. I : 30, ubi et interpres noster vocem απειθης reddidit *non obediens.* — De praepositione εις iuncta Verbo *quietis* απηγγελλον, vide quae notavimus supra, pag. 164.— Επιστρεφειν hic sumitur *intransitive,* ut vs. 18. Απηγγελλον μετανοειν dictum videtur Elliptice pro απηγ-

---

[1]) S. Chrys. Hom. 52 in Act. : Ουχ ἁπλως μετανοειν παραινει, αλλα και βιον επιδεικνυσθαι θαυμαστον. h. e. *Non solum ad poenitentiam hortatur, sed et ad mirabilem agendam vitam.*

γελλον δεῖν αυτους μετανοειν, ut adeo Accusativus πρασσοντας ad αυτους referatur. Cf. dicta supra ad Cap. XIV : 14.

24—27. *Haec loquente eo*, etc.). Quum talia Paulus *pro sui defensione diceret* (απολογουμενου. Particip. *Imperfecti*), Festus, cui haec utpote ethnico deliramenta (cf. I Corinth. Cap. I : 23) videbantur, dicentem interrupit, elata voce illi acclamando : Insanis[1], o Paule! te multa tua litterarum studia ad insaniam adigunt (sanam tibi mentem eripiunt)! Cui Paulus : Non insanio, praestantissime Feste, sed veritatis et *sanae mentis* (σωφροσυνης) verba eloquor; et *testem appello regem*. Novit *enim* (γαρ) ista Agrippa, ad quem ideo etiam, minime mutuens ut me pro insano habeat, *fidente animo* (παρρησιαζομενος, avec assurance) loquor, tamquam ad eum qui scit me vera dicere; nam persuadere mihi non possum (ου πειθομαι), eum latere quidquam eorum, quae narro; neque enim res (τουτο) in angulo gestae sunt, sed Hierosolymae, in propatulo. Fidem-ne habes, rex Agrippa, Prophetis? Novi te habere.

Paulus testem appellat regem Aggrippam, Iudaeum, ut Festo praesidi probet, se minime insanire. Recte; nam regem latere non poterant res Iesu Nazareni; cumque idem legisset quoque scripta Prophetarum, diffiteri non poterat, eorum vaticinia Iesu Nazareno convenire. Sed alterum hoc argumentum Paulus profert ipsum Agrippam sic interpellando : *Fidem-ne*, inquit, *habes, rex Agrippa, Prophetis? Novi te habere*. Qua interpellatione simul vult inducere regem ad agnoscendum in Iesu Nazareno promissum Messiam. — De voce παρρησιαζομενος vide supra ad Cap. IX : 27.

28—29. *Agrippa autem*, etc.). Agrippa *autem* (δε) quum hanc Pauli interpellationem, praesertim in illa hominum corona (vide Cap. XXV : 23) aegre ferret, ut ne videretur minus alienus ab

---

[1]) S. Chrys. Hom. 52 in Act. Θυμου, inquit, ην και οργης ἡ φωνη.

ignominioso Christianorum nomine, dicentem interrupit, exclamando : *Paucis tu verbis mihi suades ut Christianus fiam!* Quae verba, ut ex responso Pauli (vs. 29) et ex serie narrationis (vs. 30) colligitur, dicta fuère ironice et derisorie; quod quidem Paulus ex voce vultuque dicentis satis intellexerit. Is ergo, hominem miseratus, mansuete, non tamen sine quadam reprehensione, respondit : *Deum precari velim* (ευξαιμην αν τῳ Θεῳ), *Agrippa, ut, sive paucis sive multis verbis* ad id opus sit, *non solum tu, sed et omnes hodierni mei auditores fiant tales, qualis ego sum, exceptis hisce vinculis!*

Vox ολιγος *paucus* redditur, et *parvus;* posteriore hac significatione voci ολιγος opponitur vox μεγας, quod in praesenti loco factum est; nam εν μεγαλῳ hic legimus, non εν πολλῳ[1]. Locutiones εν ολιγῳ, εν μεγαλῳ valent *parvo, magno*, puta λογῳ, *sermone* (ut Ephes. Cap. III : 3); Praepositio εν ibi sumitur *instrumentaliter*, sive *de instrumento quo*, ut Luc. XXII : 49. Si mavis legere εν πολλῳ, sensus eòdem recidit; nam vertendum sit *pauco, multo* sermone; sed, quum εν ολιγῳ, εν πολλῳ, dicantur etiam elliptice pro εν ολιγῳ, εν πολλῳ χρονῳ, voces illae reddi etiam possint *pauco, multo tempore;* tum vero Praepositio εν sumenda sit *temporaliter* sive *de tempore intra quod*, ut Joan. II : 19. — Verbo ευχομαι hoc loco, propter additum Dativum *directionis* τῳ. Θεῳ (TOT GOD *bidden*), tribuenda est notio *precandi*. Graeca ευξαιμην αν τῳ Θεῳ Belgice reddiderim, *ik zou God wel bidden*, quando haec tantumdem valent ac ista : *ik bid God*. — De και — και *disiunctive* pro *sive*, vide Gr. pag. 464. β. Aristoteles sic dixit (*Gener. Anim.* IV, apud H. Steph. in Thes. ad voc. και) : Και κρατει, και κρατειται, *vel superat, vel superatur*. — Σημερον iungendum est cum ακουοντας. — De και abundante in locutione όποιος κἀγω,

---

[1]) VAR. LECT. Pro πολλῳ est μεγαλῳ in Codd. AB et nonnullis Minusculis; item in plurimis versionibus antiquis Lectionem μεγαλῳ Tischendorfius in textum recepit.

vide quae scripsimus pag. 62. sq. in *Dissertatione nostra Theologica*, supra (pag. 342) citata.

30—32. *Et exsurrexit rex*, etc.). Haec ubi dixerat Paulus, assurrexit Agrippa, ac Festus Procurator, et Bernice, deinde ceteri (vide Cap. XXV : 23) omnes, qui ibi *cum eis* (αυτοις Dativus *societatis*) consederant. Et inde digressi (αναχωρησαντες), inter se de Paulo loquebantur in hanc sententiam, ut dicerent : *Nihil quod morte aut vinculis dignum sit, agit* (πρασσει) *homo iste.* — Dicunt πρασσει, in praesenti, quia considerant *universum* vitae Pauli rationem sive institutum. — Agrippa autem praeterea dixit Festo : Iam *liberatus esse* (απολελυσθαι) poterat hic homo, nisi *appellasset* (επικεκλητο, ut supra pag. 326) Caesarem. — Videlicet *nunc*, post appellationem, amplius *non poterat* a Procuratore absolvi. Nam, ut notat Grotius (ad h. l.), appellatione potestas iudicis, a quo appellatum est, cessare incipit ad absolvendum, non minus quam ad condemnandum. Crimina enim integra servanda sunt cognitioni superioris.

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

ARGUMENTUM. Paulus unà cum aliis captivis custodiae centurionis cuiusdam, nomine Iulii, traditus ut naviget in Italiam, navem Adrumetinam adscendit, comitantibus cum Luca et Aristarcho. Solvunt Caesareâ, et postridie appellunt Sidonem; ubi Paulo permittitur ut navem egressus invisat Christianos, qui Sidone commorarentur, vs. 1—3. Sidone provecti, littora Cypri ad laevam praeterlegunt; atque ita, traiecto mari quod Ciliciam et Pamphyliam alluit, perveniunt Myram, urbem Lyciae maritimam, vs. 4—5. Ibi adscensa oneraria quadam navi Alexandrina, quae in Italiam tendebat, Myrâ solvunt, et post tardam multorum dierum navigationem perveniunt in locum aliquem, quem *Bonosportus* vocant. Ibi Paulus, quum iam tempus clausi maris advenisset, auctor iis est, ut a navigando desistant; verum, neglecto prudenti hoc consilio, decernunt hiemandi causa petere Phoenicem, qui portus est in Australi littore Cretae situs, vs. 6—12. Sed hoc malè illis cedit; nam, mox orta vehementi tempestate, brevi eò rediguntur, ut iam omnis spes salutis iis auferatur, vs. 13-20. Ibi Paulus moestos erigit, iubetque bono esse animo; scire enim se, quippe rem divinitus illa nocte edoctum, futuram quidem esse iacturam navis, ceterum neminem periturum; oportere autem ut in insulam quamdam eiiciantur, vs. 21—26. Ergo post multorum dierum periculosissimam navigationem, iacta noctu bolide, animadvertunt, se, quemadmodum fuerant suspicati, non procul a terra abesse; quare, ne forte inciderent in loca saxosa, iactis de puppi ancoris quatuor, diem solliciti praestolantur, vs. 27—29. Ibi Paulus nautarum perfidiam quamdam detegit, eamque prohibet, vs. 30—32. Hortatur omnes cibum ut capiant; quem exemplo praeeuntem sequuntur, expletique cibo, annonam, ad sublevandam navim, in mare proiiciunt, vs. 33-38. Mane facto, navigant ad proximum littus, sed illapsi non procul a terra in locum arenosum, illiduntur, idque ita ut brevi vi fluctuum frangenda esset navis, vs. 39—41. Milites ergo captivos suos, ne natando effugiant, occidere volunt, sed rem prohibet Centurio. Denique pars natando, pars tabulis inhaerendo, incolumes evadunt omnes in terram, vs. 42—44.

1. *Ut autem iudicatum est,* etc.). Pergit Lucas, comes Pauli: *Quum autem*, inquit, *decretum esset* (εκριθη. Impersonaliter), *ut navigaremus* (του αποπλειν ἡμας[1], dat wij zouden afvaren) *in Italiam* ad Caesarem, *tradebant* (παρεδιδουν. Impersonaliter, ut Marc. X: 13) *et Paulum et alios quosdam vinctos* (και τινας ἑτερους δεσμωτας) *centurioni cuidam, nomine Iulio, cohortis Augustae* (σπειρης Σεβαστης), i. e. qui ad cohortem Augustam pertinebat.

Του αποπλειν Infinitivus *finis* est; ratio quidem *finis* minus hic

[1]) VAR. LECT. Pro ἡμας legitur αυτον, sed tantum inter lectiones Velesianas.

apparet, concipi tamen potest. Confer Nostratium : *ik vroeg u om met mij te gaan wandelen.* Ceterum, de laxiore usu Infinitivi *finis* vide Gr. pag. 355 sq. — Dicitur ἡμας, quia Lucas, Historiographus noster, in comitatu erat. — Ονοματι est Dativus *relationis.* — Σπειρη Σεβαστη quaenam intelligatur, non satis certo constat. Σεβαστος, *Augustus*, cognomen fuit tributum Imperatori Romano inde a Caesare Octavio, a quo haec appellatio sumsisse initium traditur. Mox autem hoc epitheto appellatae fuere nonnullae quoque res, quae ad Imperatores pertinerent; sic (apud Mart. VII, 39) *Augusta aula* est aula Domitiani; sic a Claudiano (de Bello Gildonico, vs. 422) memoratur *legio Augusta*, et a Ptolemaeo (Lib. II, 3. apud Wetsten. ad h. l.) λεγιων Σεβαστη. Quare non improbabilis est Grotii coniectura, *cohortem Augustam* esse intelligendam *cohortem* unam aliquam ex *legione Augusta*. Aliam hac de re coniecturam, sed, ut mihi quidem videtur, minus probabilem, protulit *Schwarzius* in *Dissertatione de cohorte Italica et Augusta*, pag. 43 sqq. — Interpres noster vocem δεσμωται reddit *custodiae*, nec male; nam vocem *custodiae* de *captivis* usurparunt etiam Suetonius, aliique scriptores bene Latini, quos recenset Grotius ad h. l. Ceterum versio Vulgata, ut recte huius loci (vs. 1, 2) sensum expressit, ita tamen liberior hic est quam pro more; atque etiam ex duabus periodis Graecis unam fecit Latinam.

2—3. *Ascendentes navem*, etc.). *Quum* autem *inscendissemus* (επιβαντες) *navem quamdam* (πλοιῳ) Adramyttenam (*vel* Adrumetinam), loca *Asiae littoralia* (κατα την Ασιαν) *obituri* (μελλοντες[1] πλεῖν), Caesareâ *solvimus* (ανηχθημην. vide supra pag 12), comitante nos Aristarcho (Cap. XIX : 29), Macedone ex Thessalonica. *Et altera die* (τῃ τε ἑτερᾳ scil. ἡμερᾳ) Sidonem *appulimus* (κατηχ-

[1]) VAR. LECT. Pro μελλοντες legitur μελλοντι in Codd. AB multisque Minusculis, et plurimis antiquis versionibus. Lectionem μελλοντι Tischendorfius in textum recepit.

θημεν ut ανηχθημεν). Et (τε) Iulius centurio *Paulo humaniter usus* (φιλανθρωπως τῳ Παυλῳ χρησαμενος), eidem permisit, ut Sidonios suos amicos adiret eorumque cura frueretur. — Videlicet Paulus custodi suo Iulio significaverit, commorari Sidone nonnullos Christianos.

Επιβαινειν πλοιῳ cum Dativo *locali*, ut Cap. XXV : 1. Videsis quae ad eum locum notavimus. — *Adramytteum* (Αδραμυττιον, Αδραμυττειον) urbs erat Mysiae maritima. Vide Cellarii *Notit. orbis antiqui* Lib. III, Cap. III, Sect. I, XXIII. *Adrumetum* autem, quod Auctor Vulgatae hoc loco habet, Africae urbs maritima erat, Byzacenae provinciae Metropolis. Vide Cellar. ibid. Lib. IV, Cap. IV, Sect. 1, VI. *Adramyttena* (sive Adrumetina) *navis* dicitur, quia ibidem aut fuerat constructa, aut inde venerat. Vide Walchii *Antiqq. Nautic.* pag. 3. 2.

Πλειν communiter quidem solet *intransitive* significare, nonnumquam tamen et *transitive* adhibitum occurrit. Eodem modo etiam Latini Verbum *navigare* nonnumquam adhibuerunt significatione *transitiva;* sic Suetonius (in vita Claudii Cap. 1) dixit : *Oceanum septentrionalem primus Romanorum ducum navigavit.* Cum verbis πλειν et *navigare*, transitive significantibus, conferri potest Nostratium *bevaren*. Atque hanc notionem verbo πλειν hoc loco tribuendam esse putaverim. — Quodsi pro μελλοντες mavis legere μελλοντι (vid. Var. lect.), vertendum sit : quum inscendissemus navem quamdam, loca Asiae littoralia *obituram*. Posterior haec lectio sensum praebet longe faciliorem intellectu. — Fuisse videtur illud navigium navis quaedam oneraria, quae commercii causa, varias Asiae littoralis urbes adiret. — Χρησθαι τινι, *uti aliquo*, hic valet *tractare aliquem*. In επετρεψε πορευθεντα[1] τυχειν Syntaxis talis est, qualis est frequentissima illa *Accusativi cum Infinitivo.*

---

[1]) VAR. LECT. Pro πορευθεντα est πορευθεντι in Codd. AB et nonnullis Minusculis.

4—5. *Et inde cum sustulissemus*, etc.). Pergit Lucas : Et *quum* hinc (scil. Sidone) *solvissemus* (αναχθεντες ut vs. 2), non commisimus nos alto mari, sed *littora* insulae *Cypri* ad laevam *praeterlegimus* (ὑπεπλευσαμεν την Κυπρον, wij voeren onder Cyprus heen), quia venti contrarii erant. Atque ita *traiecto* (διαπλευσαντες) mari quod est *contra* (κατα langs) Ciliciam, *pervenimus* (κατηλθομεν) Myram, urbem Lyciae maritimam. Pro *Myra*[1] est, secundum lectionem Vulgatae, *Lystra;* sed Lystra urbs est Lycaoniae, non vero Lyciae; nec maritima urbs Lystra est, sed procul a mari in continente sita. Vide Cap. XIV : 6. « Navis, quod hic notat Walchius (Antiqq. Nautic. pag. 13), si rectum tenuisset aut tenere potuisset cursum, australem insulae Cypri oram legere debuisset; verum propter ventos contrarios (δια τους ανεμους ειναι εναντιους), id est, propter Aparctiam huicque adfines, Aquilonem, Boream et Caeciam, quibus ad Libyae oras pulsa navis fuisset, necesse visum est, a recto cursu deflectere, et littus Ciliciae inter Cyprum et Asiam legere. »

6—8. *Et ibi inveniens centurio*, etc.). Pergit Lucas : Atque ibi (scil. Myrae) Centurio noster Iulius *nactus* (εὑρων) navem Alexandrinam, *quae iam iam navigatura erat* (πλεον. Participium, ut διαπερῶν, supra Cap. XXI : 1) in Italiam, nos in illam *imposuit* (ενεβιβασεν). Diebus *autem* (δε) *sat multis* (ἱκαναις) ob ventos adversos *tarde navigantes* (βραδυπλοοῦντες Particip. Imperf.), quum *aegre* (μολις) contra insulam Cnidum *pervenissemus* (γενομενοι Aor.), vento (Aquilone) nos *non admittente* (μη προσεῶντος), i. e. prohibente nos ad Cnidum appellere, *navigavimus infra Cretam* (ὑπεπλευσαμεν την Κρητην) iuxta Salmonem, Cretae promontorium. Et Cretam (αυτην scil. Cretam) *difficulter* (μολις) *praeternavigantes*

[1] Var. lect. Pro Μυρα est Λυστρα in Cod. A, et nonnullis antiquis versionibus.

(παραλεγομενοι) venimus ad locum aliquem, qui vocatur *Boni portus*, cui loco vicina erat civitas Lassaea (Vulg. *Thalassa*).

Εμβιβαζειν vox nautica est de hominibus, qui navi imponuntur; exempla dat Kuinoel ad h. l. Praepositio εν (vs. 7) sumitur *temporaliter*, valetque Gallicum *pendant*, ut Ioan. V : 7. De notione vocis γενομενοι hoc loco, vide ad Cap. XXI : 17. — *Legere oram* Latini dicunt; *praeterlegere oram* Graeci dixerunt παραλεγεσθαι. — *Creta* hodie Candia vocatur.

9—10. *Multo autem tempore peracto*, etc.), Pergit Lucas : *Cum* autem ibi (in *Bonis portubus*), dum exspectabant ventos commodos, *sat multum* (ἱκανου) temporis esset peractum, et *periculosa* (επισφαλους) iam esset *navigatio* (του πλοός pro πλους. vide Gr. pag. 42), eo quòd etiam ieiunium mensis Tishri iam praeteriisset, Paulus nautas *admonebat* (παρῄνει) ut ibi hiemarent, dicens eis : Viri, praevideo, *navigationem nostram* (τον πλουν), si iam continuetur, *futuram esse* (μελλειν εσεσθαι) coniunctam *cum iniuria* (μετα ὑβρεως) tempestatum multoque damno, eoque non tantum oneris et navis, verum etiam *vitarum nostrarum* (των ψυχων ἡμων). — Se ibi non esse periturum, Paulus divinitus (Cap. XXIII : 11) sciebat; loquitur ergo hic *communicative*, ut aiunt; quae vero hoc loco dicit, non fuerat divinitus edoctus, ut fuit ea quae dicit infra vs. 22, 23.

« Lucas, quod hic notat Kuinoel, more Iudaico, certum anni tempus a festo celebriori descripsit. Etenim per την νηστειαν intelligendum est *ieiunium magnum Iudaeorum*, sive *dies expiationis*[1]. Hic dies a Iosepho, Philone, et magistris Iudaeis κατ' ἐξοχην vocabatur νηστεια. Vide Phil. *Vit. Mos.* Lib. 2. pag. 657... Dies autem expiationis in diem decimum mensis Tishri incidebat; qui quidem mensis est pars Septembris et Octobris nostri. Sed tempus pericu-

[1]) Vocatur ea dies יום הַכִּפֻּרִים Levitic. Cap. XXIII : 26; Judaeis nostratibus est *de groote verzoendag*.

losae navigationis eum Autumno incipere indicabant veteres. Quare Romani mare claudebant ante diem III Id. Novembres usque ad VI Id. Martias, a quo die usque ad III Id. Novembres apertum erat. Vegetius (*de Re militari* IV. 39) : *Ex die III Iduum Novembris usque in diem VI Iduum Martii, maria clauduntur. Nam lux minima, noxque prolixa, nubium densitas, aeris obscuritas, ventorum, imbrium vel nivium geminata saevitia non solum classes a pelago, sed etiam commeantes a terrestri itinere deturbat.* » — Confer etiam Wolfium in *Curis* ad h. l. In θεωρῶ ὅτι — μελλειν duplex Syntaxis permixta est; nam aut scribendum erat : Θεωρῶ ὅτι ὁ πλους μετα ὑβρεως — μελλει εσεσθαι, aut ita : θεωρῶ τον πλουν μετα ὑβρεως — μελλειν εσεσθαι.

11—12. *Centurio autem*, etc.). Centurio autem magis *credebat* (επειθετο) gubernatori navis *ejusque domino* (τῳ ναυκληρῳ) quam Pauli dictis. Cum autem portus ille non esset idoneus (ανευθετου, *niet wel gelegen*) *ad hiemationem* (προς παραχειμασιαν, *ter overwintering*), *plerique* (οἱ πλειους) dederunt consilium (βουλην εθεντο. Aor. 2. Med.) *etiam hinc* (κἀκειθεν) solvendi, experturi an forte possent Phoeniceen pervenire ibique hiemare. — Phoenix Cretae portus erat, qui respiciebat ad Africum et ad Corum.

Επειθετο (Passiv.) *persuaderi sibi patiebatur, credidit*, sequente Dativo pro ὑπο cum Genitivo, ut supra Cap. XXIII : 21. — Αναχθηναι Infinitivus nominascens est qui pendet a βουλην. De locutione βουλην εθεντο videsis Raphelii Annott. ad h. l. — De Ellipsi vocis *experturi*, quam supplevimus ante ὁπως, vide *Bosii Ellipses* edit. *Schaefer*, pag. 651, sq., et Matthiä § 526. « Portus ille, quod notat Kuinoel (ad h. l.), incurvus erat, ita ut versus Austrum in mare prominens, curvitate sua, non modo Africo sed et Cauro patuerit. — Λιψ, *Africus*, ventus inter Occidentem et Meridiem spirans (zuidwestewind); Χωρος, *Corus* sive *Caurus*, ventus e regione ea, quae inter Occidentem et Septentrionem est, spirans

(noordwestewind). In hac autem orationis serie λιψ et Χωρος ipsas coeli plagas, unde flant, designant. » Χωρος proprie vox latina est; Virgil. Georgic. III, 356 : *spirantes frigora Cauri*. Ventus ille Graeco vocabulo dicebatur αργεστης.

13—15. *Aspirante autem Austro*, etc.). Quum autem *leniter flare coepisset* (ὑποπνευσαντος) Auster, *rati* (δοξαντες) se voto suo Phoenicem perveniendi iam veluti *potitos esse* (κεκρατηκεναι), *sublatis* (αραντες) anchoris, Cretae oram *propius* (ασσον) legebant. Verum haud multo post *ruit* (εϐαλε) contra Cretam ventus *turbulentus* (τυφωνικος), qui vocatur Euroaquilo[1]. Huius autem venti impetu quum a Creta *abrepta esset navis* (συναρπασθεντος του πλοιου), nec valeret vento reluctari, navem vento permisimus, atque ita per mare ferebamur, ignari quò tempestatis vis nos esset abreptura.

Praepositio ὑπο in Compositis habet etiam vim *minuendi*. « *Boniportus* (καλοι λιμενες. vs. 8), notat Heinrichs (ad h. l.), ubi adhuc degebant, in meridionali insulae littore *versus orientem*, haud procul a promontorio Salmonio, situs erat; at Phoenix, cuius portum petebant, in eadem quidem ora australi mari adiacebat, verum *versus occidentem*. Iam igitur occidentem versus tendentibus viatoribus non quidem secundissimus, verumtamen haudquaquam adversarius erat Auster. » Adhibitum est Perfectum κεκρατηκεναι, quia iam *pro certo* habebant se Phoenicem perventuros. Ἡ προθεσις, animi *propositum*. Αραντες (Particip. Aor.). *cum sustulissent*, scil. τας αγκυρας, de qua Ellipsi videsis Lamb. Bosii Ellipses; edit. Schaefer pag. 14. sq. — Ασσον Comparativi forma rarior ab αγχι, *prope*. Vide Kühner § 327, 4. Interpres noster vocabulum ασσον habuit pro nomine proprio cuiusdam loci insulae Cretae. — Μετὰ ου πολυ, scil. διαστημα χρονου, *intervallum temporis*. Vide Schaef.

---

[1]) Var. lect. Pro Ευροκλυδων est Ευρακηλων in Codd. AB et nonnullis antiquis versionibus.

Ellipses, pag. 103. sq. — Βαλλειν hoc loco significat *intransitive*, ut in hoc Homeri (Iliad. XI, 722) : Ποταμος εις ἁλα βαλλων. — *Euroaquilo* ventus est inter Eurum et Aquilonem. Ευροκλυδων (ab ευρυς *latus* et κλυδων *fluctus*) videtur esse ventus *latos fluctus excitans*, quasi dicas, *de breedgolvige*. Auctor *Etymologici magni* : Τυφων εστι ἡ του ανεμου σφοδρα πνοη, ὁς και ευροκλυδων καλεῖται. Αντοφθαλμειν proprie est *contra intueri*, ut solent audaces; hinc *resistere*. Επιδοντες, scil. το πλοιον, *data nave*, puta *vento*.

16—17. *In insulam autem*, etc.). Quum autem *devecti essemus infra insululam quamdam* (νησιον δε τι ὑποδραμοντες), nomine Caudam (*vel* Clauden), aegre valuimus *compotes fieri* (περικρατεις γενεσθαι) *scaphae nostrae* (της σκαφης), h. e. non nisi difficulter, ob vehementiam tempestatis, potuimus scapham (*de sloep*), navi nostrae alligatam, ex mari in navim attollere. Scapham ergo *cum sustulissent* (αραντες) nautae, *adiumentis* (βοηθειαις) utebantur navim *succingentes* (ὑποζωννυντες) ad eam firmandam; *cumque timerent* (φοβουμενοι τε) ne *in Syrtin Africanam* (εις την Συρτιν) inciderent, demiserunt *vela* (το σκευος), atque *ita sine velis* (οὑτως) per mare ferebantur.

Ὑποτρεχειν *transitive*, ut ὑποπλεῖν supra vs. 4, 7.; ὑποδραμοντες Belgice reddideris : *onder een eilandje geloopen zijnde*. — Quaenam fuerit illa navium *succingendarum ratio*, adhuc, quod sciam, satis non constat. Coniicit Raphelius (in *Annott.* ad h. l.), succinctam navim fuisse *funibus utrinque sub fundum navis adductis et ita utraque navis latera adstringentibus, ne vi ventorum et fluctuum dissiliret*. Eo autem firmari potest haec coniectura, quod Hesychio ὑποζευματα sunt σχοινια κατα μεσην την νουν δεσμευομενα. Quae ergo ad navim hoc modo firmandam instrumenta adhiberi solerent, ea αἱ βοηθειαι dictae fuerint. — Vox σκὲυος proprie significat *vas* aut *instrumentem*, adeoque dici possit et de omni nautica suppellectile. Hoc autem loco το σκευος (*het tuig*) speciatim dictum esse de *velis* (het zeiltuig), facile crediderim ob additum verbum

χαλαν, tum etiam ob seriem narrationis. Συρτις, *Syrtis* a συρω, *traho*, dicta, vocatur *quivis tractus maris arenosus*. Speciatim vero Syrtes olim vocabantur loca arenosa duo in littore Africae; duarum istarum Syrtium ea, quae a Creta venientibus prior obvia erat, *Syrtis maior* dicebatur, altera *Syrtis minoris* nomen habebat.

18—20. *Valida autem*, etc.). Cum autem *tempestate iactaremur* (χειμαζομενων. Particip. Imperfecti) *vehementer* (σφοδρως), nautae sequenti die *iactum* (εκβολην) mercium fecerunt levandae navis gratia. Et die tertia (i. e. postridie), perseverante tempestate, *nostris ipsi viatores manibus* (αυτοχειρες) navis *suppellectilem* (την σκευην, puta mensas, scamna, lectos, cetera) proiecimus in mare. Cum autem per complures dies neque sidera apparerent, et *gravissima* (ουκ ολιγου) tempestas mari *continuo incumberet* (επικειμενου. Particip. Imperfecti), iam *porro* (λοιπον) *prorsus auferebatur* (περιηρειτο) omnis spes salutis. — Paulus tamen se evasurum, quo modo cumque tandem, certo noverat. Vide supra, Cap. XXIII : 11.

Verba την σκευην του πλοιου Interpres noster reddidit *armamenta navis*, quibus vocibus si vela, ancoras, funes, trabes, et cetera huiusmodi intellexerit, vereor ut assecutus sit verborum sensum. Nam his rebus carere non poterant, et anchoras non fuisse proiectas ex vs. 29 discimus. — Ουκ ολιγου dictum est per *Litoten*. — Επι ut supra pag. 127. — Του σωζεσθαι est Infinitivus nominascens, qui pendet ab antegresso ελπις. Belgice hic dixeris : *alle hoop van behouden te worden*. De praepositione περι in Compositis videsis Zeunium ad Viger. Cap. IX. Sect. VII, § IX.

21—26. *Et cum multa ieiunatio fuisset*, etc.). Quum autem prae moerore, ob continuum metum naufragii, a cibo sumendo fere abstinerent (ὑπαρχουσης. Particip. Imperfecti), *tum* (τοτε) Paulus, ut in his angustiis sociis suis animos adderet, *sistens se* (σταθεις) *in medio eorum*, i. e. inter eos, sic illos allocutus est : Oportebat

quidem (μεν), o viri, obtemperasse mihi (vs. 10) nce *solvere* (αναγεσθαι) a Creta, *atque* ita *fecisse lucrum iniuriae huius et damni* (κερδησαι τε την ὑβριν ταυτην και την ζημιαν), i. e. vitasse huius tempestatis iniurias et damnum inde contractum. Et nunc adhortor vos ut *bono sitis animo* (ευθυμειν. *welgemoed te wezen*); nemo enim ex vobis peribit, sed tantum navigii iactura erit. Atque haec certo novi; *nam* (γαρ) noete hac nuncius aliquis (αγγελος) Dei, *cuius* (servus) *sum* (οὐ ειμι) quemque colo, mihi *adstitit* (παρεστη), et dixit : Ne metuas, Paule, oportet te stare (παραστηναι) *coram* Caesare; non hie peribis! Et eece, donavit tibi Deus (tui causà servabit) omnes qui teenm navigant! Quapropter bono animo estote, viri! Fidem enim Deo habeo, nihilque adeo dubito, quin sic futurum sit, quemadmodum divinitus mihi dietum est. In insulam autem quamdam oportet nos *impingere* (εκπεσειν), ibique, fracta nave, servabimur.

Ασιτια proprie est *inedia*. Πολλης ασιτιας ὑπαρχουσης, *cum multa inedia esset*.— Σταθεις Particip. Aor. 1 Passiv. eum notione reflexiva, ut supra Cap. II : 14. — Εδει, *oportebat*. Nostrates in istiusmodi oratione Plusquamperfeeto utuntur. — Μεν (vs. 21) est hic *solitarium*, ut Cap. I : 1. Pro τα νυν δε, quod hic dieere potuisset, Paulus orationem (vs. 22) continuavit per και. — Graece verbotenus est : *Oportebat quidem, o viri, mihi obsecutos non solvere a Creta*, etc. Syntaxis talis est, qualis in hoc Ep. ad Hebr. VI : 18 : αδυνατον ψευσασθαι Θεον. — Κερδαινω in Infinitivo Aoristi κερδᾶναι, sed apud Ionicos et Seriores etiam oecurrit κέρδησαι. Cf. Matthia § 240 et vide Gr. pag. 71. Ceterum monendum est, κερδησαι, *lucrum facere* etiam eatenus dixisse antiquos, quatenus *damnum* aut *malum aliquod evitarent*. Exempla dat Wetstenius ad h. l. — Graeca αποβολη — πλοιου verbotenus reddita sic sonant : *amissio enim vitae* (levensverlies) *nulla erit ex vobis, praeter navis*, i. e. *praeter amissionem navis*; nam Genitivus του πλοιου pendet a voce αποβολη. Est autem in hac loquendi ratione quaedam breviloquentia.

Quod attinet ad visionem, quae hic, vs. 23, refertur, ambigi potest, utrum vigilanti Paulo obtigerit, an vero dormienti, puta per somnium divinitus illi immissum; prius tamen mihi videtur verosimilius, quum credibile sit, Paulum illa nocte in tanto periculo non dormivisse, sed orasse. — Κεχαρισται Perfectum Passivum significatione Media, ut προσκεκλημαι supra, Cap. XIII : 2.

27—29. *Sed posteaquam quartadecima*, etc.). Cum autem *facta esset* (εγενετο) nox decimaquarta post relictos *Bonosportus* (vs. 8), ac in mari Adriatico (εν τῳ Αδριᾳ) *huc atque illuc ferremur* (διαφερομενων), nautae circa mediam noctem *suspicabantur* (ὑπενοουν), *continentem aliquam terram* (τινα χωραν) sibi *appropinquare* (προσαγειν). *Cumque perpendiculum nauticum* (het dieplood) *demisissent* (βολισαντες), profunditatem maris exploraturi, repererunt *passus viginti* (οργυιας εικοσι) i. e. profunditatem passuum viginti; paululum autem ab eo loco *digressi* (διαστησαντες), *perpendiculo iterum demisso* (παλιν βολισαντες[1]), repererunt passus quindecim. — Ex hoc experimento didicerunt, minui profunditatem maris , quòd erat indicium terrae propinquae. *Cumque*, quò irent ob noctis tenebras ignari, *timerent* (φοβουμενοι τε) nautae, ne ob propinquitatem terrae in loca scopulosa incideremus, iactis de puppi anchoris quatuor, optabant ut dies oriretur, quo agnoscerent ubi essent.

Ὁ Αδριας, ιου, scil. πoντος, κολπος, πελαγος, *mare Adriaticum*. « Non sinus Adriaticus inter Italiam et Dalmatiam intelligitur, qui nunc mare Adriaticum nominatur, sed, ex more loquendi veterum, mare inter Graeciam, Italiam et Africam, ita ut maria Ionicum, Creticum, Siculum, hoc nomine comprehendantur. » Kuinoel ad h. l. — Διαφερεσθαι, *huc illuc ferri*, ut in hoc Philonis (de Migra-

---

[1]) VAR. LECT. Verba και παλιν βολισαντες a Vulgata absunt, leguntur autem in Codd. Graecis omnibus, exceptis tantum duobus Minusculis.

tione Abrahae; apud Wetsten. ad h. l.) : ὥσπερ σκαφος ὑπ' εναντιων πνευματων διαφερομενον. — Προσαγειν hic *intransitive* significat, ut αγειν Matth. XXVI : 46. Lucas *optice* loquitur, quo modo Virgilius dixit : *Provehimur portu, terrae urbesque* RECEDUNT. — Διαστησαντες proprie valet *cum fecissent discessionem* (ab eo loco); est enim in Aoristo primo, in quo est vis *activa* in his verbis, ut dictum fuit supra ad Cap. I : 3. Βραχυ scil. διαστημα. vide Schaefer Ellips. pag. 103. Βραχυ est Accusativus *objecti quantitativi*, ut aiunt; vide Gr. pag. 234. Similis Accusativus est in hoc Lucae XXII : 41 : απεσπασθη απ' αυτων ὡσει λιθου βολην. — Οργυια, *passus* (a *pandendo*), ab ορεγω, *expando*, intelligitur *spatium quod est inter expansas utrinque manus;* Nostratium *een vadem*. Etymolog. M. : Οργυια σημαινει την εκτασιν των χειρων συν τῳ πλατει του στηθεος· παρα του ορεγειν και εκτεινειν τα γυια, ὁ εστι, τας χειρας.

30—32. *Nautis vero quaerentibus fugere*, etc.). *Cum autem nautae*, Pauli dictis (vs. 22, sqq.) non credentes, atque in communi hoc periculo de sua tantum salute solliciti, *e navi effugere quaererent* (των δε ναυτων ζητουντων φυγειν εκ του πλοιου) in propinquam terram, *et* in hunc finem *scapham* (vs. 16) *demisissent in mare* (και χαλασαντων την σκαφην εις την θαλασσην) sub praetextu (προφασει in Dativo *Instrumenti*) quasi a prora ancoras *essent extensuri* (μελλοντων εκτεινειν); tum Paulus, qui fraudem hanc olfaceret, aut divinitus esset de re admonitus, Iulio centurioni et militibus dixit, digito demonstrans nautas : Nisi isti manserint in nave, vos servari non potestis! Quo audito, milites funes scaphae (i. e. funes quibus demissa ex navi scapha adhuc retinebatur) inciderunt, eamque elabi siverunt.

Deus, inquit Calmetus (ad h. l.), Paulo revelaverat, neminem ex illis, qui erant in navi, esse periturum; sed non promiserat, se patraturum miracula ut salvi fierent, licet omnibus humanis subsidiis

carerent. Mens illius erat, ut omnes in navi permanerent, atque mutuo sese iuvarent auxilio, et nihil intentatum relinquerent quod ars atque industria suggereret. Atqui in tanto periculo nequaquam nautarum arte atque industria carere poterant.

Praetexuerant nautae, velle se etiam a prora navigium ancoris infrenare; quod ut praestarent, necesse erat ut ancoras, scaphae impositas, paululum a navigio remoti in mare iactarent. — Participium μελλοντων non pendet a προφασει, sed est Genitivus *absolutus*, qualem solent adhibere Graeci post Particulam ὡς, ubi *quasi* notat. Cf. Zeunium ad Viger. Cap. VIII, sect. X, III.

33—34. *Et cum lux inciperet fieri*, etc.). Eadem autem nocte (vs. 29) Paulus *usque dum lucesceret* (αχρις οὗ εμελλεν ἡμερα γινεσθαι) *continuo adhortabatur* (παρεκαλει, Imperfectum de actu saepe iterato) omnes, ut cibum caperent, dicens : Agitur hodie dies decimus quartus ex quo, *exspectantes* (προσδοκῶντες) finem tempestatis, *ieiuni permanetis* (ασιτοι διατελειτε), nullo sumpto cibo. Quapropter hortor vos, ut cibum sumatis; hoc enim ad salutem vestram facit. Sic enim pares eritis perferendo labores, qui subeundi vobis erunt ad evadendum in terram. Nam, ut dixi, evadetis, nec ulli vestrûm vel capillus de capite peribit.

Αχρις οὗ, *usque dum*, ut supra, Cap. VII : 18 et Hebr. III : 13. Graeca Belgice valent : *tot dat het dag wilde worden*, i. e. *begon te worden*. — Τεσσαρεσκαιδεκατην ἡμεραν est accusativus *obiecti temporalis*, ut supra, Cap. XIII : 21. Vide Gr. pag. 233. 6. — Verbum διατελειν hic construitur cum adiectivo *statum* indicante; eodem modo Ælianus (Var. Hist. Lib. X, 6) dixit : διετελεσεν ανοσος. Notandum autem est, structuram hanc esse rariorem, et solere istiusmodi verbis iungi Participia. Vide Gr. pag. 369, 1. — Quod dicitur ασιτοι διατελειτε, μηδεν προσλαβομενοι, illud non nimis premendum est. Nempe non omnino ab omni cibo abstinuerint, sed ob continuum, in quo versarentur, mortis periculum,

vix quidquam alimenti ceperint. Ceterum, recte Paulus monebat, ut corpora cibo reficerent; videlicet intellexerit (cf. vs. 31), evasuros omnes *ea conditione*, ut non omitterent quae in istiusmodi rerum adiunctis facere humana prudentia suaderet. Ad quae etiam pertinebat iusto prandio corpora curare, quo ferre possent labores qui subeundi essent, ut fracto navigio in terram evaderent. — Verba τουτο γαρ προς της ὑμετερας σωτηριας ὑπαρχει Latine valent : *hoc enim e salute vestra est*, h. e. ad salutem vestram conducit. Hanc potestatem habet Praepositio προς, si cum Genitivo struatur. Vide Gr. pag. 404, F. — Ουδενος γαρ ὑμων θριξ εκ της κεφαλης απολειται, quod verbotenus Latine sonat, *nullius enim vestrûm capillus de capite peribit*, dictum est proverbialiter.

35—38. *Et cum haec dixisset*, etc.). Talia autem locutus (ειπων Aor. 2), in manus sumsit panem, et, post gratias coram omnibus actas Deo bonorum omnium largitori, fregit coepitque comedere. Eo autem sermone et exemplo Pauli erecti animo omnes, etiam ipsi cibum sumpserunt. Eramus autem in navigio *animae ad unam omnes* (αἱ πασαι ψυχαι), ducentae septuaginta sex. Saturati autem cibo, iam, quo propius possent appellere ad terram, navem *allevabant* (εκουφιζον), *alimenta* (τον σιτον) in mare proiiciendo. — Ευθυμοι γενομενοι, *welgemoed geworden zijnde*.

39—40. *Quum autem dies factus esset*, etc.). Ubi vero diluxisset, *terram illam, a qua prope aberant* (την γην), non *agnoscebant* (επεγινωσκον), i. e. ignorabant, quo nomine vocaretur; *animadvertebant* (κατενοουν) autem ibi sinum maris quemdam, non praeruptis rupibus cinctum sed *habentem littus* (εχοντα αιγιαλον), ad quod (cf. vs. 40) statuerunt, si possent, navem impellere. Itaque ancoras (vs. 29) *amputarunt* (περιελοντες) easque in fundo maris (εις την θαλασσην) *siverunt* (ειων) haerere; insimul laxarunt *vincula* (τας

ζευκτηριας) gubernaculorum[1], et mox *sublato in altum* (επαραντες) et expanso *ad ventum* (τη πνεουση scil. αυρᾳ. Dativus *directionis* : voor den wind) *artemone* (*het bramzeil?*), tendebant ad littus.

Περιελοντες (Aor. 2 a περιαιρεω, dicam rectius, ab *inusitato* περιέλω) τας αγκυρας, *de ankers gekapt hebbende*. Περιαιρειν dictum fuisse etiam de *amputando*, certum est. Sic περιαιρουμενη αμπελος dicebatur *vitis amputatis sarmentis*. Cf. Henr. Steph. in Thes. ad h. l. Cogita quatuor illas ancoras (vs. 19) puppim navis veluti *cinxisse* (περι). — Verba ειων εις την θαλασσην Interpres noster reddidit : *committebant se mari;* existimaverit ergo, illa verba dicta esse ellipticè pro ειων το πλοιον ιεναι εις την θαλασσην, *siverunt navem ire in mare*. Vereor ut rectè; necdum enim omnia parata erant ad navigandum. Ego certè putaverim, verbum εαω sumendum hic esse ut supra, Cap. XVI : 7, ubi Infinitivus πορευεσθαι e contextu supplendus est. Cf. etiam Cap. XIX : 30. Ita pariter hoc loco e contextu suppleverim μενειν vel κεισθαι, ut in hoc Diodori Siculi (Lib. V : 35, apud Wahl.) : Ελασματα (lamiuas) γαρ σιδηρου κατακρυπτουσιν εις την γην και ταυτα ἐῶσι, scil. μενειν vel κεισθαι. Cum Graeca illa phrasi, ειων εις την θαλασσαν, conferri potest Nostratium : *zij lieten ze* (de ankers) *in de zee*. — Ὁ αρτεμων intelligitur velum aliquod in navi; sed quale intelligendum sit, necdum, quod sciam, certò constat. Verisimillimum mihi videtur, τον αρτεμονα esse velum illud parvum, quod in summitate mali supra majus velum appenditur, et dirigendae potius navis causa quam agendae adhibetur. Ita scutit Scheffer (*de Milit. nav.*, V. 2, apud Facciolati ad h. v.), secutus Isid. Or. XIX : 3. Hoc velum a

---

[1]) In antiquis navibus bina erant gubernacula, unum in prora, alterum in puppi. « Ea gubernacula annectebantur navi vinculis quibusdam, quae hic Graece Lucas ζευκτηριας vocat, Latinus *juncturas*, quomodo in Glossario ζευξις, *junctura*.

Cum laxantur ea vincula, tunc gubernacula multum in aquas descendunt, et pondere suo navem retinent, quominus a ventis evertatur. » Grotius ad h. l.

Nostratibus vocatur *het bramzeil*. Velum illud quod ad puppim navis est (*de bezaan* vel *het schoverzeil*), quodque Galli vocare solent *la voile de l'artimon*, illud Graecis proprio nomine dicebatur επιδρομον (ιστιον). Hesychius certè scribit, επιδρομον dici το ιστιον το εν τη πρυμνη κρεμαμενον. — Κατεχειν scil. το πλοιον in re nautica dicitur de *dirigendo navem aliquò*. Herodotus VII. 188 (apud Wetst. ad h. l.) : Ες Σαλαμινα κατεσχον τας νεας. Polybius I. 25 : Κατεσχον εις Μεσσηνην. Hinc Scholiastes (ad Thucyd. IV. 54) κατασχοντες interpretatur προσορμισαντες.

41—44. *Et cum incidissemus*, etc.). Pergit Lucas : *Illapsi* (περιπεσοντες) autem in *bimarem*[1] (διθαλασσον) aliquem locum, ibi *sunt illisi* (επωκειλαν); idque ita, ut prora quidem *postquam se illisisset* (ερεισασα scil. ἑαυτην) *immobilis maneret* (εμεινεν ασαλευτος) vado infixa, puppis verò vi *maris* sive *fluctuum* (των κυματων) dissolveretur. Ergo cum brevi penitus frangenda esset navis, iam nihil aliud supererat nisi ut, aut natando aut tabulae alicui inhaerendo, suae quisque vitae consuleret. *Sed* (δε) hic milites consilium ceperunt *captivos* (τους δεσμωτας, vs. 1) occidendi, ne quis forte, *quum enatasset* (εκκολυμβησας), effugeret. Centurio autem Paulum servare cupiens, *eos ab hoc consilio prohibuit* (εκωλυσεν αυτους του βουλευματος), jussitque eos qui natare possent ut se *primos abjicerent* (απορριψαντας πρωτους) in mare et natando *in terram evaderent* (επι την γην εξιεναι); *et reliquos* (και τους λοιπους), qui natare non possent, in terram se recipere jussit, *partim* (οὓς μεν) *in tabulis* (επι σανισιν, op planken), quae in navi reperirentur, *partim* (οὓς δε) in tabulis ad hunc finem *de navi* avulsis (επι τινων των απο του πλοιου). Atque hoc modo factum est, ut omnes salvi evaderent in terram (*dat zij allen behouden aan land kwamen*.

[1]) Intelligitur pars terrae continentis in mare protensae, quae utrinque alto mari alluitur : *une langue de terre*. Interpres noster vocem Graecam hic servare maluit quam transferre; scripsit enim : *in locum dithalassum*.

Εποκελλειν (Aor. 1 επωκειλα) et *transitivè* significat (Herodot. apud Raphel. ad h. l. : Ὡς γαρ δη ταχιστα επωκειλαν την νεα οἱ Αθηναιοι), et *intransitivè*, ut in hoc Xenophontis (apud eumdem) : Ενθα των εις τον Ποντον πλεουσων νηων πολλαι οκελλουσι, i. e. *ibi pleraeque naves in Pontum profecturae alliduntur*. Verbum εποκελλειν hoc loco *intransitivè* sumendum esse, contexta oratio suadet. Pro την ναυν scribi potuisset in Dativo τῃ νηΐ, quemadmodum in Ep. ad Hebr. Cap. XII : 3 est εκλυεσθαι τῃ ψυχῃ *deficere animo*, pro quo legitur apud Diodorum Sic. XX : 1 εκλυεσθαι την ψυχην. Vide de istiusmodi Accusativo Gr. pag. 233. 6. Graeca επωκειλαν την ναῦν Belgice reddiderim : *Zij stieten aan met het schip*. — Ἱνα cum sequente Conjunctivo est hic pro Infinitivo, ut supra pag. 458. — De Optativo διαφυγοι vide Gr. pag. 504. 2. Απορριψαντες, supple ἑαυτους. Post τους λοιπους ex antegresso versiculo supplendum est εκελευσε επι την γην εξιεναι. — De Articulo (οὑς μεν — ὁυς δε) Pronominis loco adhibito, vide Gr. pag. 133. 1. — Διασωθηναι επι την γην dictum est praegnanter pro διασωθηναι και εξιεναι επι την γην. Vide supra ad Cap. XXIII : 24.

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

Argumentum. Naufragi a Melitensibus, nam in insulam Melitam evaserant, humaniter excipiuntur, vs. 1—2. Ibi a vipera morsus Paulus, nihil mali patitur; quam ob rem insulani illum pro deo quopiam habent, vs. 3—6. Patrem Publii, primi istius insulae Magistratûs, sanitati restituit, cumque hoc alios bene multos, vs. 7—10. Mensibus tribus in ea insula transactis, inde solvunt appelluntque Syracusas; ubi per triduum commorantur; hinc vero circumeuntes Siciliae plagam orientalem, perveniunt Rhegium, et mox Puteolos; indeque, post dies septem, Romam pergunt. Proficiscentibus obviam veniunt ab Urbe Christiani, alii usque ad Forum Appii, alii usque ad Tres tabernas. Romam cum venisset Paulus, permittitur illi, ut in conductis a se aedibus seorsim habitet cum unico milite, qui captivum custodiat, vs. 11—16. Tertio ab adventu suo die primores Iudaeorum ad se convocat, eisdemque causam exponit cur captivus esset, et Caesarem appellasset, vs. 17—22. Die ab ipsis constituto, tam illis quam aliis Iudaeis, qui unà cum his in hospitium suum convenerant, Evangelium praedicat. Praedicatae doctrinae alii fidem adhibent, alii non; quorum incredulitatem ab Isaia praedictam Paulus ostendit. Toto biennio manet in conducto a se hospitio, excipiens sine discrimine omnes qui illum adirent, sive Iudaei sive Gentiles, et praedicans illis doctrinam Evangelii, nemine probibente, vs. 23—31.

1—3. *Et cum evasissemus*, etc.). Continuatur narratio : Cumque *salvi evasissemus* (*διασωθεντες* scil. *επι την γην*. vide supra ad Cap. XXVII : 44) in terram, tum demùm ex incolis cognovimus (cf. Cap. XXVII : 39), Melitam (nunc *Maltam*) vocari insulam, in quam evaseramus. Incolae autem (*οἱ δε βαρβαροι*) eius regionis, calamitatem nostram miserati, humanitatem nobis praestabant *minime vulgarem* (*ου την τυχουσαν*). Nam *strue lignorum* (*πυραν*) *accensâ* (*αναψαντες*) propter *instantem* (*τον εφεστωτα*) i. e. praesentem pluviam et propter frigus, nos omnes *ad se* (sub sua tecta) *receperunt* (*προσελαβοντο*). Accidit autem, *cum* Paulus *collegisset* (*συστρεψαντος*) sarmentorum, quae ibi iacerent, *copiam quampiam* (*τι πληθος*), imposuissetque (*επιθεντος*) super ignem, ut vipera, quae inter illa sarmenta frigore torpens forte delitesceret, *prae* (*απο*[1]) *calore*

---

[1]) Var. lect. Pro *εκ* est *απο* in Codd. ABCGH multisque Minusculis, eamque lectionem Vulgata quoque exhibet.

excitato e sarmentis *prodiret* (εξελθουσα), et manui eius mordens adhaereret (καθηψε scil εαυτην, *zij hechtte zich*).

Barbari (οἱ βαρβαροι) hic appellantur Carthaginenses sive Poeni, qui Melitam eo tempore, Romanis legibus subiecti, habitabant. Illi verò dici poterant βαρβαροι eà notione, qua Graeci primùm et deinde Romani omnes eas gentes *barbaras* appellare solebant, quae non essent Graecae aut Romanae. Wolfius in *Curis* ad h. l. — De locutione ου την τυχουσαν vide supra ad Cap. XIX : 11. — Καθαπτειν cum notione *reflexiva* raro occurrit. Vide Henr. Steph. in *Thesauro* ad h. v.

4—6. *Ut vero viderunt*, etc.). Ut vero viderunt *Melitenses* (οἱ βαρβαροι), venenatam (cf. vs. 6) *bestiam* (το θηριον) de manu eius pendentem, dicebant inter se : *Profecto* (παντως) homicida aliquis est homo iste, quem ex undis *servatum* (διασωθεντα) ultrix *iustitia* (ἡ δικη) vivere non *sivit* (ειασεν)! Paulus *ergo* (μεν ουν) viperam *excussit* (αποτιναξας) in ignem, nihilque mali passus est. Illi *autem* (δε) *exspectabant* (προσεδοκων) *fore, ut* ex morsu serpentis, veneno dilapso per venas, toto corpore *intumesceret* (αυτον μελλειν πιμπρασθαι), aut, vi veneni rectò penetrante ad cor, *derepente mortuus concideret* (καταπιπτειν αφνω νεκρον). Qui cum *diu* (επι πολυ) *exspectarent* (προσδοκωντων. Particip. Imperfecti) videntque nihil mali illi accidere, *mutatà sententià* (μεταβαλλομενοι) dicebant, deum quempiam illum esse sub specie humana.

Παντως, *profecto*, ut Luc. IV, 23. — Dicunt ειασεν in Aor., quia *iam illatum* videbant morsum *letalem*. — Πιμπρασθαι est *incendi*, et hinc etiam *ex inflammatione intumescere*. Dioscorides Lib. VI (apud Suicerum ad voc. πιμπραμαι) : Τοις δε ὑπο εχιδνης δηχθεισιν οιδεῖ και εφ' ἱκανον το σωμά ξηραινεται, h. e. *Iis, qui a vipera morsi sunt, corpus tumet et vehementer arescit.*— Επι πολυ scil. διαστημα, ut supra pag. 573. Μεταβαλλεσθαι scil την γνωμην, ut *plene* dixit Fl. Iosephus (Antiqq. Lib. XIII, Cap. 20, apud Kuinoel ad h. l.) : Μεταβαλλεσθαι γνωμας εποιησεν.

7—10. *In locis autem illis*, etc.). Habebat autem *in illo terrae tractu* (εν τοις περι τον τοπον εκεινον) sua praedia *primus* eius insulae *Magistratus* (τῳ πρωτῳ), nomine Publius, qui nos (Paulum, Lucam et Aristarchum) in domum suam suscepit et *benignum* nobis per tres dies *praebuit hospitium* (φιλοφρονως εξενισεν). Accidit autem eodem tempore, ut Publii pater, febribus et *intestinorum torminibus* (δυσεντεριᾳ) *correptus*, lecto *decumberet* (συνεχομενον); ad quem Paulus ingressus est; et *post fusas ad Deum preces* (προσευξαμενος), *suas illi imponendo manus* (επιθεις τας χειρας αυτῳ) eumdem sanavit. *Hoc ergo quum accidisset* (τουτου ουν γενομενου) eiusque rei fama percrebuisset, *ceteri quoque* (και οἱ λοιποι), qui in ea insula morbo quopiam affecti erant, Paulum *adibant* (προσηρχοντο), et sanabantur. Qui etiam hanc ob rem suam erga *nos* (Paulum, Lucam et Aristarchum) *observantiam multis modis* (πολλαις τιμαις) testati sunt; *cumque in eo essemus ut inde solveremus* (και αναγομενοις), *imposuerunt* (επιθεντο) in navim quae ad iter essent necessaria. — Commorati sunt ibi ad hiemandum per menses tres.

Insula Melita sub ditione erat Praetoris Siciliae (Cic. in Verr. IV. 18); quare verisimile est, Publium hunc (τον πρωτον της νησου) legatum fuisse Praetoris Siciliae. Primum Melitensium magistratum appellatum fuisse τον πρωτον, id quidem patet ex inscriptione aliqua, in insula Melita reperta. Inscriptionem hanc exhibet Grotius ad h. l. — Αναγομενοις in Participio Praesentis de re mox futura, ut supra, pag. 500. — Αναγομενοις επεθεντο, *navigaturis imposuerunt;* nempe *de navigantibus* dixit, quod sentiebat *de navi*. — Secundum vetera quaedam Martyrologia (apud Baronium ad an. Ch. 58, § 173), Paulus eo tempore Melitenses Evangelium praedicasset, ipsumque illum Publium, Christianam religionem professum, eisdem episcopum praefecisset.

11—15. *Post menses autem tres*, etc.). Post menses autem

tres in insula Melita transactos, quum praeteriisset tempus clausi maris (vide ad Cap. XXVII : 9), a Melita *avecti sumus* (ηχθημεν) in navi quadam Alexandrina (cf. dicta ad Cap. XXVII : 2), quae in illa insula hibernaverat. *Erat huic navi insigne Castor et Pollux* (παρασημῳ Διοσκουροις). Et Syracusas *quum appulissemus* (καταχθεντες. vide ad Cap. XXI : 3), ad exponendas merces quasdam (ut videtur), ibidem per triduum sumus commorati. *Unde* (ὁθεν) quum solvissemus, *circumivimus* (περιελθοντες) Siciliae plagam orientalem, et in oppositum littus exeuntes, *pervenimus* (κατηντησαμεν) Rhegium (*olim Brutiorum, nunc Calabriae inferioris oppidum*); et post diem unam, *orto Austro* (επιγενομενου Νοτου), secunda die (δευτεραιοι) venimus Puteolos. Ubi *quum reperissemus* (εὑροντες) *Christianos nonnullos* (αδελφους), ab his rogati sumus ut per dies septem *apud illos* (επ' αυτοις) commoraremur; atque *ita* (οὑτως, h. e. quum septem dies illos Puteolis transegissemus) venimus Romam. Et *Christiani Romani* (οἱ αδελφοι), *quum inaudivissent de nostro adventu* (ακουσαντες τα περι ἡμων), ex Urbe (εκειθεν) *in occursum* (εις απαντησιν) nobis venerunt, alii usque ad Forum Appii, alii usque ad Tres tabernas; quos cum vidisset Paulus, Deo gratias egit eam ob rem, fortemque *sumpsit animum* (ελαβε θαρσος).

Insignis sive *signata* (παρασημος, ὁ ἡ, et το παρασημον) in prora erat navis *imagine Dioscurorum* (Διοσκουροις. Dativus *Instrumenti*). Διοσκουροι, vel διοσκοροι, i. e. *Iovis filii*, speciatim vocari solebant *Castor et Pollux*, Iovis ex Ledâ filii, *nautarum Numina*.— Δευτεραῖος is est *qui secundo die aliquid facit, aut est, aut patitur*. Sic Lazarus a Ioanne (Cap. XI : 39) vocatur τεταρταιος. — Αππιος φορος, *Forum Appii*, Italiae oppidum, situm ad viam Appiam, octo milliaria Germanica distabat ab urbe Roma. Via Appia, strata lapide quadrato, Româ per portam Capenam ducens Capuam, et Capuâ Brundusium, exstructa erat ab Appio Claudio Caeco, Censore. *Tres tabernae* nomen erat hospitii ad

viam Appiam exstructi, in quod viatores divertere solebant. Ab urbe Roma hospitium hoc distabat milliaria Germanica sex.

16—20. *Cum autem venissemus Romam,* etc.). Continuatur narratio : Ubi verò Romam venissemus, Iulius centurio captivos suos tradidit *Praefecto Praetorii* (τῳ σρατοπεδαρχῃ[1]), Paulo autem permissum est, ut *seorsim* (καθ' ἑαυτον) a ceteris captivis in conducta a se domo quapiam (cf. vs. 30) maneret *cum designato* aliquo *milite, qui eum custodiret* (συν τῳ φυλασσοντι αυτον στρατιωτῃ); idque ita, more Romano, ut captivum et militem constringeret eadem catena, captivi quidem brachio dextro, militis autem sinistro alligata. Factum autem est, ut post triduum Paulus ad se convocaret *eos qui* Romae *essent Iudaeorum primores* (τους οντας των Ιουδαιων πρωτους), puta Synagogarum praefectos (cf. vs. 21). Cum verò convenissent, sic eos allocutus est : Ego, viri fratres, *quamquam* nihil *fecissem* (ποιησας) *Genti nostrae* (τῳ λαῳ) aut *patriis institutis* (τοις εθεσι τοις πατρῳοις) contrarium, tamen *ut captivus* (δεσμιος) *Hierosolymà* (Ἱεροσολυμων) abductus Caesaream, traditus sum in manus Romanorum (puta Procuratoris Romani Caesareae degentis). *Qui quidem* (οἱτινες) *postquam causam meam examinassent* (ανακριναντες με), voluerunt me *absolvere* (απολυσαι), eo quòd nullum erat in me *crimen morte dignum* (αιτια θανατου). Cum autem Iudaei accusatores adversarentur (αντιλεγοντων) mei liberationi, coactus fui appellare Caesarem[2], idque feci mei defendendi causa, non autem quasi haberem de quo populares meos apud Caesarem accusarem; nullam meditor contra gentem meam

[1]) Var. lect. Pro verbis ὁ ἑκατονταρχος παρεδωκε τους δεσμιους τῳ στρατοπεδαρχῃ, τῳ δε Παυλῳ επετραπη, simpliciter legitur επετραπη τῳ Παυλῳ in Codd. AB., nonnullis Minusculis, et quibusdam antiquis versionibus.

[2]) « Cum hoc agerent, ut me ad Synedrii cognitionem traherent, videreturque Festus illis velle gratificari, coactus fui, ne hoc fieret, appellare Caesarem. » Grotius ad h. l. Confer quae notavimus ad Cap XXV : 9—12.

criminationem. Hanc igitur ob causam (scilicet, ut vobis significarem me huc venisse non quempiam accusandi sed mei defendendi causa, ut qui nullius criminis reus sum) *vos ad me vocavi* (παρεκαλεσα ὑμας) *ut vos viderem et alloquerer* (ιδεῖν και προσλαλησαι. Infinitivi *finis*); *nam* (γαρ) non alia de causa *quam propter spem Israëlis* (ἑνεκεν της ελπιδος του Ισραηλ), h. e. quia praedicavi Messiam, spem Israëlis, in persona Iesu Nazareni venisse (vide ad Cap. XXVI : 6), hac, quam videtis, catena constrictus sum.

Extra omnem culpam se esse Paulus Iudaeis Romanis significare ideo voluerit, quòd crediderit fieri potuisse, ut calumniosa quaepiam de se fama ad illos pervenisset; quae res obesse poterat rei Evangelicae, quam inter eos promovere meditabatur. Nulla tamen mala de eo fama ad ipsos pervenerat, ut patet ex eorum ad Pauli verba responso, quod hic sequitur.

21—24. *At illi dixerunt ad eum : nos, etc.*). Illi *autem* (δε) dixerunt ad eum : Nos neque litteras *de te* (περι σου, over, aangaande u) accepimus ex Iudaea, nec quisquam *fratrum* (των αδελφων, i. e. popularium nostrorum) inde huc *advenit* (παραγενομενος), qui mali aliquid de te annuuciaverit aut dixerit. *Postulamus* (αξιοῦμεν) autem audire *ab ipso te* (παρα σου) *quae sentias*, h. e. quaenam tandem ea sint, quae a te docentur. *Nam* (γαρ) *de* (περι, ut vs. 21) secta hac, cuius tu te praeconem profiteris (vs. 20), notum nobis est, ubique terrarum illi contradici. Quare velimus te ea de re audire disserentem. Quod cum Paulus libenter se facturum respondisset, ad diem, quem illi constituerant, Iudaei *plures* (πλειονες) quam antea ad eum venerunt *in eius hospitium* (εις την ξενιαν. Cf. vs. 16 et 30); quibus *exponebat* (εξετιθετο) doctrinam de regno Dei, *Scripturarum testimoniis illam confirmans* (διαμαρτυρομενος), illisque persuadens, quantum in eo erat, *Iesum Nazarenum esse promissum Messiam* (τα περι του Ιησου), *petitis*

argumentis et a (απο, ut Cap. XVII : 2) *Pentateucho* (απο τε του νομου Μωσεως), *et a scriptis Prophetarum* (και (απο) των προφητων); videlicet ostendens, vaticinia omnia, quae ad promissum Messiam pertinerent, in persona Iesu Nazareni suum habuisse complementem; disseruitque ea de re *a mane usque ad vesperam.* Et quidam ex Iudaeis, ad quos verba fecerat, credebant iis quae ab illo dicebantur, quidam vero non credebant.

26—28. *Cumque invicem non essent consentientes*, etc.). Cum *autem* (δε), aliis credentibus, aliis non credentibus, *inter se discordes essent* (ασυμφωνοι οντες προς αλληλους), *discedebant* (απελυοντο), *postquam* Paulus, occasione huius discordiae, ob incrudelos suos populares unum hoc verbum addidisset (ειποντος) : Verissime Spiritus Sanctus per Isaiam prophetam locutus est ad patres nostros, cum vestram hanc incredulitatem praedicens, sic diceret : *Vade ad populum istum et dic* (ειπον, Imperativ. Aor.) *ad eos : Auditu* (ακοῃ) *audietis, sed non intelligetis; et videntes videbitis, sed non perspicietis. Nam pinguefactum est* (επαχυνθη) *cor huius populi* (stupidus, hebetatae mentis factus est hic populus), *et auribus graviter audierunt* (aures eorum obsurduerunt), *et oculos suos clauserunt, ne quando videant oculis, et auribus audiant, et corde* (mente) *intelligant, et convertantur* (και επιστρεψωσι, en zij zich zouden bekeeren. Intransitive hic, ut supra pag. 362), *et ego sanem eos. Scitote ergo hoc salutare Dei* (τουτο το σωτηριον του Θεου, i. e. hoc verbum salutis, scil. Evangelium) *missum fuisse* (praedicandum) etiam Gentilibus, atque hi *etiam* (και) obedient (ακουσονται) verbo salutis, quod illis praedicabitur.

Quod postremo loco dixit Apostolus (*notum ergo sit vobis*, etc.), illud *re* non differt ab eo, quod ad incredulos suos populares dixerat supra, Cap. XIII : 46—48. Inde ergo petenda est distinctior huius loci intelligentia. — Vaticinium, quod hic a Paulo recitatur, ductum est ex Isaiae Cap. VI : 9, 10. Idem illud allegarunt Evan-

gelistae omnes (Matth. XIII : 14, 15. Marc. IV : 12. Luc. VIII : 10. Joh. XII : 39, 40). Celebre hoc vaticinium distinctius interpretaturi sumus in commentario nostro in historiam Evangelicam.

29—31. *Et cum haec dixisset*[1], etc.). Et monitoria illa verba (25-28) cum Paulus protulisset, discesserunt ab eo Iudaei, multam habentes *inter se* (εν ἑαυτοις) *disceptationem* (ζητησιν. ut I Tim. I, 4), puta de iis, quae Paulus illos docuerat. Mansit autem Paulus per *integrum biennium* (διετιαν ὁλην) in conductitio suo hospitio (εν ιδιῳ μισθωματι); eoque temporis spatio *ad se continuo admittebat* (απεδεχετο Imperf. ut supra pag. 98) sine discrimine omnes, Iudaeos atque Gentiles, qui ipsum adibant (εισπορευομενους. Particip. *Imperfecti*); et intrepide summaque cum loquendi libertate (μετα πασης παρρησιας), et nemine prohibente (ακωλυτως), assidue ibi praedicabat regnum Dei, docebatque ea *quae ad Dominum Iesum Christum pertinerent* (τα περι του Κυριου Ιησου Χριστου, ut supra, vs. 23).

Dictio ista, *regnum Dei*, alia atque alia significatione in sacris Scripturis passim legitur; nam et de adventu Messiae dicitur deque ipso Rege Messia; tum et de vita beata; et tandem, idque multipliciter, per varias Metonymias et Synecdochas, de societate a Christo instituta, sive de praesentis temporis Ecclesia rebusque ad eam pertinentibus, uno verbo, de oeconomia novae Legis; et postremo hoc sensu dictio *regnum Dei* intelligenda est quotiescumque in praesenti libro occurrit, uno tantum excepto loco (Act. Cap. XIV : 21), ubi sumenda est *de vita beata*.

---

[1]) Var. lect. Versiculus ille, και ταυτα — ζητησιν, integer abest a Codd. ACE, ut et a nonnullis Minusculis nonnullisque antiquis versionibus.



INDEX

RERUM ATQUE VERBORUM NOTABILIUM

ET LOCORUM S. SCRIPTURAE QUAE OBITER ATTINGUNTUR.

INDEX

LIBRORUM QUORUMDAM NOTIS COMPENDIARIIS PASSIM CITATORUM.

Scriptorum Veterum nova collectio, e Vaticanis Codicibus edita ab Angelo Maio, Bibliothecae Vaticanae praefecto. Romae. 1833.

Ausführliche Grammatik der Griechischen Sprache, wissenschaftlich ausgearbeitet von Raphaël Kühner. 2 Theile. Hannover. 1834.

Clavis novi Testamenti philologica, auctore C. A. Wahl. Lipsiae. 1843.

Wissenschaftliche Syntax der Griechischen Sprache von G. Bernhardy. Berlin. 1829.

Francisci Vigeri de praecipuis Graecae dictionis idiotismis liber, cum animadversionibus Hoogeveeni, Zeunii et Hermanni. Ed. 3. Lipsiae. 1822.

Matthaei Devarii liber de Graecae linguae Particulis, cum adnotationibus Klotz. 2 vol. Lipsiae. 1842.

Totius Latinitatis Lexicon, consilio et cura Iac. Facciolati, opera et studio Aegidii Forcellini lucubratum. Editio in Germania prima. IV vol. in-fol. Schneebergae. 1833.

Ausführliche Griechische Grammatik von August Matthiä. Ed. 2. 2 Theile. Leipzig. 1825.

Raphelii annotationes Philologicae in N. T., ex Xenophonte, Polybio, Arriano et Herodoto collectae. Tomi 2. Lugduni Batavorum. 1747.

Henrici Hoogeveen doctrina Particularum linguae Graecae; in epitomen redegit Schütz. Ed. 2. Lipsiae. 1806.

Thesaurus Graecae linguae ab H. Stephano constructus. Tomi X in-fol. Editio Londinensis. 1816—26.

Ioh. Casp. Suiceri Thesaurus ecclesiasticus e Patribus Graecis. 2 vol. in-fol. Amstelodami. 1682.

Bibliorum Sacrorum Latinae versiones antiquae, seu vetus Italica... opera et studio D. Petri Sabatier. 3 vol. in-fol. Parisiis. 1751.

Ioh. A. H. Tittman, de Synonymis in novo Testamento. Lipsiae. 1829.

Compendium antiquitatum Graecarum e profanis sacrarum. Collegit Ch. Brünings. Ed. 3. Francofurti ad Moenum. 1759.

Lehre von den Partikeln der griechischen Sprache von Iohann Adam Hartung. 2 theile. Erlangen. 1832.

Lateinische Grammatik von C. G. Zumpt. Ed. in-8. Berlin. 1837.

Lamberti Bos Ellipses Graecae. Ed. H. Schaefer. Lipsiae. 1808.



APPROBATIO.

Opus, quod inscribitur: *Commentarius in Acta Apostolorum. Scripsit Joannes Theodorus Beelen, S. S. Pii IX Cubicul. hon., S. Congr. Ind. Consult., Eccl. cath. Leod. can. hon., S. Theol. Doct., et in Acad. cathol. Lovan. S. Script. et lingg. orientt. prof. ord., editio altera,* ex auctoritate Eminentissimi et Reverendissimi Cardinalis Archiepiscopi Mechliniensis, et legum academicarum praescripto recognitum, quum fidei aut bonis moribus contrarium nihil continere visum fuerit, imprimi potest.

Datum Lovanii Cal. Nov. 1864.

P. F. X. DE RAM,
RECT. UNIV.



ERRATA.

Pag. 34, hominum, *lege :* proditum hominem.
Pag. 78, per Imperfectum *εγενετο*, *lege* : *εγινετο*.
Pag. 148, *ηρεσιν*, *lege* : *ηρεσεν*.
Pag. 156, b ente, *lege :* iubente.
Pag. 169 in *not.* 1, Moviuntur rero, *lege :* Moriuntur vero.
Pag. 215, Stephano, *lege :* Philippo.
Pag. 222, Patris personam, quo unctus est, *lege :* Patris personam, a quo unctus, et Spiritum Sanctum, quo unctus est.







